



Analecta bollandiana

Bollandists


VE RI
TAS

ANALECTA
BOLLANDIANA

TOMUS V




EDIDERUNT

CAROLUS DE SMEDT, GULIELMUS VAN HOOFF

JOSEPHUS DE BACKER & CAROLUS HOUZE

PRESBYTERI SOCIETATIS JESU



SOCIÉTÉ GÉNÉRALE DE LIBRAIRIE CATHOLIQUE

PARIS
VICTOR PALMÉ, Directeur général
76, rue des Saints-Pères

BRUXELLES
SOCIÉTÉ BELGE DE LIBRAIRIE
12, rue des Paroissiens

GENÈVE, 4, rue Corraterie

1886

ANALECTA

BOLLANDIANA

ANALECTA

BOLLANDIANA

TOMUS V

EDIDERUNT

CAROLUS DE SMEDT, GULIELMUS VAN HOOFF

JOSEPHUS DE BACKER & CAROLUS HOUZE

PRESBYTERI SOCIETATIS JESU

SOCIÉTÉ GÉNÉRALE DE LIBRAIRIE CATHOLIQUE

PARIS
VICTOR PALMÉ, Directeur général
76, rue des Saints-Pères

BRUXELLES
SOCIÉTÉ BELGE DE LIBRAIRIE
12, rue des Paroissiens

GENÈVE, 4, rue Corraterie

1886

ACTA
SANCTI MAR ABDU'L MASICH
ARAMAICE ET LATINE

EDIDIT NUNC PRIMUM

ex cod. Londinensi (Addit. mss. 12174)

JOSEPHUS CORLUY, S. J.

IN COLLEGIO MAXIMO LOVANIENSI SACRÆ SCRIPTURÆ PROFESSOR.

PROLEGOMENA.

I. Anno 1867, Henricus Matagne, S. J., Bollandiani collegii insigne decus, Angliam petierat, eo animo ut sanctorum Acta bene multa, orientalibus linguis exarata, quæ Londini in Museo Britannico asservantur, sollicite exscriberet, postea in Bollandianis voluminibus edenda et solitis commentationibus illustranda. Tantam hujusmodi codicum manuscriptorum copiam ibidem reperit, ut animo concepisset præclarum sane consilium *Annum syriacum* ex Actis nondum editis comparandi et typis vulgandi. Verum doctissimi viri spem præmatura mors eventu frustravit. Ex hac sua commoratione in Anglia, quo mox redire statuerat, secum attulit non exiguum codicum a se exscriptorum thesaurum, ex quo vix aliquid hactenus in publicum prodiit. Exspectabatur scilicet donec Acta, codicibus istis contenta, ordine suo voluminibus inseri possent. Nunc vero, quum *Analecta Bollandiana* publici juris facere cœperint documenta varia, quorum nondum in voluminibus locus erat, placuit eadem opportunitate uti, ut etiam illa Acta syriaca seu aramaica jam typis exhibeantur. Hinc est quod, locum in suis *Analectis* summa cum benevolentia concedentibus hagiographis, nunc a nobis eduntur primum *Acta sancti Mar Abdu 'l Masich*, secundum manuscriptum unicum Musei Britannici. latina versione et adnotationibus instructa.

II. Codex membraneus Acta ista continens, notatur in catalogo exarato a cl. W. Wright (1) sub numero DCCCCLX, et ab ipso his verbis describitur: "Charta vitu-

(1) *Catalogue of syriac manuscripts in the British Museum, acquired since the year 1838*, London 1872, part. III, p. 1132.

lina, circiter 19 pollices longa, lata 12 1/2, constans 452 foliis, quorum multa sunt maculata et lacera, speciatim fol. 1-4, 9, 10, 120, 443 et 448. Primitus habebat 50 codicillos; sed deficit jam integer codicillus ܐ, et integer ܠ, excepto primo folio (fol. 10). Deficiunt etiam folia post foll. 9, 47, 443, 444, 446, 448 et 451. Codicilli litteris insigniti sunt. Unaquæque pagina dividitur in columnas duas, exceptis foll. 251, 254b, 255a et 321-330, quæ tres habent. Numerus linearum in singulis columnis variat a 38 ad 50. Foll. 137b et 138a dedita opera relicta sunt alba. Codex iste scriptus est manu bona et regulata, sub indicato anno Græcorum 1508, A. D. 1197.

" Continet autem .....

" 54. Martyrium Abdu 'l Masich, olim Judæi nomine Ascher ben Levi, e Singar, circa annum 701, A. D. 390. Fol. 316a, incipiens ... *(Sequitur aramaice initium historiæ, ut est infra in textu nostro.)*

" In fol. 452b duæ sunt notæ, ambæ manu ipsius scribæ additæ. Prior attestatio est a Michaele Magno, patriarcha Antiocheno (A. G. 1478-1511), prolata, librum istum scriptum fuisse expensis diaconi Schalibâ, e monasterio Bar-Saumæ Melitenæ (Vide Assemani, *Bibl. Or.*, t. II. *Dissertatio de Monophysitis*, art. IX, monaster. Barsumæ), ut reponeretur in bibliotheca istius cœnobii, anno Græcorum 1508, A. D. 1197.

" Altera nota asserit librum scriptum fuisse a monacho, nomine Joseph, cognato supradicti Schalibâ, tunc temporis residente in cœnobio Abu Ghalib, unde ad rem propositam requisitus fuerat.

" Inter duas hasce notas, inserta est eadem manu oratio pro monacho qui volumen in unum colligavit.

" In margine fol. 175a librarius scripsit hæc verba : *Experimentum chartæ et scriptionis*, et rursus in margine fol. 424b verba : *Mala charta.*

" In margine fol. 259a, recolitur nomen alicujus lectoris, Joannis dicti. — [Add. 12,174.] „

III. Sunt et alia Acta fragmentaria ejusdem Sancti, in Museo Britannico asservata, quæ a nostris multum discrepant, nec a P. Matagne exscripta fuerunt, ideo sane quia minoris momenti esse ipsi viderentur. Recensentur in supradicti catalogi *Additamentis* (1), sub numero DCCCCLXIV, his verbis :

" Charta circiter 10 1/2 pollices longa, lata 6 3/4, constans foliis 26 (*Add.* 17,267, fol. 50-75) ..... Scriptio est seculi XIII. Codex continet .....

" 2. Historia Abdâ seu Abdu 'l Masich, nativitate Judæi nomine Ascher ben Levi. Fol. 53b. Imperfecta. Vide *Add.* 12,174, n° 54. Subscriptio fol. 61a :

ܫܠܡܬ ܬܫܥܝܬܐ ܕܡܪܝ، ܥܒܕܐ ܣܗܕܐ ܢܨܝܚܐ ܠܐܠܗܘܬܗ

ܒܫܠܡ ܐܡܝܢ. — [Add. 17,267, foll. 50-75.] „

(1) Tom. cit., p. 1146.

IV. Sancti nostri brevem mentionem habet etiam Assemani, *Biblioth. Orient.*, tom. III, p. I, pag. 285 : " VIII. Aser filii Levi, qui ex judaica superstitione ad christianam fidem conversus, Abdalmessiæ nomen assumpsit. Cod. arab. Vat. 55, IX. "

Quid demum de sancto illo referat codex arabicus sic ab Assemano citatus, quum non contingeret nobis propriis oculis intueri, rogavit Pater Josephus De Backer, hagiographus (qui nobis in edendo manuscripto adfuit), Patrem nostrum Joannem Bollig, Bibliothecæ Vaticanæ custodem, ut codicem indicatum inspiceret et quid rei in eo haberetur ad nos rescriberet. Respondit clarus vir : " Acta illius Abdu'l Masich in nullo manuscripto arabico Biblioth. Vatic. reperiuntur. Quum requisissem illum codicem 55, comperi illum nihil esse aliud quam Euchologium sive rituale ecclesiæ Antiochenæ græcorum Melchitarum, partim arabice, partim syriace conscriptum, in quo nullum verbum de illo Ascher ben Levi habetur. Reperiuntur tamen in cod. arab. Vat. 145 (bombyc. in-8°, foliorum 151) quædam Abdu'l Masich alicujus scripta fragmentaria ... : a) Tractatus de anima rationali, auctore Abdelmessia, Israelita, de quo infra ... b) Ejusdem articuli breves de Trinitate et unitate Dei, secundum fidem christianorum, quos auctor Cahiræ composuit, exeunte anno hegiræ 639 (Christi 1241), ut in titulo adnotatur ... c) Ex libro demonstrationis de adventu Messiæ, cujus auctor Abdelmessias, sive Christodulus, Israelita, qui christianam fidem amplexus est Cahiræ, opera senioris Mansolis, filii Sahlan, medici; uti in titulo adnotatur. " Hæc ille. Quæ si conferantur cum historia sancti adolescentis Singareni, cujus sunt Acta nostra, illico apparebit hunc nihil, præter nomen, commune habere cum scriptore illo Cahireno de quo in codice arabico Vaticano agitur.

V. Itaque nulla nobis suppetunt documenta cum quibus textum codicis nostri conferre potuerimus. Hinc in eo tantum versata sunt studia nostra, ut textum illum ederemus quam accuratissime ejusque sensum quam fidelissime latino idiomate exprimeremus. Ad utrumque utilissimam et benevolentissimam opem nobis contulit supra laudatus vir eximius. W. Wright, qui non solum H. Matagne apographum cum codice Londinensi accuratissime contulit, sed et impressas plagulas revisere et in enodandis versionis difficilioribus locis amicissime nos adjuvare dignatus est. Pro quibus omnibus gratissimum ei animum palam profiteri et volumus et debemus.

VI. Restat ut de Actorum ipsorum indole pauca dicamus. Historiam exhibent adolescentis undecim annorum, in judaismo nati, quem sodales, sicut ipse, pecorum pastores, ad Christi fidem alliciunt et baptismo initiant. Pater, e Judæorum primoribus unus, re cognita, cæco furore abreptus, filium occidit; Deus vero martyrem suum multimodis prodigiis illustrem efficit. Quæ historia similis est aliis martyriis eorum qui ex Judæis crediderunt et a propriis parentibus vel a cognatis ad mortem ducti sunt. Judæis ad christianos persequendos nullum imperatorum decretum necessarium erat ; sed debacchante persecutionis procella, ipsi sæpe

majore quam ethnici furore in christianos ferebantur. Cujus furoris in Perside tempore Saporis regis plurima exempla fuerunt. Multa in hac narratione occurrunt portentosa, in quibus quæ veritatis, quæ popularis famæ (prodigia facile multiplicantis) æqua mensura sit, nemo facile dixerit. Et quamquam advertendum est portenta quæ in Actis sancti nostri Abdu'l Masich enarrantur, non ea esse quæ probabilitatis limites excedere videantur, quædam tamen alia in iis leguntur quæ ab Actorum scriptore ad ornatum excogitata esse negari vix possit : exempli causa, martyr jam moriturus, nullo audiente, prolixum dicitur habuisse sermonem, qui totus quantus describitur. Hic certe non nisi revelatione potuisset innotescere, de qua nullum exstat vestigium. Ceterum quisquis historiam sancti Mar Abdu'l Masich legere voluerit, candidam eam et venustam, ac genuinum christianismi spiritum undequaque redolentem proculdubio comperiet.

VII. Prætermittere hic possumus quæstionem poni solitam, ubi de martyribus Orientalibus post medium seculum V occisis agitur, fueritne scilicet martyr vere catholicus, an forte Nestorianus vel Monophysita. Puer enim undecim annorum, e Judæis neophyta et paucis post baptismum mensibus necatus, censendus non est ab adolescentibus sodalibus suis aliquid eorum dogmatum audivisse, quibus tunc sectæ hæreticæ a vera Christi Ecclesia dissiderent.

ܬܫܥܝܬܐ

ܕܩܕܝܫܐ ܡܪܝ، ܥܒܕ ܠܡܫܝܚܐ [1] ܀

ܬܘܒ ܬܫܥܝܬܐ ܐܘܟܝܬ ܣܗܕܘܬܐ܆ ܕܓܒܪܐ ܕܐܠܗܐ ܥܒܕ ܠܡܫܝܚܐ. ܕܗܘܐ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ. ܕܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܫܡܗ܆ ܐܫܝܪ ܒܪ ܠܘܝ، ܝܗܘܕܝܐ܆ ܕܡܢ ܫܝܓܪ ܡܕܝܢܬܐ ܀ ܒܫܢܬ ܫܒܥܡܐܐ ܘܚܕܐ ܐܝܟ ܡܢܝܢܐ ܕܝܘܢܝܐ. ܟܕ ܥܕܟܝܠ ܡܫܬܡܥܐ ܚܪܫܘܬܐ ܢܨܝܚܐ ܗܘܬ ܒܐܬܪܐ ܕܦܪܣܝܐ܆ ܘܓܠܝܢ ܗܘܘ، ܐܦܝ̈ܗ ܕܝܗܘܕܝܘܬܐ ܐܦ ܒܐܬܪܐ ܕܫܝܓܪ̈ܝܐ܆ ܓܒܪܐ ܕܝܢ ܝܗܘܕܝܐ ܐܝܬ ܗܘܐ ܡܢ ܫܝܓܪ ܡܕܝܢܬܐ܆ ܘܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܩܢܝܢܐ ܘܒܝܬܝܘܬܐ ܣܓܝܐܬܐ.

[1] *Inscriptionem hanc apponere visum est, etsi in codice hoc loco non reperitur. Cfr. subscriptionem.*

Historia sancti mar Abdu 'l masich.

1. Iterum historia, scilicet martyrium viri Dei Abdu 'l masich, qui fuit *Servus Christi* (1), cujus fuit nomen Ascher, filius Levi, Judæi, ex Schingar (2) civitate. — Anno septingentesimo primo secundum computum Græcorum (3), dum adhuc magia celebris erat in regione Persarum, et manifesta erat facies judaismi etiam in regione Schingarenorum, vir quidem Judæus erat e Schingar civitate, et erant ei possessiones et familia multa, et abundabat opulentia magna, et

Ascher, adolescens Judæus Schingarenus,

(1) Syriace ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ (*Abdo dameschicho*), quod nomen martyri nostro fuit in baptismo ejus impositum, et, sicut nomen arabicum ei respondens (Abdu 'l masich) significat *Servus Christi*. Hanc denominationem arabicam deinceps in versione manuscripti adhibebimus, quoniam ab Arabibus et ab ipsis Syris sub hac nominis forma martyr noster designatur. Vide *Prolegomena*. — (2) ܫܝܓܪ (græce Σιγγάρα, apud Plinium vero *Singara*) civitas erat non ignobilis in Mesopotamia. Ei fere respondet civitas moderna *Sindjar*, 150 metrorum millibus occidentem versus distans a *Mossula,* ad austrum Nisibis. Antiqua Singara colonia Romana facta est a Septimio Severo. Romanis Persæ posthac illam eripuerunt, Romani recuperarunt, ac demum amiserunt Constantio imperatore anno 348. — (3) Id est anno a Christo nato (seu æræ vulgaris) 390.

ܘܡܬܝܬܪ ܗܘܐ ܒܐܘܪܝܬܐ ܪܒܐ. ܘܫܡܗ ܗܘܐ ܠܘܝ. ܘܪܝܫܐ
ܗܘܐ ܕܝܗܘ̈ܕܝܐ. ܘܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܒ̈ܢܝܐ. ܘܠܟܠܗܘܢ ܡܢܗܘܢ
ܪ̈ܥܝܘܬܐ ܡܢ ܩܢܝܢܗ ܐܫܠܡ. ܘܗܘ̇ ܙܥܘܪܐ ܡܢܗܘܢ. ܐܝܟ
ܒܪ ܚܕܥܣܪܐ ܫ̈ܢܝܢ ܝܬܝܪ ܚܣܝܪ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ. ܘܫܡܗ ܗܘ̇ܐ
ܐܫܝܪ. ܀ ܗܢܐ ܕܝܢ ܒܩܪܐ ܕܐܒܘܗܝ ܕܬܘ̈ܪܐ ܪܥܐ ܗܘܐ.
ܘܐܙܠ ܗܘܐ ܒܥܕܢܐ ܕܡܫܩܝܐ ܕܡ̈ܝܐ : ܐܝܟܐ ܕܟܠܗܘܢ
ܪ̈ܥܘܬܐ ܐܡܝܢܐܝܬ ܡܬܟܢܫܝܢ ܗܘܘ ܠܡܫܩܝܘ ܡܪ̈ܥܝܬܗܘܢ.
ܘܣܓܝܐܐ ܡܢ ܒ̈ܢܝ ܡܥܡܘܪܬܗ ܡܬܟܢܫܝܢ ܗܘܘ ܠܬܡܢ :
ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܒ̈ܢܝ ܟ̈ܪܣܛܝܢܐ ܗܘܘ : ܘܐܦ ܡܢܗܘܢ ܒ̈ܢܝ
ܡܓ̈ܘܫܐ ܀ ܘܟܕ ܣܘ̈ܓܐܐ ܕܝܘ̈ܡܬܐ ܢܩܦܝܢ ܗܘܘ ܠܬܡܢ : ܟܚܕ
ܫܘ̈ܝܐ ܡܬܟܢܫܝܢ ܗܘܘ : ܘܐܟܠܝܢ ܗܘܘ ܠܚܡܐ ܫܘܝܐܝܬ ܒ̈ܢܝ
ܡܓ̈ܘܫܐ ܘܒ̈ܢܝ ܟ̈ܪܣܛܝܢܐ : ܐܝܟܢܐ ܕܐܫܝܪ ܒܠܚܘܕܘܗܝ
ܢܫܬܒܩ. ܡܛܠ ܕܠܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܚܒܪܐ ܝܗܘܕܝܐ ܕܢܐܟܘܠ ܥܡܗ.
ܘܡܬܪܓܪܓ ܗܘܐ ܕܥܡ ܛ̈ܠܝܐ ܒ̈ܢܝ ܟ̈ܪܣܛܝܢܐ ܢܐܟܘܠ
ܘܕܚܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܘܠܐ ܫܒܩܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܕܢܐܟܘܠ ܥܡܗܘܢ.
ܘܪܓܝܢ ܗܘܘ ܕܐܝܟܘܬܗܘܢ ܟܪܣܛܝܢܐ ܢܗܘܐ. ܘܐܡܝܢܐܝܬ

nomen ejus erat Levi. Caput erat Judæorum, et filios habebat, et omnibus eis pastionem suæ possessionis commisit. Minimus autem ex eis quasi filius undecim annorum plus minus erat, cui nomen Ascher. Iste autem gregem boum patris sui pascebat, et ibat in tempore potationis aquarum, quo omnes pastores venire solebant, ad potandos greges suos. Et multi ex filiis conditionis ejus simul conveniebant illuc, quorum erant alii filii christianorum et etiam alii filii magorum. Et quum diebus multis illuc convenirent, simul congregabantur, et manducabant panem æqualiter (inter se) filii magorum et filii christianorum, ita ut Ascher solus relinqueretur, quia non erat ei socius Judæus qui manducaret cum eo. Et desiderabat cum adolescentibus christianis manducare. Qui repellebant eum, nec concedebant ei ut ederet secum : volebant quippe ut sicut ipsi christianus fieret. Et constanter de historiis Christi

pascens greges patris cum pueris christianis,

sed ab eorum consortio repulsus,

ܒܬܘܕܝܬܐ ܕܡܫܝܚܐ ܘܒܢܨ̈ܚܢܐ ܕܩܕ̈ܝܫܐ ܡܡܠܠܝܢ ܗܘܘ: ܐܝܟ ܕܫܡܥܘ ܡܢ ܐܒ̈ܗܝܗܘܢ. ܀

ܘܟܕ ܡܢ ܝܘܡܝܢ ܚܕ ܟܢܝܫܝܢ ܛܠܝ̈ܐ ܟܠܗܘܢ: ܘܡܛܝܐ ܕܢܣܬܥܪܘܢ ܦܬܘܪܐ: ܩܪܒ ܐܫܝܪ ܓܒ ܗܢܘܢ ܛܠܝ̈ܐ ܘܐܡܪ ܠܗܘܢ. ܐܚ̈ܝ: ܒܥܐ ܐܢܐ ܐܟܘܠ ܥܡܟܘܢ ܠܚܡܐ ܘܠܐ ܐܬܢܕܕ ܠܟܘܢ ܡܢܝ. ܗܢܘܢ ܕܝܢ ܦܢܘ ܠܗ. ܘܐܡܪܘ. ܟܕ ܬܥܡܕ ܒܡ̈ܝܐ ܒܫܡܗ ܕܡܫܝܚܐ[1]: ܘܬܗܘܐ ܟܪܝܣܛܝܢܐ: ܬܐܟܘܠ ܥܡܢ ܠܚܡܐ. ܠܐ ܓܝܪ ܫܠܝܛ. ܕܟܪ̈ܝܣܛܝܢܐ ܥܡ ܝܗܘ̈ܕܝܐ ܢܐܟܠܘܢ ܀ ܐܡܪ ܐܫܝܪ. ܗܐ ܡ̈ܝܐ: ܡܢܐ ܗܝ ܟܠܝܬܐ ܕܐܬܥܡܕ ܀ ܐܡܪܝܢ ܠܗ ܛܠܝ̈ܐ. ܠܐ ܗܟܢܐ. ܐܠܐ ܒܥܕܬܐ ܡܢ ܐܝ̈ܕܝ ܟܗ̈ܢܐ ܙܕܩ ܕܬܬܥܡܕ ܀ ܐܫܝܪ ܐܡܪ. ܗܫܐ ܕܥܕܬܐ ܪܚܝܩܐ: ܘܟܗ̈ܢܐ ܠܐ ܩܪܝܒܝܢ: ܘܡܛܠ ܕܚܠܬܐ ܕܐܒܗ̈ܝ ܘܐܚ̈ܝ: ܐܝܬ ܠܝ ܦܘܪܣܐ ܗܢܐ ܙܒܢܐ. ܠܐ ܫܦܝܪܐ ܗܝ ܕܐܦܘܫ ܡܢ ܚܘܝܕܐ ܕܥܡܟܘܢ. ܘܢܗܘܐ ܠܦܘܪܥܢܐ ܕܬܪܥܝܬܝ ܦܠܚܘܬܐ. ܐܢ

[1] *addit hic cod.* ܘܬܐܟܘܠ ܥܡܢ ܠܚܡܐ, *sed errore amanuensis hic scripta videntur. Hoc enim loco sensum perturbant, et infra, duabus interjectis vocibus, eadem congruo loco repetuntur.*

et de victoriis sanctorum loquebantur, sicut audierant a parentibus suis.

2. Quumque quodam die congregati essent adolescentes omnes, et tempus comestionis appropinquaret, accessit Ascher ad illos adolescentes, et dixit eis : *Fratres mei, obsecro ego, manducabo vobiscum panem, et ne aversemini a me.* Illi autem responderunt ei, et dixerunt : *Quando baptizaberis aqua in nomine Christi et eris christianus, comedes nobiscum panem : non enim licitum est ut christiani cum Judæis comedant.* Dixit Ascher : *Ecce aqua, quodnam est impedimentum ne baptizer ?* Dixerunt ei adolescentes : *Non sic, sed in ecclesia manibus sacerdotum decet te baptizari.* Ascher dixit : *Nunc, quoniam ecclesia longe est nec propinqui sacerdotes, et ob timorem parentum ac fratrum meorum, est mihi (ad id) opportunitas hocce tempore. Non est rectum ut remaneam (remotus) ab unione vobiscum, utque sit prompti-*

cupit ab eis baptizari.

ܫܪܝܪ ܗܘ ܐܠܗܟܘܢ ܡܫܝܚܐ: ܘܪܘܚܐ ܡܟܝܟܬܐ ܡܩܒܠ ܝܬܝܪ ܡܢ ܩܘܪ̈ܒܢܐ ܫ̈ܠܡܐ ܐܝܟ ܡܐ ܕܐܠܦܬܘܢܝ: ܡܩܒܠ ܐܦ ܠܕܒܚܐ ܫܠܡܐ ܕܚܘ̈ܫܒܝ ܕܠܒܝ: ܘܚܐܪܬ ܐܦ ܠܛܘܝܒܗ ܕܠܒܝ: ܘܐܦ ܡܫܡܠܐ ܠܝ ܒܐܝ̈ܕܝܟܘܢ ܥܡܝܕܐ. ܡܛܠ ܐܘܚܕܢ ܕܕܚܠܬܐ: ܘܪܘܚܩܬܐ ܕܣܢ̈ܝܩܬܐ. ܩܘܡܘ ܗܟܝܠ ܚܝܠܬܢܐܝܬ ܘܬܟܝܠܐܝܬ: ܘܐܥܡܕܘܢܝ ܐܢܬܘܢ ܒܫܡܗ ܕܡܫܝܚܐ. ܘܗܘ ܗܘܐ ܓܡܘܪܐ ܠܡܩܕܫܘܬܟܘܢ ܘܠܡܥܒܕܢܘܬܟܘܢ[1]. ܗܝܕܝܢ ܛܠܝ̈ܐ ܟܕ ܚܙܘ ܠܚܒܝܒܘܬܗ ܘܚܦܝܛܘܬܗ: ܐܫܠܚܘܗܝ ܘܐܚܬܘܗܝ ܒܡ̈ܝܐ ܕܡܒܘܥܐ. ܘܥܢܘ ܟܠܗܘܢ ܒܚܕ ܩܠܐ ܘܐܡܪܘ. ܢܥܡܕ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ: ܒܫܡ ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ. ܘܟܠܗܘܢ ܡ̈ܠܐ ܩܕ̈ܝܫܬܐ ܕܐܡܪܝܢ ܟܗ̈ܢܐ ܥܠ ܡܥܡܘܕܝܬܐ: ܐܢܬ ܡܫܝܚܐ ܐܠܗܢ ܘܐܠܗܐ ܕܟܗ̈ܢܐ: ܥܒܕ ܥܠ ܡ̈ܝܐ ܗܠܝܢ. ܘܥܒܕܝܗ ܠܥܒܕܟ ܥܡܝܕܐ ܡܫܡܠܝܐ. ܘܟܕ ܬܠܬ ܙܒܢ̈ܝܢ ܐܥܡܕܘܗܝ ܒܡ̈ܝܐ ܗܠܝܢ ܐܝܟܢܐ ܕܩܕܡ ܠܗ ܗܘܘ:

[1] *in codice non scribitur suffixum* ܟܘܢ *sed ejus loco signum contractionis: ita scilicet* ܘܠܡܥܒܕܢܘܬ̄ . *In textu suffixum illud exprimendum duxi.*

tudo mentis meæ inutilis. Si verus est Deus vester Christus, et si spiritum humilitatis recipit magis quam holocausta perfecta, secundum quod docuistis me, recipiet etiam sacrificium perfectum cogitationum mearum et attendet etiam ad præparationem cordis mei, perficietque me per manus vestras baptizatum, propter instantiam timoris et elongationem rerum requisitarum. Surgite ergo fortiter et confidenter, et baptizate me vos in nomine Christi, et ipse erit consummator sanctificationis et operationis vestræ. Tunc adolescentes, ut viderunt generositatem et alacritatem ejus, exuerunt eum et dimiserunt eum in aquas fontis, et responderunt omnes una voce et dixerunt: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; et omnia verba sacra quæ dicunt sacerdotes super baptisterium tu, Christe, Deus noster et Deus sacerdotum, præsta super aquas istas, et fac servum tuum baptizatum perfectum.* Et quum tribus vicibus mersissent eum in aquas istas, secundum quod prius

Voti compos factus,

ܐܣܩܘܗܝ، ܡܢ ܡܝܐ. ܘܩܪܒܘ ܟܠܗܘܢ ܚܕ ܚܕ. ܘܡܢܫܩܝܢ
ܗܘܘ ܠܗ. ܘܡܛܥܢܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܘܡܙܡܪܝܢ. ܐܝܟ ܕܠܡܥܡܕܐ ܚܕܬܐ.
ܒܪ ܐܦ ܡܪ̈ܛܘܛܝܗܘܢ ܐܝܠܝܢ ܕܕܟܝܢ ܗܘܘ. ܫܕܝܢ ܗܘܘ
ܥܠܘܗܝ܀ ܘܐܬܟܢܫܘ ܟܠܗܘܢ ܒܚܕܘܬܐ܆ ܘܝܬܒܘ ܫܘܐܝܬ
ܠܡܠܥܣ. ܘܡܝܩܪܝܢ ܗܘܘ ܠܗ. ܐܝܟ ܕܠܚܬܢܐ ܒܝܘܡܐ
ܕܡܫܬܘܬܗ. ܘܐܙܕܗܝ ܗܘܐ ܦܪ̈ܨܘܦܗ. ܘܐܒܪܩ ܚܙܘܐ
ܕܐܦ̈ܘܗܝ ܟܕ ܣܠܩ ܡܢ ܡܝܐ. ܡܛܠ ܕܩܒܠ ܚܝܠܐ ܐܠܗܝܐ܆
ܒܝܕ ܡܠܬܐ ܫܦܝܬܐ ܕܛܠܝ̈ܐ ܗܢܘܢ. ܘܩܪܘ ܠܗ ܫܡܐ ܥܒܕܐ
ܕܡܫܝܚܐ܀ ܟܢܫܐ ܕܝܢ ܕܪ̈ܥܘܬܐ ܗܢܘܢ ܘܕܒ̈ܢܝ ܡ̈ܓܘܫܐ.
ܬܡܝܗܝܢ ܗܘܘ ܘܬܘܗܝܢ ܡܢ ܠܩܘܒܠ ܒܣܘܥܪܢܘܬܐ ܗܕܐ
ܬܡܝܗܬܐ܆ ܕܒܐܝ̈ܕܝ ܛܠܝ̈ܐ ܡܫܬܡܠܝܐ ܗܘܬ. ܘܪܝܚܐ
ܒܣܝܡܐ ܢܫܡܝܢ ܗܘܘ ܒܐܐܪ܆ ܡܢ ܦܢܝܐ ܕܡܫܪܝܬܐ ܗܝ،
ܡܠܝܠܬܐ ܘܫܦܝܬܐ. ܘܢܦܠܬ ܥܠܝܗܘܢ ܕܚܠܬܐ ܘܪܬܝܬܐ܆
ܘܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܚܕ ܠܚܕ. ܕܪܒ ܗܘ ܐܪܙܐ ܕܟܪ̈ܣܛܝܢܐ܀
ܟܕ ܕܝܢ ܝܬܒܝܢ ܗܘܘ ܛܠܝܐ ܘܚܕܝܢ܆ ܡܬܚܦܛܝܢ ܗܘܘ ܠܗ

edocti fuerant et viderant, ascendere fecerunt eum ex aquis, et accesserunt omnes singuli, et osculabantur eum, et in altum tollebant eum, et celebrabant sicut neophytum; sed et pallia sua ea quæ munda erant, projiciebant super eum. Et congregati sunt omnes in gaudio, et sederunt simul ad comedendum; et honorificabant eum sicut sponsum in die convivii ejus. Et splendida facta est facies ejus, et fulgebat aspectus vultus ejus quando ascendit de aquis, quoniam acceperat virtutem divinam per verbum sincerum adolescentium istorum. Et vocaverunt ei nomen *Abdu 'l Masich (Servus Christi)*. Cœtus autem pastorum istorum et filiorum magorum mirabantur et stupebant e regione actionem istam mirabilem, quæ per manus puerorum perfecta fuerat. Et odorem suavem respirabant in aere, ex parte congregationis hujus puræ et sinceræ. Et cecidit super eos timor et tremor; dixeruntque ad invicem, magnum esse mysterium christianorum.

nomen accipit *Abdu 'l Masich*,

et divinitus honoratur.

3. Quum autem sedissent adolescentes et lætarentur, hortabantur

In pignus

ܠܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ ܆ ܕܢܙܗܪ ܒܡܘܗܒܬܐ ܕܩܒܠ. ܘܕܠܐ ܢܣܒܝܗ̇ ܒܙܥܘܪܬܐ ܐܘ ܫܘܝܚܬܐ ܠܡܘܗܒܬܐ ܕܐܬܝܗܒܬ ܠܗ. ܘܕܠܐ ܢܬܚܠܛ ܥܡ ܗܢܐ ܥܡܐ ܝܗܘܕܝܐ ܡܢ ܗܫܐ ܘܠܗܠ ܀ ܗܘ ܕܝܢ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ ܆ ܝܬܝܪܬܐ ܡܢ ܗܠܝܢ ܡܫܬܘܕܐ ܗܘܐ ܆ ܟܕ ܪܬܚ ܒܪܥܝܢܗ. ܘܡܫܬܒܗܪ ܒܫܡܗ ܕܡܫܝܚܐ. ܀ ܚܕ ܗܟܝܠ ܡܢܗܘܢ ܕܛܠܝܐ ܆ ܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܒܐܕܢܘܗܝ ܬܪܬܝܢ ܩܕܫܐ ܕܕܗܒܐ. ܘܗܢܐ ܐܡܪ ܠܚܒܪܘܗܝ. ܐܚܝ ܆ ܐܢܬܘܢ ܝܕܥܝܢ ܐܢܬܘܢ ܆ ܕܝܗܘܕܝܐ ܠܐ ܢܩܒܝܢ ܐܕܢܐ ܕܕܟܪܐ. ܐܠܐ ܐܢ ܫܦܝܪ ܒܥܝܢܝܟܘܢ ܆ ܬܘ ܢܩܘܒ ܐܕܢܗ ܕܐܚܘܢ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ ܆ ܡܛܠ ܕܢܦܘܫ ܟܪܣܛܝܢܐ ܆ ܘܢܦܣܘܩ ܣܒܪܐ ܡܢ ܝܗܘܕܝܘܬܐ ܆ ܘܢܗܘܐ ܡܘܕܝܢܐ ܒܚܝܪܐ ܆ ܘܢܣܝܡ ܒܐܕܢܗ ܚܕܐ ܡܢ ܩܕܫܐ ܕܒܐܕܢܝ ܆ ܘܢܗܘܐ ܐܦ ܠܢ ܪܗܒܘܢܐ ܘܦܘܪܢܝܐ ܆ ܘܢܫܬܪܪ ܒܐܠܗܐ ܆ ܘܢܗܘܐ ܕܢܬܬܟܠ ܐܦ ܚܢܢ ܥܠܘܗܝ ܕܟܪܣܛܝܢܐ ܗܘ ܀ ܗܝܕܝܢ ܟܠܗܘܢ ܚܒܪܘܗܝ. ܘܗܘ ܥܡܗܘܢ ܐܡܪܘ. ܕܫܦܝܪ ܐܡܪܬ ܐܚܘܢ ܆ ܘܢܩܒܘ ܐܕܢܗ ܕܝܡܝܢܐ ܘܬܠܘ ܒܗ̇ ܩܕܫܐ ܚܕ ܕܕܗܒܐ ܀ ܘܩܡܘ ܟܠܗܘܢ ܘܐܙܠܘ ܠܒܝܬ ܟܢܘܫܬܗܘܢ

suscepti mysterii,

Abdu 'l Masich ut cautus esset circa depositum quod acceperat, neve æstimaret rem parvam esse aut communem donum quod datum sibi fuerat; et ut non commisceretur cum Judæis ex tunc et deinceps. Ipse autem Abdu 'l Masich, majora istis promittebat, quum ferveret mente sua et gloriaretur in nomine Christi. Unus igitur ex iis adolescentibus habebat in auribus suis duas inaures aureas. Hic dixit ad sodales suos : *Fratres mei, vos scitis quod Judæi non perforant aures masculorum ; sed, si bonum est in oculis vestris, venite, perforemus aures fratris nostri Abdu 'l Masich, ut permaneat christianus, et abscindat spem a judaismo, sitque confessor probatus. Et ponamus in aurem ejus unam ex inauribus quæ sunt in auribus meis. Sit etiam nobis arrhabo et strena (nuptialis) et confirmetur in Deo, sitque unde confidamus de eo quod sit christianus.* Tunc omnes sodales, et ipse cum eis dixerunt : *Recte dixisti, frater noster.* Et perforaverunt aurem ejus dextram et appenderunt in ea inaurem unam auream. Et surrexe-

appenditur auri ejus monile aureum.

ܟܕ ܚܕܝܢ : ܘܚܐܪܝܢ ܗܘܘ ܕܢܚܙܘܢ ܡܢܐ ܢܗܘܐ ܠܗ ܡܢ ܐܒܗ̈ܘܗܝ [1] ܀

ܥܒܕܐ ܕܝܢ ܕܡܫܝܚܐ ܟܕ ܪܡܫܐ ܗ̇ܘܐ : ܘܐܙܠ ܠܒܝܬ ܐܒ̈ܗܘܗܝ : ܥܠ ܠܘܬ ܐܡܗ. ܘܚܙܬܗ. ܘܐܬܝܠܠܬ ܘܐܡܪܬ. ܒܪܝ ܐܫܪ : ܡܢܐ ܗܘܐ ܠܟ : ܘܡܢܘ ܗܢܐ ܕܒܐܕܢܟ. ܡܢ ܐܛܥܝܟ : ܘܐܝܬܝܬ ܥܠܝܢ ܡܗܡܪܢܘܬܐ ܗܕܐ. ܠܐ ܫܡܥܬ ܠܟ ܒܢܡܘܣܐ ܕܡܘܫܐ : ܕܗܟܢܐ ܦܩܕ : ܕܠܐ ܬܬܢܩܒ ܐܕܢܗ ܕܕܟܪܐ ܒܐܝܣܪܝܠ: ܐܠܐ ܕܥܒܕܐ ܗ̇ܘ ܕܨܒܐ ܕܥܡ ܡܪܗ ܢܟܬܪ ܠܥܠܡ: ܘܐܢ ܪܓܫ ܐܒܘܟ : ܗܘ ܩܕܡܝܐ ܗ̇ܘܐ ܬܒܘܥܐ ܕܢܡܘܣܐ. ܘܡܢܐ ܐܥܒܕ ܠܟ ܒܪܝ ܠܐ ܝܕܥܐ ܐܢܐ : ܘܠܐ ܡܬܛܫܝܐ ܐܕܢܐ. ܀ ܘܗܘ ܩܕܝܫܐ ܩܕܡ ܥܢܐ ܠܐܡܗ ܟܕ ܐܡܪ : ܐܡܝ ܠܐ ܢܬܕ̈ܠܚܢ ܚܘܫܒܝܟܝ. ܕܐܢܐ ܟܪܝܣܛܝܢܐ ܐܢܐ ܡܢ ܗܫܐ ܘܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ ܒܕܡܐ ܠܥܠܡ. ܥܒܝܕ ܦܠܝܚ ܐܢܐ ܠܗ. ܡܛܠ ܕܪܚܡܬܗ ܘܗܘܝܘ ܡܪܝ ܘܐܠܗܝ. ܘܢܡܘܣܐ ܕܡܘܫܐ

[1] *cod.* ܐܒܗ̈ܘܗܘܝ *sed perperam.*

runt omnes et abierunt ad gregem suum gaudentes. Prospiciebant autem quid contingeret ei ex parte parentum ejus.

Stupet mater neophyti,

4. Abdu 'l Masich autem, ubi vespera advenit et profectus erat ad domum parentum suorum, intravit ad matrem suam. Hæc autem vidit eum, et ejulavit, et dixit: *Fili mi, Ascher, quid factum est tibi? Et quid hoc quod est in aure tua? Quis seduxit te, ut adduceres super nos istam afflictionem? Nonne audisti in lege Moysis, quod sic præcipit, ut non perforetur auris masculi in Israel, verum servi, qui voluerit cum domino suo manere in perpetuum? Et, si senserit pater tuus, ipse primus vindex legis: jam quid faciam tibi, fili mi, nescio. Nam non est abscondita auris.* At ipse Sanctus respondit prior matri suæ, et dixit: *Mater mea, ne turbentur cogitationes tuæ: nam ego christianus sum ex nunc, et servus Christi usque in perpetuum. Servus mancipatus sum ipsi, quia diligo eum, et ipse est Dominus meus et Deus meus; lex autem Moysis non reprehendit servos qui diligunt dominos suos. Sed quod*

ܠܐ ܪܓܐ ܠܚ̈ܐܪܐ ܕܢܦܩ ܡܪ̈ܘܗܝ. ܐܠܐ ܕܦܩܕ ܕܬܬܢܩܒ
ܐܕܢܐ ܕܥܒܕܐ ܗܘ ܒܬܪܥܐ ܕܕܪܬܐ ܕܒܝܬ ܡܪܗ : ܘܢܗܘܐ
ܥܒܕ ܦܠܚ ܠܥܠܡ. ܗܕܐ ܒܝ ܓܕܫܬ ܝܘܡܢܐ : ܕܥܠ ܬܪܥܐ
ܕܡܥܡܘܕܝܘܬܐ ܢܩܒܬ ܠܐܕܢܐ ܕܠܝ : ܘܫܪܪܬ ܥܡ ܡܪܝ ܩܝܡܐ
ܠܥܠܡ. ܀ ܐܡܪܐ ܠܗ ܐܡܗ. ܐܝܟ ܡܥܓܠ ܗܘܝܬ ܟܪܣܛܝܢܐ.
ܘܡܢ ܥܒܕܟ ܠܡܫܝܚܐ ܥܒܕܐ. ܘܡܢ ܐܠܦܟ ܗܠܝܢ ܕܡܡܠܠ
ܐܢܬ. ܀ ܩܕܝܫܐ ܐܡܪ. ܗܘ ܕܐܡܪ ܠܬܠܡܝܕܘ̈ܗܝ : ܕܟܠ ܕܡܗܝܡܢ
ܒܝ ܠܐ ܢܒܗܬ. ܘܕܠܐ ܬܐܨܦܘܢ ܐܝܟܢܐ ܬܦܩܘܢ ܪܘܚܐ
ܠܒܥܠܕܒܒ̈ܐ. ܗܘ ܐܠܦܢܝ. ܘܐܫܬܘܕܝ ܕܢܠܦ ܠܝ. ܘܐܫܬܥܝ
ܠܐܡܗ ܡ̈ܠܐ ܐܝܠܝܢ ܕܫܡܥ ܡܢ ܛܠܝ̈ܐ ܚܒܪ̈ܘܗܝ. ܘܕܐܝܟܢܐ
ܐܥܡܕܘܗܝ ܒܡ̈ܝܐ : ܘܕܥܒܪܬ ܡܢܗ ܟܠܗ ܟܦܘܪܘܬܐ. ܘܠܒܫ
ܪܝܚܐ ܒܣܝܡܐ ܒܡܫܝܚܐ. ܀ ܗܝ ܕܝܢ ܐܡܗ ܚܟܝܡܐܝܬ
ܫܡܥܐ ܗܘܬ ܘܡܬܒܝܢܐ : ܘܬܗܪܐ ܒܡ̈ܠܬܐ ܕܛܝܒܘܬܐ
ܕܢܦܩܝܢ ܗܘܘ ܡܢ ܦܘܡܗ. ܘܬܗܪܐ ܗܘܬ ܬܘܒ ܒܙܝܘܐ
ܕܫܪܐ ܗܘܐ ܥܠ ܐܦ̈ܘܗܝ ܕܩܕܝܫܐ. ܘܒܪܝܚܐ ܒܣܝܡܐ ܕܢܫܒ

præcepit ut perforetur auris servi istius in janua atrii domus domini sui et sit servus mancipatus in perpetuum, hoc in me contigit hodie: quia super januam baptisterii perforatus sum ad aurem meam, et confirmavi cum domino meo pactum in perpetuum. Dixit ei mater ejus : *Quomodo repente factus es christianus ? et quis fecit te Christo servum ? et quis docuit te ista quæ loqueris tu ?* Sanctus dixit : *Ipse qui dixit discipulis suis quod " Omnis qui credit in me non erubescet, „ et quod " Ne sitis solliciti quomodo defensionem habeatis contra adversarios ; „ ipse docuit me, et pollicitus est se docturum me.* Et narravit matri suæ verba illa quæ audierat a pueris sodalibus suis, et quomodo baptizassent ipsum aquis, et quod transisset ab eo omnis impietas, et quod induisset odorem suavem in Christo. Ipsa autem mater ejus sapienter auscultabat et intelligebat, et mirabatur verba gratiæ quæ procedebant de ore ejus. Et mirabatur iterum splendorem qui manebat super faciem Sancti, et odorem suavem qui spirabat e corpore ejus glorioso. Et abscondit eum mater

et, re intellecta,

ܗܘܐ ܡܢ ܠܘܩܕܡ ܝܪܚܐ. ܘܡܛܫܝܬܗ ܐܡܗ ܐܝܢܫ ܡܩܕܡ
ܕܠܐ ܢܬܚܙܐ ܡܢ ܐܒܘܗܝ. ܟܕ ܕܚܠܐ ܕܐܢ ܚܙܐ ܠܗ ܢܬܚܡܬ
ܒܚܡܬܐ ܘܢܩܛܠܝܘܗܝ. ܡܛܠ ܕܚܠܬܐ ܕܝܗܘܕܝܐ ܘܒܗܬܬܐ
ܕܡܢ ܥܡܗ. ܗܘ ܕܝܢ ܡܪ̄[1]: ܡܩܕܡ ܗܘܐ ܐܡܝܢܐܝܬ
ܠܓܢܬܗ: ܘܡܬܚܒܪܐ ܗܘܐ ܥܡ ܚܒܪܘܗܝ ܟܠܗ ܝܘܡܐ.
ܘܡܢ ܪܡܫܐ ܠܪܡܫܐ ܠܘܬ ܐܡܗ ܡܬܦܢܐ ܗܘܐ. ܐܒܘܗܝ
ܕܝܢ ܟܕ ܡܬܥܢܝܐ ܗܘܐ ܒܣܘܓܐܐ ܕܪܢܝܬܐ: ܒܝܕ ܛܘܒܥܐ
ܥܠܡܢܝܐ: ܠܐ ܪܢܐ ܗܘܐ ܠܡܚܙܝܗ ܘܠܡܫܐܠܘ ܥܠܘܗܝ.
ܐܢܫܝܢ ܕܝܢ ܡܢ ܐܚܝܢܗ ܕܛܠܝܐ ܗܢܘܢ ܟܪܣܛܝܢܐ: ܟܕ
ܐܬܟܢܫܘ ܠܚܕ ܡܢ ܥܘܡܪ̈ܐ ܕܕܝܪ̈ܝܐ ܩܕ̈ܝܫܐ ܕܒܛܘܪܐ: ܒܥܐܕܐ
ܕܣܗܕܐ ܒܒܘܠܐ[2] ܘܕܬܠܬܐ ܛܠܝܐ ܗܢܘܢ ܕܐܣܗܕܘ
ܥܡܗ: ܫܡܥܘ ܬܡܢ ܠܬܫܥܝܬܐ ܕܢܨܚܢܝܗܘܢ: ܘܐܬܘ

[1] *sæpe deinceps in codice occurret* ܡܪ̄ *cum contractionis signo scriptum pro* ܡܪܝܐ. — [2] *in prima syll.* ܒܒܘܠܐ *in cod. apponitur signum* Petocho.

ejus integrum mensem, ut non videretur a patre ejus, quum timeret ne, si videret eum, inflammaretur ira et occideret eum, propter metum Judæorum et ruborem ex parte populi sui. Ipse autem Sanctus matutinus erat semper apud gregem suum, et conversabatur cum sodalibus suis tota die; et a vespera ad vesperam (a crepusculo ad auroram) apud matrem suam se recipiebat. Pater autem ejus, ut erat occupatus in abundantia curarum per sollicitudines (1) mundanas, non curabat videre eum nec de eo inquirere.

filium a patris conspectu abscondit.

5. Quidam vero e parentibus puerorum istorum christianorum, quum venissent in unum ex cœnobiis monachorum sanctorum quæ sunt in monte, in festo martyris Babylæ et trium puerorum istorum qui martyrium egerunt cum eo (2), audierunt ibi narrationem

Ipse, audita a sodalibus

(1) ܠܛܘܒܥܐ, ad litteram, *immersiones.* — (2) S. Babylas, Antiochenus episcopus, sub Decio vel, ut alii referunt, sub Numeriano, eo quod imperatorem ab ingressu ecclesiæ prohibuisset, martyrio affectus est, una cum tribus pueris, 12, 9 et 7 annorum, Urbano, Prilidiano et Epolonio. quos ipse in fidei doctrina erudierat, quique mira fortitudine pro ea decertarunt, Ejus reliquiæ, Antiochia in

ܐܫܬܥܝܘ ܒܒܬ̈ܝܗܘܢ : ܐܝܟ ܕܠܬܫܒܘܚܬܐ ܕܐܠܗܐ :
ܘܩܘܠܣܐ ܕܣܗ̈ܕܐ ܩܕ̈ܝܫܐ. ܘܛ̈ܠܝܐ ܗܢܘܢ ܠܚ̈ܕܕܐ ܡܫܬܥܝܢ
ܗܘܘ : ܐܝܠܝܢ ܕܫܡܥܘ ܡܢ ܐܒܗ̈ܝܗܘܢ : ܒܕܘܟܬܐ ܗܝ، ܕܒܗ̇
ܡܬܟܢܫܝܢ ܗܘܘ ܒܙܒܢܐ ܕܫܩܝܐ ܕܡ̈ܝܐ. ܐܝܟܢܐ ܕܟܕ ܡܢ ܗܪܟܐ
ܗܘ̣ ܩܕܝܫܐ ܠܗܠܝܢ ܝܠܦ : ܝܬܝܪ ܐܫܬܠܗܒ ܒܗܝܡܢܘܬܐ.
ܘܕܠܝܩܬ ܒܗ̇ ܢܘܪܗ ܕܡܫܝܚܐ . ܐܦ ܐܬܪܬܚ ܒܪܚܡܬܐ
ܕܢ̈ܨܚܢܝܗܘܢ ܕܩܕ̈ܝܫܐ. ܘܡܨܠܐ ܗܘܐ ܕܢܫܬܘܐ ܐܦ ܗܘ̣
ܠܟܠܝܠܐ ܕܡܘܕܝܢܘܬܐ ܕܐܝܟ ܗܕܐ. ܀
ܘܚܕ ܡܢ ܠܠ̈ܝܘܬܐ ܟܕ ܕܡܝܟ ܒܒܝܬܐ ܕܐܡܗ : ܚܙܐ ܗܘܐ
ܒܚܠܡܗ ܐܝܟ ܗ̄ܘ ܕܒܕܘܟܬܐ ܚܫܘܟܬܐ ܬܚܝܬ ܐܪܥܐ ܚܒܝܫ
ܗܘܐ : ܘܡܫܬܢܩ ܕܘܝܐܝܬ ܥܡ ܗ̇ܢܘܢ ܕܒܝܬ ܕܬܢ ܘܐܒܝܪܡ.
ܘܡܬܢܗܡ ܗܘܐ ܬܢܚܐܝܬ ܡܢ ܬܚܬܝܬܗ̇ ܕܫܝܘܠ : ܟܕ
ܡܬܗ̇ܦܟ ܗܘܐ ܒܡܚ̈ܫܒܬܗ، : ܠܗܢܘܢ ܛ̈ܠܝܐ ܚܒ̈ܪܘܗܝ :
ܘܠܡ̈ܠܝܗܘܢ ܕܥܠ ܡܫܝܚܐ. ܘܠܬܘܟܠܢܗܘܢ ܕܒܗ،.

historia martyrum, victoriarum eorum, et reduces narraverunt in domibus suis, ad gloriam Dei et ad encomium martyrum sanctorum. Pueri isti ad invicem narrabant ea quæ audierant a parentibus suis, in loco illo in quo congregabantur tempore potationis aquarum, ita ut, quum inde ille Sanctus ista addicisset, magis accensus sit in fide et ortus in eo sit ignis Christi. Etiam inflammatus est amore victoriarum sanctorum, et orabat ut dignus fieret etiam ipse corona confessionis huic simili. (*cupit eis conjungi.*)

(*In somnis apparet ei Christus,*) **6.** Et una e noctibus, quum dormiret in domo matris suæ, vidit in somnio suo ac si ipse in loco tenebroso sub terra inclusus esset, et cruciaretur miserabiliter cum iis qui erant de domo Dathan et Abirom (1), et fremeret gemebunde ex imo inferni. Dum mente repræsentabat sibi istos juvenes, sodales suos, et sermones eorum de Christo et fiduciam eorum in illo, dumque in miseria

locum vicinum, Daphnen, translatæ, Apollinis oraculo ibidem silentium imposuerunt. Quare a Juliano apostata jussi sunt fideles martyris exuvias inde iterum Antiochiam deferre. Quibus ablatis, mox Apollinis delubrum incendio destructum est. — (1) Quos, contra Moysen et Aaron rebellantes, vivos deglutivit terra. (Num. xvi, 1-33.)

ܘܟܕ ܒܗܘܢܐ ܕܐܝܟ ܗܢܐ ܡܬܗܦܟ ܗܘܐ܆ ܗܐ ܡܢ ܫܠܝܐ ܥܠܝܡܐ ܚܕ ܕܦܐܝܐ ܒܚܙܘܗ܆ ܡܚܝܗ ܒܥܩܒܗ ܩܫܝܐܝܬ ܥܠ ܓܘܒܐ ܗܘ ܘܦܬܚܗ. ܘܐܘܫܛ ܝܡܝܢܗ ܘܐܣܩܗ ܡܢ ܓܘܒܐ ܗܘ܆ ܘܐܩܝܡܗ ܒܟܢܘܫܝܐ ܕܛܠܝܐ ܐܝܠܝܢ ܕܚܕܝܪܝܢ ܗܘܘ ܠܗ. ܘܡܙܡܪܝܢ ܗܘܘ ܬܫܒܘܚܬܐ. ܘܗܝܕܝܢ ܗܦܟܬ ܢܦܫܗ ܕܩܕܝܫܐ ܠܘܬܗ ܘܐܬܒܝܐܬ. ܘܫܐܠܗ ܠܥܠܝܡܐ ܗܘ ܟܕ ܪܥܠ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܡܢ ܐܢܬ ܡܪܝ܆ ܕܗܕܐ ܒܛܝܠܘܬܐ ܫܘܝܬ ܥܠܝ ܘܦܪܩܬܢܝ. ܦܢܐ ܕܝܢ ܥܠܝܡܐ. ܘܐܡܪ ܠܗ. ܐܢܐ ܐܢܐ ܡܫܝܚܐ ܗܘ ܕܐܬܬܟܠܬ ܥܠܝ ܘܩܪܝܬܢܝ. ܘܗܫܐ ܐܬܚܝܠ ܒܝ ܘܠܐ ܬܕܚܠ. ܗܐ ܐܘܢܟ ܡܛܝܒ ܥܡ ܕܣܗ̈ܕܐ ܩܕ̈ܝܫܐ܆ ܘܢܛܝܪ ܟܠܝܠܟ. ܘܒܬܪ ܩܠܝܠ ܐܣܩܝܢ܆ ܠܘܬܝ. ܫܩܠ ܐܢܐ ܠܟ. ܡܢ ܟܕ ܠܒܫܬܢܝ ܡܢ ܡ̈ܝܐ ܒܐ̈ܝܕܝ ܛܠ̈ܝܐ ܚܒܪ̈ܝܟ܆ ܣܡܬ ܐܦ̈ܝ[1] ܥܠܝܟ ܕܬܦܘܫ ܒܝܪܬܘܬܝ. ܩܕܝܫܐ ܕܝܢ ܟܕ ܬܡܝܗ ܐܬܪܡܝ ܗܘܐ܆ ܣܓܕ ܠܗ ܘܐܡܪ. ܡܪܝ ܘܐܠܗܝ ܣܓܕ ܐܢܐ ܠܟ܆

[1] *prius* ܐܦ̈ܝܟ *sed* ܟ *erasum est.*

tali agitabatur, ecce subito juvenis aliquis, decorus aspectu, percussit calcaneo suo dure super puteum istum et aperuit eum. Et porrexit dextram suam, et eduxit ipsum e puteo isto, et statuit eum in cœtu adolescentium istorum, qui circumdabant eum et conclamabant hymnum. Tunc autem regressa est anima Sancti ad ipsum, et consolationem accepit, et interrogavit juvenem istum tremens, dixitque ei : *Quis es tu, Domine, qui talem de me curam exhibuisti, et liberasti me?* Respondit autem juvenis, et dixit ei : *Ego sum Christus, in quo fiduciam habuisti et quem invocasti. Et nunc confortare in me et noli timere : ecce mansio tua præparata est cum mansione martyrum sanctorum, et servata corona tua; et post pusillum ego te ad me tollam. Ex quo indutus es me ex aquis per manus puerorum sodalium tuorum, faciem meam posui super te, ut permaneres in hereditate mea.* Sanctus autem obstupescens procidit, adorans eum et dicens : *Domine et Deus meus, adoro te et confiteor*

liberans eum ab inferno

et sibi consocians.

ܘܡܘܕܐ ܐܢܐ ܠܟ. ܕܦܪܩܬܢܝ ܡܢ ܚܫܘܟܐ ܕܕܘܘܢܝܐ ܗܢܐ. ܐܡܪ ܠܝ ܡܪܝ. ܡܢ ܐܢܘܢ ܗܠܝܢ ܕܐܝܟܘܬܝ. ܡܫܬܢܩܝܢ ܗܘܘ: ܕܗܐ ܐܦ ܗܫܐ ܐܚܝܕܐ ܥܠܝܗܘܢ ܒܐܪܐ ܦܘܡܗ. ܡܫܝܚܐ ܕܝܢ ܐܡܪ ܠܗ. ܓܒܪܐ ܐܢܘܢ ܒܢܝ ܥܡܟ ܘܒܢܝ ܫܪܒܬܗ ܕܐܒܘܟ. ܗܢܘܢ ܐܢܘܢ ܕܐܥܠܒܘ ܒܝ. ܩܕܝܫܐ ܕܝܢ ܐܡܪ. ܠܐ ܡܪܝ. ܬܥܒܪ ܒܛܝܠܘܬܟ ܡܢܝ: ܘܫܪܪܢܝ ܕܐܥܒܕ ܨܒܝܢܟ. ܘܐܗܘܐ ܟܪܘܙܐ ܕܫܪܪܐ. ܘܐܫܘܝܢܝ ܕܐܬܒܣܡ ܒܢܘܗܪܐ ܕܦܪܨܘܦܟ. ܀

ܘܟܕ ܗܟܢ ܒܚܙܘܐ ܗܘ ܩܕܝܫܐ ܡܡܠܠ ܗܘܐ: ܐܬܬܥܝܪܬ ܐܡܗ ܥܠ ܩܠܐ ܕܡܠܘܗܝ: ܘܐܬܥܝܪܬܗ. ܘܐܡܪܬ ܠܗ. ܡܢܐ ܠܟ ܒܪܝ: ܘܡܢܐ ܐܢܘܢ ܦܬܓܡܐ ܗܠܝܢ ܕܡܡܠܠ ܐܢܬ: ܐܝܟ ܗܘ ܕܥܡ ܪܚܡܐ ܡܡܠܠ ܐܢܬ. ܀ ܗܘ ܕܝܢ ܩܕܝܫܐ ܦܢܝ ܠܐܡܗ ܟܕ ܪܬܝܬ ܘܐܡܪ. ܠܡܫܝܚܐ ܡܡܠܠ ܗܘܝܬ. ܗܘ ܕܒܗ ܗܝܡܢܬ ܘܥܡܕܬ. ܘܐܦ ܡܢ ܓܘܒܐ ܕܕܘܘܢܝܐ ܗܫܐ ܐܣܩܢܝ: ܘܡܢ ܬܐܘܢܐ ܚܫܘܟܐ ܕܫܝܘܠ ܦܪܩܢܝ. ܀ ܐܡܪܐ

tibi, qui liberasti me e tenebris miseriæ istius. Dic mihi, Domine, qui sunt isti qui sicut ego cruciabantur, super quos ecce adhuc urget puteus os suum (1)? Christus autem dixit ei: *Viri isti sunt filii populi tui et filii familiæ patris tui; isti sunt qui injuria affecerunt me.* Sanctus autem dixit: *Ne, Domine, auferas curam tuam a me, et confirma me, ut faciam voluntatem tuam, et sim prædicator veritatis; et dignum me efficias ut delecter in lumine vultus tui.*

Quam visionem matri explicat Sanctus,

7. Quum vero in visione ista Sanctus loqueretur, evigilavit mater ejus ad sonum verborum ejus et excitavit eum. Dixitque ei: *Quid habes, fili mi? Et quæ sunt verba illa quæ loqueris ac si cum amico loquaris?* Ipse autem Sanctus respondit matri suæ tremens, et dixit: *Ad Christum loquebar, in quem credidi et baptizatus fui. Et etiam e lacu miseriæ nunc eduxit me, et ex penetralibus obscuris inferni liberavit me.* Dixit ei mater ejus: *Qualis erat aspectus ejus, fili mi?* Sanctus

(1) Cfr. Psalm. LXVIII (LXIX), 16.

ܠܗ ܐܡܗ. ܡܢܘ ܝܠܘܦ ܒܪܝ. ܀ ܡܕܝܢ ܐܡܪ. ܥܠܝܡܐ
ܐܝܬܘܗܝ ܦܐܝܐ ܒܚܙܘܗ. ܘܒܪ̈ܩܝ ܢܘܪܐ ܡܙܠܓܝܢ ܡܢ
ܦܪ̈ܨܘܦܗ. ܟܘܬܝܢܗ ܡܨܪܝܐ. ܕܓܒܗ ܦܬܝܚܐ. ܘܡܚ̈ܛܝܢ
ܐܝ̈ܕܘܗܝ ܘܪ̈ܓܠܘܗܝ. ܘܟܬܝܒ ܥܠ ܚܕܝܗ ܗܢܘ ܗܘ ܕܙܩܦܘܗܝ
ܗܘܘ ܝܗܘܕܝܐ ܒܐܘܪܫܠܡ : ܘܫܩܠ ܚܘܒܬܐ ܕܒܝܬ ܐܕܡ
ܒܢܦܫܗ. ܗܢܘ ܐܡܪܗ ܕܐܠܗܐ ܗܘ ܕܫܩܠ ܚܛܝܬܗ
ܕܥܠܡܐ. ܗܢܘ ܡܠܦ ܐܓܘܢܐ ܕܣܗ̈ܕܐ: ܘܡܟܠܠܢܐ ܕܐܬ̈ܠܝܛܐ.
ܚܙܝܬ ܕܝܢ ܛܠ̈ܝܐ ܒܢ̈ܝ ܫܢܝ : ܕܚܕܪܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܘܩ̈ܥܝܢ. ܐܘ[1]
ܡܪܝܐ ܦܪܘܩܝܢܝ ܐܘ ܡܪܝܐ ܦܨܢܝ : ܒܪܝܟ ܗܘ ܕܐܬܐ ܒܫܡܗ
ܕܡܪܝܐ : ܐܘܫܥܢܐ ܒܡܪ̈ܘܡܐ ܐܘܫܥܢܐ ܠܒܪܗ ܕܕܘܝܕ. ܟܕ
ܡܢܗܘܢ ܒܟܠܝ̈ܠܐ ܗܕܝܪܐ ܡܨܒܬܝܢ ܗܘܘ. ܘܣܘ̈ܟܐ ܠܐܝܕܝܗܘܢ
ܗܘܘ ܥܠ ܐܝ̈ܕܝܗܘܢ. ܘܡܢܗܘܢ ܒܣܒܠܝܢ ܕܕܗܒܐ ܕܡܐ
ܕܨܘܪ̈ܝܗܘܢ ܛܥܝܢܝܢ ܗܘܘ : ܐܝܟ ܩܘܪܒܢܐ ܩܕܡܘܗܝ. ܘܟܕ

[1] *littera* ܘ *hic et alibi in eadem voce signata est* ω.

dixit : *Juvenis erat decorus aspectu, et fulgura ignis splendentia (procedebant) e facie ejus. Tunica ejus scissa erat, latus ejus (vulnere) apertum et transfossæ manus et pedes ejus, et scriptum erat in pectore ejus : " Iste est quem crucifixerunt Judæi in Jerusalem, et qui suscepit debita domus Adam in semetipsum; ipse est Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi; ipse est instructor agonis martyrum et coronator athletarum. " Vidi autem pueros coætaneos meos, circumdantes eum et clamantes : " O Domine, salva me, o Domine, eripe me; benedictus qui venit in nomine Domini* (1). *Hosanna in excelsis; hosanna filio David! Quum aliqui eorum coronis gloriosis splenderent et ramos manibus portarent, aliqui vero in vasis* (2) *aureis sanguinem collorum suorum gestarent, tamquam oblationem coram eo; quumque gaudentes et exsultantes dicerent : " Iste est Deus noster, in quem speramus, lætabimur in salvatione*

(1) Psalm. CXVII (CXVIII), 25. — (2) Ita sensus requirere videtur; sed fatendum est nondum allatum fuisse, quod nos scimus, aliud hujus significationis exemplum. Significationes *solium* et *luna* (σελήνη), quæ a Payne Smith (Thes. syr. 2616, nondum edit.) proponuntur, hic minime conveniunt.

ܫܪܝܢ ܘܪܘܡܝܢ ܐܡܪܝܢ ܗܘܘ. ܗܢܘ ܐܠܗܢ ܕܠܗ ܣܟܝܢ ܢܪܘܙ ܒܦܘܪܩܢܗ ܘܢܚܕܐ. ܘܐܦ ܐܢܐ ܐܡܝ ܐܬܪܓܪܓܬ ܕܐܗܘܐ ܒܓܘܕܝܗܘܢ. ܘܐܬܚܠܛ ܒܣܕܪܝܗܘܢ. ܘܐܩܠܣ ܒܩܝ̈ܢܬܗܘܢ ܗܢܝܐܬܐ. ܘܠܐ ܐܫܬܒܩܬ. ܘܡܛܠܗ ܡܬܬܐܒ ܐܢܐ ܠܗ. ܠܘ ܕܝܢ ܦܫܬ ܒܫܢܬܐ ܗܝ ܕܒܟܢܫܐ ܗܘ ܪܚܝܡܐ: ܝܬܝܪ ܡܢ ܗܕܐ ܥܝܪܘܬܐ ܪܚܝܡ ܗܘܐ ܠܝ ܘܚܠܐ ܚܙܘܐ ܗܘ. ܘܡܚܒܒ ܚܒܝܒܐ ܕܗܘ ܙܒܢܐ. ܟܡ ܒܡܟܐ ܒܙܒܢܐ ܡܬܚܝܒܐ [1] ܠܐ ܡܬܦܣܩܐ. ܢܦܩܬ ܠܗ ܢܦܫܝ ܠܥܐܕܐ ܗܢܐ. ܘܐܬܝܩܕ ܠܗ ܠܒܝ ܒܪܚܡܬܗ ܕܓܠܝܢܐ ܗܘ. ܘܛܒ ܡܘܬܐ ܕܥܡ ܗܢܘܢ: ܡܢ ܚܝܝܐ ܐܪܝܟܐ ܕܥܡ ܡܦܩܘܩܘܗܝ ܕܥܠܡܐ ܟܠܗ. ܀

ܟܕ ܫܡܥܬ ܐܡܗ ܗܠܝܢ ܡܠܐ. ܐܬܬܙܝܥܬ ܒܠܒܗ: ܘܐܬܡܠܝܬ ܢܦܫܗ ܬܕܡܘܪܬܐ. ܘܢܛܪܐ ܗܘܬ ܒܠܒܗ ܐܝܠܝܢ ܕܐܬܡܠܠ. ܘܙܗܝܪܐ ܗܘܬ ܕܠܐ ܢܬܓܠܘܢ ܠܐܒܘܗܝ ܘܠܐܚܘܗܝ. ܐܡܪܬ ܠܗ ܕܝܢ. ܒܪܝ: ܠܐ ܢܬܕܠܚܘܢ ܡܚܫܒܬܟ. ܣܓܝܐܢ

[1] cod. ܡܬܚܝܒܐ ܒܙܒܢܐ.

et quanto martyrii desiderio rapiatur, declarat.

ejus et gaudebimus „ (1); *tunc etiam ego, o mater mea, concupivi ut essem in turmis eorum, et immiscerer ordinibus eorum et concinerem canticis eorum jucundis, et non fui permissus. Itaque desiderio rapior in ipsum. Utinam autem permansissem in somno illo, quem in cœtu illo dilecto (agebam)! Magis quam hic status vigiliæ jucunda erat mihi et suavis visio ista, et grata confabulatio istius temporis. Quanto magis utique (foret) in spatio temporis quod termino careret? Processit anima mea ad festum istud, et inflammatum est cor meum amore revelationis istius. Et melior est mors cum eis quam diuturnum consortium cum conversationibus totius mundi!*

Matri conanti

8. Quum audisset mater ejus verba ista, commota est in corde suo, et repletus est animus ejus admiratione; et conservabat in corde suo ea quæ dicta fuerant, et cavebat ne patefierent patri ejus et fratribus ejus. Dixit autem ei: *Fili mi, ne turbentur cogitationes tuæ : multa*

(1) Isaiæ XXV, 9.

ܐܢܘܢ ܚܠܡܐ ܕܓܠܐ: ܘܐܦ ܥܠ ܦܫܘܪܐ ܣܢܝܩܝܢ܂ ܐܝܟܢܐ
ܕܒܝܬ ܝܘܣܦ ܘܦܪܥܘܢ܂ ܘܕܢܝܐܝܠ ܘܡܠܟܐ ܕܒܒܠ܂ ܀ ܩܕܝܫܐ
ܕܝܢ ܐܡܪ܂ ܗܠܝܢ ܚܠܡܐ ܗܘܘ: ܘܥܠ ܦܫܘܪܐ ܣܢܝܩܝܢ ܗܘܘ܂
ܗܢܐ ܕܝܢ ܕܝܠܝ ܓܠܝܢܐ ܗܘ: ܘܚܙܘܐ ܗܘ ܢܗܝܪܐ܂ ܕܫܪܝܗ
ܫܪܝܪ ܗܘ܂ ܘܦܫܘܪܗ ܡܢܗ ܗܘ܂ ܡܛܠ ܗܢܐ ܐܘ ܐܡܝ: ܡܢܟܝ
ܢܗܘܐ ܫܘܪܝܐ ܕܟܪܘܙܘܬܝ܂ ܫܡܥܝܢܝ ܘܗܝܡܢܝ ܒܗܘ ܕܐܢܐ
ܡܗܝܡܢ ܒܗ: ܘܡܛܝܒ ܐܢܐ ܕܥܠ ܫܪܪܗ ܐܡܘܬ܂ ܀ ܗܝ
ܕܝܢ ܟܕ ܥܠ ܡܘܬܐ ܕܫܡܥܬ: ܫܦܥܘ ܕܡܥܝܗ̇: ܘܫܪܝܬ
ܒܫܬܝܩܘܬܐ ܠܡܒܟܐ܂ ܀ ܐܡܪ ܠܗ̇ ܩܕܝܫܐ܂ ܠܐ ܬܒܟܝܢ ܐܘ ܐܡܝ
ܘܠܐ ܬܬܥܝܩܝܢ܂ ܕܗܐ ܓܪܡܘܗܝ ܕܝܘܣܦ ܡܢ ܒܬܪ ܕܒܠܝܘ:
ܫܘܪܐ ܗܘܘ ܠܒܢܝ ܥܡܗ: ܕܚܝܝܢ ܗܘܘ܂ ܘܐܠܘܠܐ
ܕܚܝܝܢ ܐܒܪܗܡ ܘܐܝܣܚܩ ܘܝܥܩܘܒ: ܠܐ ܐܡܪ ܗܘܐ
ܐܠܗܐ ܠܘܬ ܡܘܫܐ: ܕܐܢܐ ܐܢܐ ܐܠܗܗܘܢ܂ ܐܫܬܪܪܝ
ܗܟܝܠ: ܕܚܝܐ ܐܢܘܢ ܠܐܠܗܐ ܐܝܠܝܢ ܕܡܝܬܝܢ ܥܠ
ܣܒܪܗ܂ ܘܡܛܠ ܕܐܦܪܘܥ ܚܘܒܬܐ ܕܐܒܗܘܬܐ ܕܚܝܒ ܐܢܐ
ܠܟܝ: ܡܠܟ ܐܢܐ ܠܟܝ: ܘܡܒܥܐ ܐܢܐ ܠܟܝ: ܕܬܗܝܡܢܝܢ

sunt somnia fallacia, et etiam interpretibus opus habent, quemadmodum inter Josephum et Pharaonem et inter Danielem et regem Babel. Sanctus vero dixit: *Ista somnia erant, et interpretibus indigebant; meum autem revelatio est et visio perspicua cujus solutio certa est, et interpres est somniator ipse. Quare, o mater mea, ex te sit principium prædicationis meæ: audi me, et crede in eum in quem credo ego, et pro cujus veritate paratus sum mori.* Ipsa autem ut mentionem mortis audivit, effluxerunt lacrimæ ejus, et cœpit in silentio flere. Dixit ei Sanctus: *Noli flere, o mater mea, neque anxiari, quoniam ecce ossa Josephi, postquam attrita sunt, propugnaculum fuerunt filiis populi ejus, qui viventes erant. Et nisi viverent Abraham, Isaac et Jacob, non diceret Deus apud Moysen: "Ego sum Deus eorum." Certum habe igitur, viventes esse Deo istos qui moriuntur propter spem ejus. Et ut solvam tibi debitum parentum, cujus debitor sum tibi: consulo tibi et deprecor te, ut credas in Christum et baptizeris in nomine ejus, et eripiaris e cruciatibus eorum*

eum a tali consilio removere,

ܒܡܫܝܚܐ ܘܬܬܥܡܕܝܢ ܒܥܡܕܗ : ܘܬܬܦܪܩܝܢ ܡܢ ܛܥܝܘܬܐ
ܕܗܢܘܢ ܕܟܦܪܝܢ ܒܗ. ܐܝܟܢܐ ܕܬܬܡܠܐ ܚܕܘܬܝ، ܒܟܝ ܕܐܢܐ،
ܒܪܟܝ : ܘܬܬܡܠܐ ܐܦ ܚܕܘܬܟܝ ܒܝ. ܘܒܥܠܡܐ ܕܠܐ ܥܒܪ
ܐܬܦܨܚ ܒܟܝ ܐܦ ܐܢܬ[1] ܒܝ : ܘܬܗܘܝܢ ܠܝ ܐܡܐ ܐܦ ܚܬܐ
ܡܢ ܡܥܡܘܕܝܬܐ. ܐܬܕܟܪܝ، ܐܘ ܐܡܝ ܠܓܠܝܢܐ ܗܘ ܕܐܫܬܥܝܬ
ܠܟܝ. ܘܠܐ ܢܥܒܪܘܢ ܡܢ ܩܕܡ ܥܝܢܝܟܝ. ܡ̈ܠܐ ܕܚܘܝܬ ܠܟܝ ܀
ܐܡܪܐ ܠܗ ܐܡܗ. ܡܩܒܠܐ ܐܢܐ ܒܪܝ ܘܡܗܝܡܢܐ ܐܢܐ.
ܘܡܐ ܕܐܣܒ ܙܒܢܐ ܠܗܠܝܢ ܦܪܢܣܐ ܐܢܐ. ܗܫܐ ܕܝܢ ܢܬܛܫܘܢ
ܡܠܟܝܟܝ ܡܢ ܐܒܘܟ ܘܐܚܝܟ : ܕܠܐ ܟܕ ܢܫܡܥܘܢ : ܠܝ
ܘܠܟܝ ܐܘ ܚܒܝܒ ܢܦܫܝ ܢܩܛܠܘܢ. ܀ ܗܘ ܕܝܢ ܩܕܝܫܐ ܫܩܠ ܬܪܡܠܗ
ܘܚܘܛܪܐ ܕܪܥܝܘܬܗ : ܘܐܡܪ ܠܗ ܠܐܡܗ. ܦܘܫܝ ܒܫܠܡܐ
ܐܡܝ. ܡܓܥܠ[2] ܐܢܐ ܠܟܝ ܠܡܫܝܚܐ ܡܪܝ. ܗܐ ܐܢܐ ܐܙܠ
ܐܢܐ ܠܘܬ ܛܠ̈ܝܐ ܚܒܪ̈ܝ. ܐܢܬܝ ܕܝܢ ܐܡܝ ܠܐ ܬܘܚܪܝܢ ܡܢ
ܒܬܪܝ. ܪܡܙ ܗܘܐ ܕܝܢ ܗܘ ܩܕܝܫܐ ܥܠ ܩܛܠܗ : ܘܥܠ
ܡܘܕܝܢܘܬܐ ܕܐܡܗ. ܀

[1] *pro* ܐܢܬ *legenda est forma feminina* ܐܢܬܝ. — [2] *lege* ܡܓܥܠ.

qui negant eum; ita ut compleatur gaudium meum in te, quia sum filius tuus, et compleatur etiam gaudium tuum in me; et in mundo qui non transit læter in te, et tu in me. Et fias mihi, mater, etiam soror ex baptismo. Recordare, o mater mea, revelationem illam quam narravi tibi, et ne recedant ab oculis tuis res quas ostendi tibi. Dixit ei mater ejus : *Accipio, fili mi, et credo; et quando accepero tempus, ad ista curam afferam. Nunc autem lateant consilia nostra patrem tuum et fratres tuos, ne, ubi audient, me et te, carissime mi, occidant.* Ipse autem Sanctus sumpsit peram suam et baculum suum pastoralem, et dixit matri suæ : *Mane in pace, mater mea : commendo ego te Christo Domino meo. Ecce ego vado ad juvenes sodales meos; tu autem, mater mea, ne cuncteris (venire) post me.* (Quibus verbis) insinuaverat ille Sanctus necem suam et confessionem matris suæ.

persuadet ut et ipsa in Christum credat.

ܘܟܕ ܢܦܩ ܕܝܢ ܥܡ ܡܪܥܝܬܗ ܐܝܟ ܥܝܕܐ: ܐܬܦܓܥ ܠܗ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܚܕ ܡܢ ܪܘܚܩܐ: ܟܕ ܡܗܠܟ ܡܢ ܩܪܝܬܐ ܠܩܪܝܬܐ. ܗܘ ܕܝܢ[1] ܪܗܛ ܘܢܦܠ ܩܕܡ ܪ̈ܓܠܘܗܝ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܒܪܟܝܢܝ ܡܪܝ ܘܚܬܘܡܝܢܝ ܒܪܘܫܡܐ ܕܨܠܝܒܐ ܘܓܡܘܪ ܠܡܥܡܘܕܝܘܬܝ. ܐܡܪ ܠܗ ܐܦܝܣܩܘܦܐ. ܐܝܟܢܐ ܝܕܥܬܢܝ. ܘܡܢܘ ܓܠܐ ܠܟ ܥܠܝ: ܕܗܐ ܐܝܟ ܫܚܝܡܐ ܡܗܠܟ ܐܢܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܩܕܝܫܐ. ܗܘ ܕܐܦ ܠܟ ܓܠܐ ܥܠܝ: ܘܫܘܝ ܠܟ ܫܒܝܠܐ ܕܬܦܘܩ ܠܡܒܥܝܘܬܝ. ܘܛܝܒ ܐܢܐ ܕܡܛܠ ܫܪܪܗ ܐܡܘܬ. ܘܐܬܕܡܪ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܒܡܠܬܗ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܕܐܦ ܐܢܐ ܐܬܦܩܕܬ ܕܐܙܠ ܒܬܪܟ: ܘܐܒܪܟܟ ܩܕܡ ܟܠܝܠܟ. ܘܣܡ ܝܡܝܢܗ ܥܠ ܪܝܫܗ. ܘܝܗܒ ܠܗ ܡܘܗܒܬܐ ܕܪܘܚܐ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܙܠ ܒܚܝܠܗ ܕܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ: ܘܢܫܦܪ

[1] *codex habet utique* ܕܝܢ, *sed punctum superius delendum est.*

9. Quum igitur profectus esset cum grege suo secundum consuetudinem, occurrit ei aliquis episcopus e longinquo, perambulans e vico in vicum. Ipse autem cucurrit et cecidit ante pedes ejus, et dixit ei: *Benedic mihi, Domine, et consigna me signo crucis et perfice baptismum meum.* Dixit ei episcopus: *Quomodo nosti me, et quis revelavit tibi de me? Quia ecce sicut vulgaris homo ego incedo.* Dixit ei Sanctus: *Ille qui etiam tibi revelavit de me, et stravit tibi semitam qua procederes ad quærendum me; et paratus sum ego ut propter veritatem ejus moriar.* Et miratus est episcopus sermonem ejus, et dixit ei: *Etiam ego jussus sum abire post te, et benedicere tibi ante coronationem tuam.* Et posuit dextram suam super caput ejus et dedit ei charisma Spiritus (1), et dixit ei: *Vade in virtute Spiritus sancti, et complaceat*

Episcopus peregrinus confert ei sacramentum Confirmationis,

(1) Minime dubium est hoc loco describi sacramentum Confirmationis, sancto neophyto ab *episcopo* collatum tamquam ritum perfectivum Baptismatis. Pretiosum sane antiquitatis pro Sacramenti istius veritate documentum. In quo etiam advertere juvat, in ritu sacro describendo solius impositionis manus crucisque signi mentionem fieri, nihil vero de adhibito chrismate benedicto insinuari. Unde merito concludi posse videtur, tunc temporis, in illa certe Ecclesiæ parte, Confirmationem absque chrismatis unctione ministrari consuevisse.

ܒܟ ܡܪܟ. ܘܐܬܛܝܒ ܕܬܠܒܫ ܚܫܘܗܝ ܕܡܫܝܚܐ. ܘܛܠܝܐ
ܗܢܘܢ ܕܐܥܡܕܘܟ: ܢܬܩܪܘܢ ܠܛܟܣܐ ܪ̈ܘܪܒܐ. ܘܗܟܢܐ
ܦܪܫ ܢܦܫܗ ܗܘ ܣܒܐ ܗܘ. ܘܐܙܠ ܒܐܘܪܚܗ܀ ܩܕܝܫܐ ܕܝܢ ܟܕ
ܐܬܛܝܒ ܠܘܬ ܛ̈ܠܝܐ ܚܒܪ̈ܘܗܝ: ܘܐܫܬܥܝ ܠܗܘܢ ܥܠ ܚܙܘܐ
ܕܚܙܐ: ܘܥܠ ܦܓܥܗ ܕܐܦܝܣܩܘܦܐ: ܘܗܠܝܢ ܕܒܡܨܥܬܐ:
ܘܐܚܕ ܠܟܠܗܘܢ ܬܗܪܐ ܘܬܕܡܘܪܬܐ. ܘܚܙܘ ܕܐܫܬܪܪܬ
ܡܥܡܘܕܝܬܗܘܢ. ܘܒܚܝܠܐ ܕܐܬܠܒܫ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ.
ܘܒܚܙܘܐ ܗܘ ܕܚܙܐ ܘܒܡܘܗ̈ܒܬܐ ܕܪܘܚܐ.܀

ܝܘܡܐ ܕܝܢ ܗܘ̇ ܥܪܘܒܬܐ ܗܘܬ ܘܟܕ ܫܒܬܐ ܢܓܗܐ
ܗܘܬ: ܥܐܕܐ ܪܒܐ ܐܝܬ ܗܘܐ ܠܝ̈ܗܘܕܝܐ ܒܗܘ ܝܘܡܐ.
ܕܒܗ ܛܝܒ ܐܒܘܗܝ ܡܫܬܘܝ ܪܒܐ. ܘܩܪܐ ܘܙܡܢ ܠܪ̈ܚܡܘܗܝ
ܠܡܫܬܘܬܐ. ܘܫܕܪ ܥܒ̈ܕܐ ܕܝܠܗ ܠܘܬ ܟܠܗܘܢ ܒܢܘܗܝ. ܘܦܩܕ
ܗܘܐ ܕܩܕܡ ܕܢܥܐܠ ܫܒܬܐ ܢܬܟܢܫܘܢ ܡܢ ܡܪ̈ܥܝܬܗܘܢ.܀
ܗܘ̇ ܕܝܢ ܩܕܝܫܐ ܟܕ ܡ̇ܛܐ ܠܬܡܢ: ܐܣܛܠܝ ܠܒܝܬܐ ܕܐܡܗ.
ܘܟܕ ܥܐܠ ܒܬܪܥܐ: ܥܒ̈ܕܐ ܕܐܒܘܗܝ ܣܓܕܘܗܝ. ܘܐܓܠܘܗܝ

et martyrium vaticinatur.

sibi in te Dominus tuus, et accinge te ut induas passiones Christi. Et juvenes illi, qui baptizarunt te, invitabuntur ad ordines magnificos. Et ita subduxit se senex ille et abiit per viam suam. Sanctus autem, ut pervenit ad juvenes sodales suos, narravit eis de visione quam viderat, et de occursu episcopi, et de iis quæ interea acciderant; et apprehendit eos omnes stupor et admiratio; et viderunt confirmatum esse baptismum suum, et per virtutem qua indutus est Abdu 'l Masich, et per visionem istam quam vidit, et per charismata Spiritus.

Die quodam Levi filios ad convivium convocat. Quo introductus Sanctus

10. Dies autem illa parasceve (1) erat, et, sabbato illucescente, festum magnum erat Judæis die illa; et in ea paravit pater ejus convivium magnum. Et invitavit et vocavit amicos suos ad cœnam, et misit servos suos ad omnes filios suos; et præceperat ut ante initium sabbati convenirent e pascuis suis. Ille autem Sanctus eo perveniens, deflexit ad domum matris suæ; et ubi ingreditur januam, servi patris

(1) *Parasceve* non designat hic feriam sextam ante Pascha christianorum, sed, secundum usum loquendi Syrorum, sextum diem hebdomadis.

ܠܡܫܬܘܬܐ. ܀ ܟܕ ܕܝܢ ܐܒܘܗܝ، ܚܙܐ ܐܦ ܝܗܘܕܝܐ ܐܝܠܝܢ ܕܣܡܝܟܝܢ
ܗܘܘ ܥܡܗ ܠܩܕܫܐ ܗܘ ܕܒܐܕܢܗ : ܐܬܕܠܚܘ ܟܠܗܘܢ
ܛܒ ܘܐܬܬܙܝܥܘ. ܗܝܕܝܢ ܐܒܘܗܝ، ܒܚܡܬܐ ܐܡܪ ܠܘܬܗ.
ܐܫܝܪ ܡܢܘ ܐܛܥܝܟ ܘܗܟܢܐ ܥܒܕ ܠܟ. ܠܐ ܝܕܥ ܐܢܬ
ܕܐܣܟܡܐ ܗܘ ܗܢܐ ܕܥܒܕܐ : ܗܢܘܢ ܕܢܦܩܘ ܡܢ ܚܐܪܘܬܐ.
ܩܕܝܫܐ ܐܡܪ. ܠܐ ܬܕܚܠ ܣܒܐ. ܝܕܥ ܐܢܐ ܐܝܠܝܢ[1] ܕܐܡܪ
ܐܢܬ. ܟܬܒܬ ܕܝܢ ܢܦܫܝ ܥܒܕܐ ܠܡܫܝܚܐ ܠܥܠܡ ܘܟܪܣܛܝܢܐ
ܐܢܐ. ܀ ܟܕ ܕܝܢ ܫܡܥ ܐܒܘܗܝ، ܐܬܚܡܬ ܛܒ : ܘܡܚܝܗܝ، ܥܠ
ܐܦܘܗܝ، ܘܫܕܝܗܝ، ܒܡܨܥܬ ܩܪܝܐ ܘܡܕܝܫ ܗܘܐ ܠܗ. ܩܡܘ
ܕܝܢ ܩܪܝܐ ܘܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܠܗ. ܫܒܘܩܘܗܝ ܡܛܠ ܕܛܠܝܐ
ܐܝܬܘܗܝ، : ܘܢܦܩ ܡܢ ܗܘܢܗ. ܠܐ ܢܐܚܘܕ ܥܠܘܗܝ، ܐܟܬܐ
ܝܘܡܢܐ : ܘܠܐ ܢܕܠܚܝܗ، ܠܡܫܬܘܬܢ. ܥܐܕܐ ܗܘ ܓܝܪ : ܠܐ
ܢܗܘܐ ܒܗ ܙܘܥܐ. ܫܠܝܘ ܕܝܢ ܟܠܗܘܢ ܘܝܬܒܘ ܠܡܠܥܣ. ܘܦܝܣܝܢ
ܗܘܘ ܠܗ ܡܦܝܣܢܐܝܬ ܕܢܠܥܘܣ ܥܡܗܘܢ. ܀ ܗܘ ܕܝܢ ܐܡܪ

[1] cod. ܐܝܠܝܢ ܐܢܐ.

ejus prævenerunt eum et introduxerunt eum in convivium. Quum autem pater ejus videret, sed et Judæi illi qui recumbebant cum ipso, inaurem illam quæ erat in aure ejus, commoti sunt omnes valde et turbati. Tunc pater ejus cum indignatione dixit ad eum : *Ascher, quis decepit te et sic fecit tibi? Nescis tu quod ritus iste est servorum, eorum qui renuntiarunt libertati?* Sanctus dixit : *Ne timeas, senex : novi ista ego quæ dicis tu. Conscripsi autem meipsum servum Christi in perpetuum, et christianus sum.* Quum autem audisset pater ejus, excanduit valde, et percussit eum in facie, et projecit in medium invitatorum, et conculcabat eum. Surrexerunt autem invitati, et dicebant ei : *Dimitte eum, quia adolescens est, et egressus e mente sua. Ne teneamus contra eum iram hodie, et ne conturbemus convivium nostrum; festum est enim. Ne sit in eo tumultus.* Quieverunt igitur omnes et sederunt ad comedendum; et rogabant eum blande ut manducaret secum. Ipse vero dicebat : *Nolite oblivisci : christianus enim*

coram patre christianum se declarat,

ܗܘܐ : ܠܐ ܬܦܠܚܘܢ . ܟܪܣܛܝܢܐ ܓܒܪ ܐܢܐ، ܘܠܐ ܙܕܩ ܠܟܪܣܛܝܢܐ ܠܡܐܟܠ ܥܡ ܝܗܘܕܝܐ. ܐܬܚܦܝ ܕܝܢ ܐܒܘܗܝ ܒܒܗܬܬܐ ܡܢ ܡܠܬܗ ܕܝܠܗ : ܘܩܡ ܗܘܐ ܬܘܒ ܠܡܚܝܘܗܝ ܘܠܐ ܫܒܩܘܗܝ. ܘܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܠܩܕܝܫܐ ܕܬܠܬ ܙܒܢܝܢ. ܬܐ ܚܒܝܒܢ ܠܥܣ ܥܡܢ : ܘܬܬܢܝܚ ܚܡܬܗ ܕܐܒܘܟ : ܘܗܐ ܫܬܝܩܝܢ ܚܢܢ ܥܠ ܥܒܪ ܢܡܘܣܐ ܕܣܝܡ ܒܐܕܢܟ : ܡܛܠ ܠܐ ܝܕܥܬܟ : ܘܡܛܠ ܐܝܩܪܐ ܕܥܐܕܐ ܘܡܫܬܝܐ : ܐܬܬܦܝܣ ܗܫܐ ܘܬܐ ܠܥܣ. ܩܕܝܫܐ ܕܝܢ ܐܡܪ. ܐܠܘ ܝܕܥܝܢ ܗܘܝܬܘܢ ܐܝܠܝܢ ܕܗܘܝ : ܟܒܪ ܠܐ ܐܠܨܝܢ ܗܘܝܬܘܢ ܠܝ ܕܐܟܘܠ ܥܡܟܘܢ. ܬܫܝܥܬܐ ܓܝܪ ܣܝܡܐ ܥܕܡܐ ܠܗܫܐ : ܥܠ ܐܦܘܗܝ ܕܡܘܫܐ ܣܝܡ ܢܡܘܣܐ.

ܟܕ ܫܡܥܘ ܕܝܢ ܗܠܝܢ. ܡܬܕܡܪܝܢ ܗܘܘ ܒܦܠܐܬܐ. ܘܐܦ ܬܡܝܗܝܢ ܗܘܘ ܒܠܒܝܒܘܬܐ ܕܡܠܘܗܝ. ܘܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܚܕ ܠܚܕ. ܕܠܡܐ ܚܙܘܐ ܚܙܐ ܗܢܐ ܠܗ. ܗܠܝܢ ܓܝܪ ܡ̈ܠܐ : ܠܘ ܕܕܝܘܢܐ ܐܢܝܢ. ܠܐ ܓܝܪ ܥܛܠܐ ܗܕܐ ܠܘܬ ܐܠܗܐ. ܣܓܝܐܬܐ ܓܝܪ ܘܡܫܒܚܬܐ ܗܘ̈ܝ ܠܘܬ ܢܒܝܐ ܟܕ ܛܠܝܢ ܗܘܘ. ܐܝܟ ܕܠܘܬ

et cum invitatis manducare respuens

sum, et non convenit christiano ut manducet cum Judæis. Obvolutus est autem pater ejus confusione propter verbum ejus; et surrexerat iterum ad percutiendum eum, at non permiserunt ei. Et dicebant ad Sanctum tertia vice : *Veni, dilecte noster, manduca nobiscum, et quiescet ira patris tui ; et ecce tacemus nos de transgressione legis quæ posita est in aure tua, propter ignorantiam tuam et propter decorem festi et convivii; acquiesce nunc, et veni, manduca.* Sanctus autem dixit : *Si sciretis vos ea quæ facta sunt, forsan non urgeretis me ut manducem vobiscum : velamen enim positum est hucusque super faciem Moysis legislatoris.*

eorum admirationem excitat.

11. Ut audierunt autem ista, stupebant ob allegorice dicta, et mirabantur ob confidentiam verborum ejus. Et dicebant ad invicem : *Numquid visionem aliquam habuit? Nam hæc verba non sunt dæmonium habentis. Non enim difficile est hoc apud Deum. Multa enim et gloriosa contigerunt prophetis, quando juvenes erant, sicut quæ Moysi et*

ܡܘܫܐ. ܘܝܫܘܥ. ܘܓܕܥܘܢ ܘܫܡܘܐܝܠ ܘܕܘܝܕ. ܘܐܪܡܝܐ
ܘܕܢܝܐܝܠ. ܘܛ̈ܠܝܐ ܕܚܒܪܬ ܚܢܢܝܐ. ܘܫܪܟܐ ܕܐܚܪ̈ܢܐ. ܠܐ
ܗܝ ܪܒܐ ܗܕܐ ܐܢ ܢܦܩ ܒܐܘܡܬܢ ܚܕ ܢܘܗܪܐ ܕܬܕܡܘܪܬܐ.
ܗܐ ܓܝܪ ܫܪܒܬܢ: ܠܐ ܙܥܘܪܐ ܒܐܝܣܪܐܝܠ. ܘܐܦ
ܢܡܘܣܘܗܝ ܕܐܠܗܐ ܫܘܒܗܪܢ. ܀ ܘܟܕ ܗܠܝܢ ܡܡܠܠܝܢ ܗܘܘ:
ܐܒܘܗܝ ܫܬܝܩ ܗܘܐ. ܗܝܕܝܢ ܐܡܪܘ ܠܗ ܠܩܕܝܫܐ. ܐܡܪ ܠܢ
ܐܘ ܪܚܝܡܐ ܒܐܚܐ. ܡܢܘ ܗܘ ܗܢܐ ܕܠܐ ܝܕܥܝܢ. ܓܠܝ ܠܢ
ܘܢܐܠܦ. ܚܘܐ ܠܢ ܘܢܕܥ. ܀ ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܩܕܝܫܐ. ܗܘ ܕܩܛܠ[1]
ܐܒܗ̈ܝܟܘܢ ܒܐܘܪܫܠܡ: ܚܙܝܬ ܕܗܘܝܘ ܐܡܪܗ ܕܐܠܗܐ:
ܗܘ ܕܐܟܪܙ ܝܘܚܢܢ ܥܠ ܝܘܪܕܢܢ: ܘܥܡܕܬ ܒܫܡܗ. ܘܥܠ
ܫܪܪܗ ܡܝܬ ܐܢܐ. ܘܐܢܬܘܢ ܐܢ ܠܐ ܬܬܕܟܘܢ
ܒܡܥܡܘܕܝܬܗ: ܚܘܒܬܐ ܕܐܒܗ̈ܝܟܘܢ ܡܬܬܒܥܝܢ ܐܢܬܘܢ:
ܕܡܐ ܙܟܝܐ ܗܘ ܕܐܫܕܘ: ܕܒܗ ܐܬܦܪܩܘ ܥܡ̈ܡܐ ܟܠܗܘܢ
ܕܗܝܡܢܘ ܒܗ. ܘܗܢܘܢ ܕܙܩܦܘܗܝ ܐܒܕܘ. ܗܐ ܐܟܪܙܬ
ܠܟܘܢ. ܐܪܝܡܘ ܬܟܣܝܬܐ ܕܦܪܝܣܐ ܥܠ ܠܒܟܘܢ. ܘܗܝܡܢܘ
ܘܥܡܕܘ ܘܐܬܕܟܘ. ܀

[1] *legendum esset* ܕܩܛܠܘ.

Josuæ et Gedeoni et Samueli et Davidi et Jeremiæ et Danieli et pueris Ananiæ sociis et ceteris aliis. Non igitur magnum quid est, si prodiit in gente nostra aliqua lux prodigiosa. Ecce enim gens nostra non est parva in Israel; et etiam leges Dei gloriatio nostra sunt. Et dum hæc dicerent, pater ejus tacebat. Tunc dixerunt ad Sanctum : *Dic nobis, o dilecte inter fratres, quid est hoc quod nescimus? Manifesta nobis, et discemus : ostende nobis, et sciemus.* Dixit eis Sanctus : *Eum quem occiderunt patres vestri in Jerusalem, vidi ipsum esse Agnum Dei, quem prædicavit Joannes ad Jordanem; et in ejus nomine baptizatus fui, et ob ejus veritatem moriar. Et vos, si non mundabimini per baptismum ejus, luetis patrum vestrorum culpam, sanguinem innocentem quem fuderunt, per quem salvatæ sunt gentes, quia crediderunt in eum; at illi qui crucifixerunt eum, perierunt. Ecce prædicavi vobis. Auferte velamen quod expansum est super cor vestrum, et credite et baptizamini, et mundamini!*

Immo omnes ut in Christum credant hortatur.

ܗܝܕܝܢ ܐܬܡܠܝܘ ܚܡܬܐ ܟܠܗܘܢ ܡܢ ܡ̈ܠܐ ܗܠܝܢ: ܘܠܛܫ ܐܒܘܗܝ ܣܟܝܢܐ ܥܠ ܐܒܕܢܗ. ܥܒ̈ܕܐ ܕܝܢ ܟܕ ܚܙܘ ܠܫܓܘܫܝܐ ܕܗܘ̣ܐ: ܫܒܩܘ ܠܛܠܝܐ ܕܢܥܪܘܩ. ܝܕܥܘ ܓܝܪ ܘܐܣܬܟܠܘ ܕܒܥܐ ܕܢܩܛܠܝܘܗܝ. ܀ ܩܡ ܕܝܢ ܠܘܝ ܐܒܘܗܝ ܒܡܪܪܐ ܕܡܪܬܐ ܘܒܠܒܐ ܩܫܝܐ: ܘܢܣܒ ܒܐܝܕܗ ܣܟܝܢܐ ܡܢ ܦܬܘܪܐ ܕܩܕܡܝܗܘܢ. ܘܪܗܛ ܒܬܪܗ ܒܚܡܬܐ ܪܒܬܐ. ܛܠܝܐ ܪܗܛ ܩܕܡܘܗܝ ܒܦܩܥܬܐ: ܥܕܡܐ ܕܐܬܐ ܗܘܐ ܬܪܝܨܐܝܬ ܗܘ̣ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ ܠܗ̇ ܡܥܝܢܐ ܕܒܗ̇ ܥܡܕ. ܩܪܒ ܗܘܐ ܕܝܢ ܪܡܫܐ ܘܫܒܬܐ ܫܪܝܐ ܗܘܬ. ܘܟܕ ܗܘ ܩܕܡܘܗܝ ܡܬܕܪܦ ܗܘܐ ܘܫܡܫܐ ܪܟܢ ܠܡܥܪܒ: ܐܬܦܢܝ ܠܘܬ ܐܒܘܗܝ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܛܪ ܫܒܬܟ ܕܘܝܐ.. ܘܐܢ ܝܗܘܕܝܐ ܐܢܬ: ܟܠܝ ܪܗܛܟ ܘܟܢܘܫ ܣܟܝܢܟ. ܘܐܢ ܬܠܡܝܕܐ ܐܢܬ ܕܡܘܫܐ: ܠܐ ܬܚܝܒ ܢܦܫܟ ܒܥܒܪ ܢܡܘܣܗ. ܐܢܕܝܢ ܕܡܫܝܚܐ ܐܝܟܢܐ ܕܐܦ ܐܢܐ: ܠܐ ܬܛܢܦ ܐܝܕܟ ܒܕܡܐ ܕܥܒܕܗ. ܠܘ ܓܝܪ ܕܠܐ ܐܬܩܛܠ ܡܛܠ ܡܫܝܚܐ ܡܦܝܣ ܐܢܐ ܠܟ: ܐܠܐ ܕܠܐ ܬܗܘܐ ܠܚܝܒܐ ܒܥܕܐ ܘܛܘܪ ܐܒܕܢܐ ܀ ܐܒܘܗܝ ܕܝܢ ܒܚܡܬܐ ܕܗܘܠܡ ܥܡܕ

Tunc, iratis illis, Levi stricto ferro filium fugientem insequitur.

12. Tunc impleti sunt furore omnes ob verba ista; et acuit pater ejus cultrum in perditionem ejus. Servi autem, ut viderunt tumultum qui fiebat, permiserunt juveni ut fugeret: noverunt enim et intellexerunt quod quæreret occidere eum. Surrexit autem Levi pater ejus in felle amaritudinis et in corde duro, et sumpsit manu sua cultrum de mensa quæ erat coram eis, et cucurrit post eum cum furore magno. Adolescens cucurrit ante eum in campo, donec veniret recta via Abdu'l Masich ad illum fontem in quo baptizatus fuerat. Appropinquabat autem vespera et sabbatum incipiebat; et quum ille coram ipso impelleretur et sol inclinatus esset ad occasum, convertit se ad patrem suum, et dixit ei: *Serva sabbatum tuum, miser! et, si tu Judæus es, cohibe cursum tuum et contrahe cultrum tuum; et si tu discipulus es Moysis, ne culpa affice animam tuam, transgrediendo legem ejus; sin autem Messiæ, sicut et ego, ne pollue manum tuam sanguine servi ejus! Non enim ut non occidar propter Christum, deprecor te, sed ut non fias*

Hic, patrem frustra deprecatus,

ܗܘܐ: ܠܬܪܥܬܐ ܡܬܡܪܡܪ ܗܘܐ ܘܡܚܪܩ ܫܢܘܗܝ ܐܝܟ ܐܪܝܐ ܥܠ ܬܒܪܐ[1]. ܘܢܗܡ ܗܘܐ ܒܕܡܘܬܐ ܕܚܝܘܬ ܫܢܐ ܦܪܘܣܬܐ ܠܨܗܝܬ ܠܕܡܐ. ܒܗ ܒܙܒܢܐ ܡܪܪܬܐ ܕܓܘܕܦܘܗܝ ܠܥܐ ܗܘܐ ܘܩܥܐ. ܀

ܩܕܝܫܐ ܕܝܢ ܟܕ ܐܬܩܪܒ ܠܘܬ ܡܒܘܥܐ ܗܘ: ܐܬܓܚܢ ܠܡܨܠܝܘ ܟܕ ܒܟܐ ܗܘܐ. ܘܗܟܢ ܡܠܠ ܐܡܪ ܗܘܐ. ܐܘ ܡܫܝܚܐ ܕܩܒܠܬܢܝ ܡܢ ܡ̈ܝܐ: ܩܒܠܝܢܝ ܒܡܢܝܢܐ ܕܡܥܡ̈ܕܐ. ܘܠܘܩܒܠ ܡܒܘܥܐ ܗܢܐ ܬܘܒ ܦܬܚ ܠܝ ܬܪܥܐ ܕܐܥܘܠ ܠܘܬ ܣܗ̈ܕܝܟ: ܘܐܬܗܘܐ ܫܘܬܦܐ ܒܟܢܘܫܬܐ ܕܐܬܠܝ̈ܛܝܟ. ܗܐ ܡܩܪܒ ܐܢܐ ܠܟ ܕܡܐ ܕܝܠܝ ܩܘܪܒܢܐ ܕܟܝܐ: ܩܒܠܝܢܝ ܠܪܝܚܐ ܒܣܝܡܐ ܘܠܢܝܚܐ ܕܪ̈ܚܡܝܟ. ܘܥܡ ܓܘܕܐ ܕܚܒܪ̈ܝ ܢܨ̈ܘܚܐ: ܗܢܘܢ ܕܚܘܝܬ ܠܝ ܕܡܫܒܚܝܢ ܗܘܘ ܠܟ ܒܐܘܕܝ̈ܬܗܘܢ: ܐܫܘܝܢܝ ܐܦ ܠܝ ܡܪܝ ܕܐܫܒܚܟ ܘܐܡܪ. ܐܥܘܠ ܠܘܬ ܡܕܒܚܗ ܕܐܠܗܐ: ܘܠܘܬ ܐܠܗܐ ܕܡܚܕܐ ܛܠܝܘܬܝ. ܘܐܘܕܐ ܠܟ ܒܟܢܪܐ ܐܠܗܐ

[1] *in voce* ܬܒܪܐ *litteræ* ܒ *et* ܪ *afficiuntur signo* Zeqofo.

mactator pravus et (homo) magis perditus! Pater autem ejus, dum ista audiebat, magis exacerbatus est et frendebat dentibus suis, sicut leo in prædam; et rugiebat in similitudinem feræ dentis perniciosi, siti inflammatæ ad sanguinem. Simul fel conviciorum suorum eructabat et clamabat.

ferventi ad Christum oratione se ad mortem offert

13. Sanctus autem, ubi venit ad fontem istum, procubuit ad orandum cum lacrimis, et sic rogabat : *O Christe, qui suscepisti me ex aquis, accipe me in numerum baptizatorum, et juxta hunc fontem iterum aperi mihi portam ut ingrediar ad martyres tuos, et fiam particeps cœtus athletarum tuorum. Ecce offero tibi sanguinem meum, donum purum : accipe me in odorem suavitatis et in requiem amicorum tuorum et cum turma sodalium meorum triumphantium, quos ostendisti mihi, qui laudabant te in canticis suis. Dignum fac etiam me, Domine, ut laudem te et dicam : Veni ad altare Dei, et ad Deum qui lætificat juventutem meam; et confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus* (1). *Et huic*

(1) Psalm. XLII, 4.

ܐܠܗܝ. ܘܠܗܝܢܐ ܕܪܕܘܦܐ ܡܠܝܠܐ ܘܐܒܐ[1] ܕܢܟܝܠܐ : ܠܐ ܬܚܫܘܒ ܠܗ ܚܛܝܬܐ ܗܕܐ . ܠܐܡܐ ܕܝܢ ܕܝܠܕܬܢܝ : ܘܥܠ ܒܘܪ̈ܟܝܗ̇ ܐܬܪܒܝܬ : ܥܒܕ ܕܬܗܘܐ ܠܝ ܚܬܐ ܡܢ ܐܡܐ ܚܕܬܐ ܡܥܡܘܕܝܬܐ . ܘܐܡܐ ܒܫܪܪܐ : ܐܦ[2] ܫܘܬܦܬܐ ܒܦܘܪ̈ܥܢܐ ܗ̇ܢܘܢ ܕܢܛܝܪܝܢ ܠܕܚܠܝܢ ܠܟ . ܘܠܟܠ ܡܢ ܕܡܛܠ ܫܡܟ ܢܩܪܐ ܠܫܡܐ ܕܝܠܝ : ܘܢܥܒܕܘܢ ܕܘܟܪܢܝ ܒܫܡܟ : ܗܘܝ ܥܕܘܪܐ ܒܒܥܘ ܡܢܟ ܡܪܝ : ܡܦܝܣܢܐ ܕܒܥ̈ܘܬܐ . ܘܡܚܕܬܢܐ ܘܐܣܝܐ ܕܢܦܫ̈ܬܐ ܘܕܦܓܪ̈ܐ . ܘܒܘܪܟܬܐ ܬܫܪܐ ܒܡܥܡܪ̈ܝܗܘܢ . ܘܢܬܦܪܩܘܢ ܡܢ ܒܝܫܐ ܘܫܘܠܛܢܗ . ܘܢܦܫ̈ܬܗܘܢ ܢܬܚܣܝܢ . ܗܐ ܡܬܢܣܟ ܠܟ ܕܡܝ ܘܕܒܚܐ ܕܚܘܫܒܝ : ܡܛܠ ܕܥܒܕܬܢܝ ܠܟ ܦܠܚܐ : ܘܐܣܩܬܢܝ ܡܢ ܗܘܬܐ ܥܡܝܩܬܐ : ܘܓܠܝܬ ܒܝ ܫܪܪܟ : ܘܥܒܕܬܢܝ ܟܪܘܙܟ : ܘܠܐ ܣܠܬ ܠܟ ܡܢ ܛܢܦܘܬܝ. ܘܠܐ ܓܚܢܬ ܪܒܘܬܟ ܡܢ ܙܥܘܪܘܬܝ. ܐܝܟ ܐܡܪܐ ܠܢܟܣܬܐ

[1] cod. ܘܐܒܐ ܡܠܝ̈ܠܐ. — [2] ܐܦ hic delendum videtur, utpote in codice lineis transversis notatum.

persecutori præcipiti et patri perfido ne imputes peccatum hoc. Matri autem quæ peperit me et super cujus genua adolevi, fac ut fiat mihi soror ex matre nova, baptisterio (1), *et mater in veritate, et particeps remunerationum illarum quæ reservantur timentibus te. Et omnibus qui propter nomen tuum invocaverint nomen meum et fecerint memoriam mei in nomine tuo, sis adjutor, obsecro te, Domine, exauditor precum, instaurator et curator animarum et corporum; et benedictio maneat in habitationibus eorum, et liberentur a maligno et a potestate ejus, et animæ eorum expientur. Ecce libatur tibi sanguis meus et sacrificium cogitationum mearum, propterea quod fecisti me tibi cultorem, et retraxisti me de lacu profundo, et revelasti in me veritatem tuam, et fecisti me præconem tuum, et fastidio non habuisti immunditiam meam, et non aversata est magnitudo tua parvitatem meam. Sicut agnus ad macta-*

(1) Baptisterium, quod nomen in lingua syriaca est generis feminini, exhibetur hic ut nova mater christianorum, quippe quos, ex aqua regeneratos, novæ vitæ peperit.

ܗܐ ܦܫܛܬ ܨܘܪܝ ܡܛܠܬܟ. ܗܘܝܬ ܗܟܝܠ ܠܐܚ̈ܝ ܢܘܟܪܝܐ. ܘܐܟܣܢܝܐ ܠܒܢ̈ܝ ܐܡܝ. ܐܝܟܐ ܐܝܬܝܟܘܢ ܚܒܪ̈ܝ ܪ̈ܚܡܐ: ܬܘ ܚܙܘ ܐܬܟܬܫܝ ܕܥܠ ܟܪܘܙܘܬܟܘܢ. ܬܘ ܐܬܒܣܡܘ ܒܦܐܪܐ ܕܬܠܡܝܕܘܬܟܘܢ. ܗܐ ܒܫܪܪܐ ܕܪܟ ܐܙܠ ܐܢܐ ܠܐܘܪܚܐ ܗܝ ܕܕܪܟܬܘܢ ܠܝ: ܬܘ ܗܘܘ ܥܡܝ ܫܘ̈ܫܒܝܢܐ ܒܚܠܘܠܝ: ܘܚܕܘ ܥܡܝ ܒܡܫܬܘܬܐ ܕܕܡܐ ܕܠܝ ܡܛܝܒܐ. ܡܢ ܗܘ ܛܫܝ ܡܢܟܘܢ ܝܘܡܐ ܕܡܟܘܪܘܬܝ. ܙܒܢܐ ܗܘ ܕܒܗ ܡܬܒܚܪܝܢ ܪ̈ܚܡܐ. ܝܘܡܐ ܗܘ ܕܡܬܩܪܝܢ ܒܗ ܚܒ̈ܝܒܐ. ܡܢ ܕܝܢ ܚܘܝܟܘܢ ܩܪܒܐ ܕܩܐܡ ܠܝ: ܘܐܫܬܘܬܦܬܘܢ ܥܡܝ ܒܙܟ̈ܘܬܝ. ܫܠܡܘ ܒܫܠܡܐ.. ܘܨܠܘ ܥܠܝ ܕܐܫܬܘܐ ܠܚܙܬܟܘܢ ܒܡܫܬܘܗ ܕܚܬܢܐ ܫܡܝܢܐ. ܫܠܡܝ ܒܫܠܡܐ ܐܡܐ ܕܝܠܕܬܢܝ. ܘܟܪܣܐ ܕܛܥܢܬܢܝ. ܫܠ̈ܡܝܢ ܒܫܠܡܐ ܒܘ̈ܪܟܐ ܕܪܒܝܘܢܝ[1]: ܘܬ̈ܕܝܐ ܕܐܝܢܩܘܢܝ. ܫܠܡܘ ܒܫܠܡܐ ܐܚ̈ܝ.. ܒܢ̈ܝ ܐܡܝ. ܠܘ ܕܝܢ ܐܦ ܡܢ ܟܪܣܐ ܕܡܥܡܘܕܝܬܐ ܐܚ̈ܐ ܗܘܝܬܘܢ ܠܝ. ܀

[1] *legendum videtur* ܕܪ̈ܒܝܢܝ.

tionem ecce præbeo collum meum propter te. Factus sum igitur fratribus meis alienus, et peregrinus filiis matris meæ (1). *Ubi estis, sodales mei dilecti? Venite, videte certamen meum, quod est propter prædicationem vestram; venite, delectamini fructu institutionis vestræ: ecce revera pergo calcans viam illam quam calcare me fecistis. Venite, estote mecum pronubi in nuptiali convivio meo, et lætamini mecum in epulo sanguinis mihi præparato. Quis, quæso, abscondit a vobis diem desponsationis meæ? Tempus est jam quo probentur amici, dies quo invitentur dilecti. Quis ostendit vobis pugnam quæ prostat mihi, et communicastis mecum in victoriis meis? Quiescite in pace, et orate pro me, ut fiam dignus visione vestri in convivio sponsi cœlestis. Quiesce in pace, mater quæ peperisti me, et venter qui portavit me; quiescite in pace, genua in quibus adolevi et ubera quæ lactaverunt me. Quiescite in pace, fratres mei, filii matris meæ. Utinam ex utero baptisterii fratres efficiamini mihi!*

et caris omnibus valedicit.

(1) Psalm. xxxviii, 13.

ܟܕ ܗܠܝܢ ܘܕܐܟܘܬܗܝܢ ܗܠܝܢ ܡܨܠܐ ܗܘܐ ܩܕܝܫܐ : ܘܠܘܬ ܐܠܗܐ ܒܬܢܚܬܐ ܕܡܪܝܪܘܬܐ ܒܟܐ ܗܘܐ. ܐܕܪܟܗ ܐܒܘܗܝ, ܐܝܟ ܐܪܝܐ ܕܨܗܐ ܠܛܪܦܐ. ܘܐܪܟܢ ܪܫܗ ܥܠ ܟܐܦܐ ܗܝ, ܕܥܠܝܗ ܣܡܝܟ ܗܘܐ : ܘܢܟܣܗ ܐܝܟ ܐܡܪܐ ܒܣܟܝܢܐ ܕܒܐܝܕܗ. ܘܐܫܕ ܕܡܗ ܥܠ ܟܐܦܐ ܗܝ. ܗܘ ܕܝܢ ܟܕ ܡܬܦܠܦܠ ܒܕܡܐ ܕܢܦܫܗ. ܩܥܐ ܗܘܐ ܥܡ ܪܕܝܐ ܕܕܡܗ ܘܐܡܪ. ܡܫܝܚܐ ܡܪܝ ܒܐܝܕܝܟ ܡܓܥܠ ܐܢܐ ܪܘܚܝ. ܐܒܘܗܝ ܕܝܢ ܗܦܟ ܠܒܝܬܗ : ܟܕ ܠܠܝܐ ܡܢ ܟܒܪ ܗܘܐ. ܐܚܘܗܝ ܕܝܢ ܘܗܢܘܢ ܕܣܡܝܟܝܢ : ܗܦܟܘ ܩܕܡ ܕܬܫܒܠ ܫܒܬܐ. ܘܟܕ ܣܒܪ ܐܢܘܢ ܠܘܝ ܥܠ ܩܛܠܗ ܕܐܫܝܪ : ܘܚܘܝ ܠܗܘܢ ܣܟܝܢܐ ܕܡܛܘܫܐ ܒܕܡܗ : ܐܒܠܐ ܪܒܐ ܥܒܕܘ ܘܡܪܩܕܬܐ ܚܣܝܢܬܐ. ܐܡܗ ܕܝܢ ܟܕ ܡܬܡܪܡܪܐ ܗܘܬ ܘܐܒܝܠܐ : ܡܬܠܒܒܐ ܗܘܬ ܗܘ̇ ܠܗ̇ ܒܡܠܐ ܐܠܝܢ ܕܐܫܬܥܝ ܠܗ̇ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ. ܘܡܣܟܝܐ ܗܘܬ ܕܠܐܡܬܝ ܬܫܟܚ ܦܠܚܐ : ܘܬܥܡܕ, ܘܬܗܝܡܢ ܒܡܫܝܚܐ. ܡܣܒܪܐ ܗܘܬ ܓܝܪ ܕܟܕ ܒܗܝܡܢܘܬܗ ܕܩܕܝܫܐ ܡܝܬܐ ܗܘܬ : ܬܫܬܘܬܦ ܠܢܝܚܗ

Occiditur a patre suo,

14. Quum hæc et similia oraret Sanctus et coram Deo cum gemitu dolenter ploraret, assecutus est eum pater ejus, sicut leo qui sitit in prædam, et declinavit caput ejus super lapidem illum in quo recumbebat, et jugulavit eum sicut agnum cultro quem manu tenebat, et effudit sanguinem ejus super lapidem istum. Ipse autem conspersus proprio sanguine, clamabat cum fluxu sanguinis sui, et dicebat : *Christe, Domine mi, in manus tuas commendo spiritum meum.* Pater vero ejus rediit domum, nocte jam pridem facta. Fratres autem ejus et illi qui recumbebant, reversi erant antequam inciperet sabbatum. Et ubi annuntiavit eis Levi occisionem Ascher et ostendit eis cultrum fœdatum sanguine ejus, planctum fecerunt magnum et luctum vehementem. Mater autem ejus, mœrens et lugens, animos addebat sibi per verba illa quæ narraverat ipsi Abdu 'l Masich, et exspectabat ut aliquando inveniret opportunitatem et baptizaretur et crederet in Christum; credebat enim fore ut, quum in fide ipsius Sancti moreretur,

et a matre ploratur.

ܕܢܣܘܒܟܗ̇ ܒܚܝܐ ܕܠܐ ܥܒܪܝܢ. ܗ̇ܝ ܕܒܬܪ ܙܒܢܐ ܟܕ ܐܬܒܢܝ ܒܝܬ ܨܠܘܬܐ ܥܠ ܓܪ̈ܡܘܗܝ ܕܣܗܕܐ: ܐܬܬ ܘܥܡܕܬ ܒܛܘܫܝܐ ܠܘܬ ܩܒܪܗ ܕܚܒܝܒܗ̇. ܀

ܘܠܝܘܡܐ ܐܚܪܢܐ ܟܕ ܨܦܪܐ ܕܫܒܬܐ ܗܘܐ: ܐܬܘ ܛܠܝ̈ܐ ܗ̇ܢܘܢ ܠܡܫܩܝܘ ܠܓܙ̈ܪܝܗܘܢ ܐܝܟ ܥܝܕܐ. ܘܚܙܘ ܠܫܠܕܗ ܕܡܪܝ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ ܟܕ ܫܕܐ: ܘܢܟܝܣ ܐܝܟ ܐܡܪܐ ܘܡܦܠܦܠ ܗܘܐ ܒܕܡܗ. ܘܐܪܝܡܘ ܩ̈ܠܝܗܘܢ ܒܒܟܝܬܐ ܘܒܟܐܒܐ ܡܪܝܪܐ: ܘܡܚܝܢ ܗܘܘ ܥܠ ܐܦ̈ܝܗܘܢ: ܘܡܨܪܝܢ ܗܘܘ ܡܐ̈ܢܝܗܘܢ: ܘܡܝܠܠܝܢ ܗܘܘ ܟܕ ܐܡܪܝܢ. ܐܘ ܐܡܪܐ ܕܟܝܐ ܘܕܠܐ ܡܘܡܐ ܕܡܫܝܚܐ: ܡܢܘ ܚܣܡ ܒܫܘܦܪܟ. ܘܡܢܘ ܚܒܠ ܦܐܝܘܬܟ. ܡܢ ܛܢܦ ܐܝܕܗ ܒܕܡܟ ܩܕܝܫܐ.. ܐܘ ܐܚܘܢ ܪܚܝܡܐ ܘܚܒܝܒܐ. ܡܢܘ ܓܠܙ ܠܢ ܡܢ ܚܒܪܘܬܟ.. ܐܘ ܝܠܕܐ ܕܟܪܘܙܘܬܢ: ܘܦܐܪܐ ܪܓܝܓܐ ܕܡܠܦܢܘܬܢ: ܐܦ ܩܘܪܒܢܐ ܒܟܘܪܐ.. ܕܒܐܝ̈ܕܝܢ ܡܚ̈ܝܠܬܐ ܐܬܬܫܡܫ ܠܡܫܝܚܐ. ܡܢ ܕܝܢ ܚܘܝ ܠܢ ܐܢ ܐܨܛܒܝ ܡܪܟ ܒܟܘܠܠܟ. ܗ̇ܘ ܕܐܬܚܫܚ ܡܢ ܠܟܘܢ ܕܢܘܗܪܐ ܕܐܝܟ ܐܬܬܓܠܝ. ܗܘ ܗ̇ܘܐ ܠܟ ܬܪܥ ܫܠܡ

digna fieret visione dilecti sui in vita quæ non transit. Ipsa postea, quando ædificatum est oratorium super reliquias martyris, venit et baptizata est secreto ad sepulcrum dilecti sui.

Plangunt eum juvenes sodales ejus,

15. Et altero die, quum mane esset sabbati, venerunt juvenes illi ad adaquandos greges suos, pro consuetudine, et viderunt cadaver sancti Abdu 'l Masich, projectum et mactatum sicut agnum; et conspersum erat sanguine suo. Et levaverunt voces suas in fletu et in dolore amaro; et percutiebant facies suas, et scindebant vestimenta sua, et ejulabant dicentes : *O agne pure et immaculate Christi, quis zelotypia prosecutus est decorem tuum, et quis peremit speciem tuam? Quis fœdavit manum suam sanguine tuo sancto? O frater noster care et dilecte, quis defraudavit nos consortio tuo? O fetus prædicationis nostræ, et fructus optabilis institutionis nostræ, et oblatio primitiva, quæ per manus nostras infirmas ministrata est Christo, quis ostendit nobis si complacuit sibi Dominus tuus in coronatione tua? Ille qui*

ܐܚܐ[1] : ܘܠܢ ܕܝܠܢ ܡܒܝܐܢܐ. ܘܕܗܫܐ ܐܬܓܠܙܢ ܡܢ ܢܘܬܟ ܗܢܝܐ ܐܘ ܥܒܕܗ ܕܡܫܝܚܐ ܘܣܗܕܐ ܡܣܪܗܒܐ : ܒܥܝ ܥܠܝܢ ܡܢ ܡܪܟ ܗܘ ܕܗܫܐ ܩܪܝܒ ܐܢܬ ܠܗ : ܕܢܫܘܐ ܠܢ ܠܚܙܬܟ ܒܡܫܬܘܬܐ ܕܚܠܘܠܟ ܗܘ ܪܒܐ : ܘܢܛܟܣ ܠܢ ܥܡܟ ܐܡܬܝ ܕܒܣܕܪܝܗܘܢ ܕܩܕܝܫܐ ܣܗ̈ܕܐ ܡܬܚܠܛ ܐܢܬ : ܘܠܡܫܝܚܐ ܦܓܥ ܐܢܬ ܒܓ̈ܠܝܢ ܐܦ̈ܝܟ : ܐܦ ܚܢܢ ܥܡܟ ܢܬܒܣܡ . ܀

ܘܟܕ ܗܠܝܢ ܘܕܐܟܘܬܗܝܢ ܐܢܝܢ ܗܘܘ ܘܒܟܝܢ : ܚܕ ܚܕ ܡܢܗܘܢ ܒܪܫ ܚܘܛܪܗ ܚܦܪܘ . ܘܒܕܡܘܬ ܩܒܪܐ ܥܒܕܘ : ܘܟܪܟܘܗܝ، ܠܩܕܝܫܐ ܒܡܪܛܘܛܝܗܘܢ : ܘܣܡܘܗܝ، ܒܦܘܪܐ ܗܘ ܕܥܒܕܘ : ܥܡ ܥܦܪܐ ܗܘ ܕܒܕܡܗ ܕܐܬܠܝܛܐ ܡܦܠܦܠ ܗܘܐ : ܟܕ ܒܟܝܢ ܗܘܘ ܪܚܡܢܐܝܬ ܒܐܒܠܐ ܪܒܐ . ܘܐܪܝܡܘ ܐܝܕܝܗܘܢ ܠܘܬ ܫܡܝܐ ܘܐܡܪܘ . ܬܘܒ ܠܒܒܢ ܡܫܝܚܐ ܕܢܩܪܝܟ . ܫܡܥ ܐܦ ܗܫܐ ܘܥܢܝ ܠܢ . ܘܟܠܡܐ ܕܦܐܐ ܕܢܬܥܒܕܘܢ ܥܠ ܫ̈ܠܕܐ ܕܩܕ̈ܝܫܝܟ ܒܥܡܟ : ܥܒܕ ܕܢܗܘܐ ܐܦ ܠܐ ܥܠ ܦܓܪܗ ܕܥܒܕܟ .

[1] *cod.* ܐܚ̈ܐ, *sed mendosum videtur.*

eduxit te de lacu miseriæ de quo narrasti, ipse tibi est ibi pro nobis frater, et nobis ipsis consolator. Et quum nunc defraudati simus conversatione tua suavi, o Abdu 'l Masich et martyr festinans, postula pro nobis a Domino tuo, cui nunc propinquior ades, ut dignos faciat nos visione tui in nuptiali convivio tuo illo magno, et componat nos tecum, quando ordinibus martyrum sanctorum sociaberis, et Christo occurres revelata facie tua; etiam nos tecum jucundemur.

et sepeliunt,

16. Et dum hæc et similia gemebant et plorabant, singuli fastigio baculi sui foderunt, et quasi sepulcrum fecerunt, et involverunt Sanctum palliis suis et posuerunt eum in aperturam illam quam fecerant, cum pulvere illo qui sanguine athletæ conspersus erat; interim flentes miserabiliter luctu vehementi. Et manus suas ad cœlum levaverunt, et dixerunt: *Iterum conforta nos, Christe, ut invocemus te. Audi etiam nunc, et responde nobis, et quidquid decet ut celebretur super*

ܘܦܓܠ ܢܥܡܗ ܒܠܒܘܫܐ ܕܬܪܥܝܬܗ. ܘܣܡܘܗ ܥܠ ܡܥܪܬܐ
ܠܟܐܦܐ ܗܝ ܕܥܠܝܗ ܐܬܢܟܣ: ܘܫܢܘ ܟܕ ܐܟܠܝܢ ܘܒܟܝܢ
ܡܪܝܪܐܝܬ. ܗܠܝܢ ܥܒܕܘ ܛܠܝ̈ܐ ܗܢܘܢ: ܡܛܠ ܕܩܪܝܒ
ܗܘܐ ܪܡܫܐ: ܘܚܘܪܒܐ ܗܘܐ ܐܬܪܐ ܗܘ. ܘܕܚܠܝܢ ܗܘܘ
ܕܠܡܐ ܟܕ ܢܗܘܐ ܠܥܠ ܡܢ ܐܪܥܐ: ܢܬܐܟܠ ܡܢ ܚܝܘܬܐ ܗܘ
ܦܓܪܐ ܩܕܝܫܐ. ܘܡܢ ܬܡܢ ܫܢܘ ܠܗܘܢ: ܟܕ ܡܠܝܢ ܚܫܐ
ܘܟܪܝܘܬܐ. ܠܐ ܐܢܫ ܕܝܢ ܡܢܗܘܢ ܓܠܐ ܠܐܒܗ̈ܘܗܝ ܡܕܡ
ܕܗܘܐ. ܕܕܚܠܝܢ ܗܘܘ ܕܠܡܐ ܬܐܬܐ ܥܠܝܗܘܢ ܬܪܥܘܬܐ
ܕܩܛܠܗ ܕܩܕ̄: ܡܛܠ ܕܗܘܘ ܠܗ ܥܠܬܐ. ܘܒܟܠܝܘܡ ܠܘܬ ܡܥܪܬܐ
ܐܬܝܢ ܗܘܘ: ܘܡܟܢܫܝܢ ܗܘܘ ܟܢ̈ܫܐ ܒܐܘܠܝܬ̈ܐ ܘܒܟܝܐ
ܡܪܝܪܐ.

ܒܬܪ ܕܝܢ ܝܘ̈ܡܬܐ ܙܥܘܪܐ: ܐܬܬ ܫܝܪܬܐ ܕܬܓܪ̈ܐ ܡܢ
ܡܕܢܚܐ: ܘܠܡܥܪܒܐ ܥܒܪܐ ܗܘܬ ܒܠܠܝܐ: ܒܐܘܪܚܐ ܗܝ
ܕܩܪܝܒܐ ܗܘܬ ܠܩܒܪܗ ܕܩܕ̄. ܘܚܙܝܢ ܗܘܘ ܬܐܓܪ̈ܐ
ܒܗܝ ܦܢܝܬܐ: ܢܘܗܪܐ ܒܗ ܡܬܢܨܚܐ ܘܡܬܦܠܓܐ ܗܘܬ ܥܠ

cadavera baptizatorum in nomine tuo, concede ut fiat etiam super corpus servi tui, et suscipe animam ejus secundum dispositionem mentis ejus. Et posuerunt super sepulcrum lapidem ipsum super quem jugulatus fuerat; et recesserunt plangentes et plorantes amare. Hæc fecerunt juvenes isti, quia prope erat vespera, et deserta regio illa; et timebant ne forte, dum maneret in superficie terræ, devoraretur a feris istud corpus sanctum. Et inde recesserunt pleni dolore et mœstitia. Nemo autem ex eis revelavit parentibus suis quidquam eorum quæ facta fuerant : timebant enim ne veniret super se accusatio occisionis Sancti, propterea quod occasio ei fuerant (1). Et quotidie ad sepulcrum veniebant, et congregabant turmas cum lamentis et fletu amaro.

necem ejus tacentes.

17. At post dies paucos venit caterva mercatorum ex Oriente, et versus Occidentem transibat noctu per viam illam quæ vicina erat sepulcro Sancti. Et prospicientes, videbant mercatores in plaga ista

Prodigioso splendore moniti,

(1) Per baptismum adolescenti collatum.

ܡܢܗܪܐ . ܘܠܟܠܗ̇ ܦܩܥܬܐ ܐܝܟ ܕܠܡܐܡܪ ܡܢܗܪܐ ܗܘܬ
ܒܙ̈ܠܝܩܝܗ̇. ܐܢܫܐ ܕܝܢ ܡܢ ܬܐܓܪ̈ܐ ܐܬܘ ܠܡܚܙܝܗ
ܬܕܡܘܪܬܐ ܗܝ ܪܒܬܐ . ܘܟܕ ܡܛܝܘ ܠܘܬ ܩܒܪܐ : ܚܙܘ
ܠܟܐܦܐ ܗܝ : ܕܙ̈ܠܝܩܐ ܢܦܩܝܢ ܡܢ ܬܚܘܬܝܗ̇ ܐܝܟ ܫܡܫܐ .
ܘܢܫܡܝܢ ܗܘܘ ܡܢ ܙ̈ܠܝܩܐ ܗ̇ܢܘܢ : ܪܝܚܐ ܒܣܝܡܐ ܘܚܠܝܐ :
ܕܝܬܝܪ ܡܢ ܟܠ ܗܪ̈ܘܡܝܢ ܡܚܡܣܝܢ ܠܣܘܡܐ. ܘܡܛܠ ܕܟܪ̈ܣܛܝܢܐ
ܐܝܬܝܗܘܢ ܗܘܘ : ܡܢ ܥܡ̈ܡܐ ܛܝܝܐ ܗ̇ܢܘܢ ܕܒܡܥܪܒܐ :
ܐܬܒܝܢܘ ܒܡܚܫܒܬܗܘܢ : ܘܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܚܕ ܠܚܕ . ܣܝܡܬܐ
ܗܝ ܗܪܐ ܪܒܬܐ ܕܚܕ ܡܢ ܩܕ̈ܝܫܐ : ܕܠܐ ܐܬܝܕܥ ܠܐܢܫ ܡܢ
ܒ̈ܢܝ ܐܬܪܐ ܗܢܐ. ܬܘ ܢܓܢܒܝܘܗܝ ܘܢܫܩܠܝܘܗܝ ܠܐܬܪܢ : ܘܢܬܬܓܪ
ܡܢܗ ܡܘܬܪ̈ܢܐ ܪ̈ܘܚܢܝܐ . ܡܫܝܚܐ ܓܝܪ ܗܘ ܕܒܗ
ܡܗܝܡܢܝܢ : ܗܘܝܘ ܚܘܝܗ ܘܓܠܝܗ ܠܢ. ܡܛܠ ܕܨܒܐ ܕܒܗ ܢܥܬܪ
ܠܢ : ܐܝܟ ܕܒܫܪܟܐ ܕܓܪ̈ܡܐ ܕܩ̈ܕ . ܘܐܪܝܡܘ ܠܥܦܪܐ ܡܢ
ܩܒܪܐ : ܘܥܓܠܘ ܠܟܐܦܐ : ܘܫܩܠܘ ܠܦܓܪܗ ܕܩܕܝܫܐ ܟܕ
ܡܦܠܦܠ ܒܕܡܐ . ܘܐܫܬܘܕܥܘܗܝ ܕܛܠܝܐ ܗܘ : ܘܕܡܢ ܩܕܡ
ܩ̈ܠܝܠ ܝܘܡܬܐ ܐܬܩܛܠ . ܘܫܩܠܘܗ ܡܬܓܪ̈ܢܘܬܗܘܢ ܘܦܢܘ

ignem fulgentem ; et ardebat super sepulcrum, ita ut quasi illuminaret omnem campum radiis suis. Quidam autem e mercatoribus iverunt ad videndum prodigium hoc magnum; et ubi pervenerunt ad sepulcrum, viderunt lapidem illum, de quo radii procedebant sicut sol, et respirabant ex radiis istis odorem suavem et dulcem qui superabat omnia aromata odoratui jucunda. Et quoniam christiani erant, e gentibus Arabibus illis quæ in Occidente sunt, intellexerunt cogitationibus suis, et dixerunt ad invicem : *Thesaurus est hic magnus, unius e sanctis, qui non innotuit ulli e filiis loci hujus. Venite, surripiamus eum, et tollamus eum in regionem nostram, et comparemus nobis ex eo lucra spiritualia. Christus enim, in quo credimus, ipse ostendit eum et revelavit eum nobis, quia voluit divites per eum nos efficere, sicut ossibus ceteris sanctorum.* Et abstulerunt pulverem e sepulcro, et revolverunt lapidem, et tulerunt corpus sancti conspersum sanguine, et agnoverunt eum esse adolescentem et a diebus paucis occi-

corpus reperiunt mercatores.

ܘܠܒܫܘܗܝ܆ ܟܕ ܚܕܝܢ. ܘܪܗܛܘ ܡܣܪܗܒܐܝܬ ܠܘܬ ܡܘܒܠܬܐ ܕܚܒܪ̈ܝܗܘܢ. ܘܐܬܦܢܝܘ ܗܘܘ ܠܒܣܬܪܗܘܢ܆ ܘܚܙܘ ܕܗܘ ܢܘܪܐ ܕܡܙܠܓܐ ܗܘܬ܆ ܗܘ܂ ܟܕ ܗܘ ܐܝܬܘܗܝ ܕܫܩܝܠܝܢ ܠܗ. ܘܐܫܬܪܪܘ ܒܗܝܡܢܘܬܗܘܢ܆ ܡܛܠ ܚܝܠܘܬܗ ܕܣܗܕܐ. ܀

ܚܕ ܕܝܢ ܡܢܗܘܢ ܥܬܝܪ ܗܘܐ ܒܩܢܝ̈ܢܐ܆ ܘܡܣܓܝܐ ܒܢܟ̈ܣܐ. ܘܫܡܗ ܗܘܐ ܢܣܛܝܪ. ܘܐܢܬܬܗ ܥܩܪܬܐ ܗܘܬ ܘܡܪܝܪܬ ܢܦܫܐ ܡܛܠ ܥܩܪܘܬܗ. ܘܒܬܐܢ̈ܚܬܐ ܘܬܢ̈ܚܬܐ ܢܕܪ ܢܕܪܐ ܓܠܝܐܝܬ ܩܕܡ ܚܒܪ̈ܘܗܝ܆ ܟܕ ܐܡܪ ܒܗ ܒܐܘܪܚܐ. ܕܐܢ ܝܗܒ ܠܝ ܡܪܝܐ ܒܪܐ ܕܟܪܐ܆ ܘܢܒܝܐܢܝ ܒܗܕܐ ܘܠܐܢܬܬܝ ܕܝܠܝ܆ ܐܒܢܐ ܠܗ ܠܩܕܝܫܐ ܒܝܬ ܨܠܘܬܐ ܡܢ ܩܢܝ̈ܢܐ ܕܝܠܝ܆ ܘܐܝܩܪ ܒܗ ܓܪ̈ܡܘܗܝ ܕܩܕܝܫܐ܆ ܒܟܠܗܘܢ ܝܘ̈ܡܬܐ ܕܚܝ̈ܝ܆ ܘܐܨܒܬܝܘܗܝ ܒܟܠܗܘܢ ܨܒ̈ܬܐ ܕܠܫܘܒܚܗ ܕܝܠܗ ܝܐܝܢ. ܘܠܗ ܠܩܕܝܫܐ ܐܡܢܝܘܗܝ ܠܝ ܒܒܢ̈ܝܐ܆ ܘܝܪܬܐ ܘܫܘܬܦܐ ܠܒ̈ܢܝ ܝܪܬܘܬܝ. ܘܡܐ ܕܐܬܒܥܝ ܥܠ ܫܡܗ ܕܣܗܕܐ܆ ܐܥܒܕ ܠܗ ܕܘܟܪܢܐ ܘܥܐܕܐ ܕܒܟܠܫ.

sum; et expanderunt pallia sua et operuerunt eum, et tulerunt eum gaudentes, et cucurrerunt festinanter ad turmam sodalium suorum. Porro converterunt se retrorsum, et viderunt illum ignem qui splendebat, eumdem esse quem portabant. Et confirmati sunt in fide sua propter miram potentiam martyris.

Quorum unus sterili uxori filium a martyre voto postulat,

18. Unus autem ex eis dives erat possessionibus et affluens opibus, et nomen ejus Nestir. Et uxor ejus sterilis erat et amaro animo propter sterilitatem suam. Et in gemitibus et suspiriis votum vovit ille palam coram sodalibus suis, dicens in via : *Si dederit mihi Dominus filium masculum, et per hoc consolatus fuerit me et conjugem meam, ædificabo Sancto oratorium ex possessionibus meis, et honorabo in eo ossa Sancti omnibus diebus vitæ meæ, et decorabo eum omnibus ornamentis quæ gloriæ ejus conveniant. Et Sanctum numerabo mihi inter filios, et heredem faciam et participem cum filiis hereditatis meæ. Et quum exquisiero de nomine martyris, faciam ei commemora-*

ܘܐܩܪܐ ܠܒܪܝ ܗܘ ܕܒܨܠܘܬܗ ܗܘܐ ܠܝ ܆ ܒܫܡܐ ܕܗܢܐ
ܩܕܝܫܐ . ܘܢܗܘܐ ܠܝ ܗܘ ܩܕܝܫܐ ܠܒܪܐ ܘܝܪܬܐ ܆ ܘܐܢܐ ܠܗ
ܬܠܡܝܕܐ ܘܥܒܕܐ . ܘܬܗܘܐ ܠܝ ܥܡܗ ܡܢܬܐ ܒܥܠܡܐ ܕܠܐ
ܥܒܪ . ܀

ܘܟܕ ܡܛܠܘ ܠܐܬܪܗܘܢ ܓܒܪܐ ܗܢܘܢ ܆ ܫܩܠܗ
ܠܦܓܪܗ ܕܩܕܝܫܐ ܡܗܝܡܢܐ ܗܘ ܆ ܘܐܥܠܗ ܥܡܗ ܠܒܝܬܗ
ܘܣܡܗ ܒܐܝܩܪܐ ܕܝܐܐ ܠܗ . ܘܐܫܬܥܝ ܠܒܢܝ ܒܝܬܗ ܐܝܠܝܢ
ܕܗܘܝ . ܘܕܦܪܫ ܦܘܪܫܢܐ ܠܐܠܗܐ ܘܢܕܪ ܢܕܪܐ ܒܫܡܗ ܕܡܪܝܐ
ܘܕܣܗܕܐ ܩܕ̄ . ܘܟܕ ܫܡܥܘ ܒ̈ܢܝ ܒܝܬܗ ܗܠܝܢ ܆ ܚܕܝܘ ܘܐܘܕܝܘ
ܘܫܒܚܘ ܠܐܠܗܐ . ܘܒܥܘ ܐܦ ܗܢܘܢ ܒܨܠܘܬܐ ܕܢܬܩܒܠ
ܢܕܪܐ ܆ ܘܬܬܩܒܠ ܒܥܘܬܐ ܒܝܕ ܫܘܐܠܗ ܕܣܗܕܐ . ܀ ܘܦܬܚ
ܐܠܗܐ ܡܪܒܥܐ ܕܐܢܬܬܐ ܒܗ ܒܝܘܡܐ ܗܘ ܆ ܘܒܛܢܬ ܒܝܕ
ܒܘܪܟܬܐ ܕܩܕܝܫܐ . ܘܗܘܬ ܚܕܘܬܐ ܪܒܬܐ ܠܟܠܗܘܢ
ܒ̈ܢܝ ܒܝܬܐ ܘܫܒ̈ܒܐ ܘܪ̈ܚܡܐ . ܘܫܒܚܘ ܠܐܠܗܐ ܥܠ ܐܦ
ܬܕܡܘܪܬܐ ܗܕܐ ܪܒܬܐ ܕܗܘܬ ܆ ܘܐܬܚܙܝܬ ܗܘܘ . ܫܪܝܪܐܝܬ
ܡܢܟ ܗܘ ܡܪܢܐ ܠܐܠܗܐ ܕܦܬܚ ܠܗ ܒܡܘܫܬܐ . ܗܕܡ

tionem et festum coronationis ejus, et vocabo filium meum illum quem per orationem ejus habebo, nomine hujus Sancti, et erit mihi ipse Sanctus in filium et in heredem, et ego ei ero discipulus et servus, et erit mihi cum eo pars in seculo quod non transit.

19. Quum igitur pervenissent ad regionem suam viri illi, tulit corpus Sancti credens iste; et introduxit illud in domum suam, et deposuit illud cum honore illi congruo; et narravit domesticis suis ea quæ facta fuerant, et se rem definitam Deo segregasse et vovisse votum in nomine Domini et martyris sancti. Et quum audissent familiares ejus hæc, gavisi sunt, et laudaverunt et glorificaverunt Deum. Et deprecati sunt etiam ipsi oratione ut susciperetur votum, et ut acceptaretur deprecatio per postulationem martyris. Et aperuit Deus vulvam mulieris die isto, et concepit per benedictionem Sancti, et fuit gaudium magnum omnibus familiaribus, vicinis et amicis, et glorificaverunt Deum propter prodigium hoc magnum quod conti-

et exauditus,

ܡܗܝܡܢܐ ܗܘ܆ ܣܪܗܒ ܘܒܢܐ ܗܝܟܠܐ ܫܦܝܪܐ ܠܥܡܘܪܗ ܕܩܕܝܫܐ܂ ܘܒܝܘܡܬܐ ܙܥܘܪܐ ܫܟܠܠܗ ܒܟܠܗܘܢ ܨܒܬܐ ܕܫܦܝܪ ܗܘܘ ܠܗ܂ ܘܥܒܕ ܬܡܢ ܡܕܒܚܐ ܠܡܪܝܐ܂ ܘܠܗ ܪܗܛܝܢ ܗܘܘ ܒܢܝ ܒܝܬܗ ܕܢܨܠܘܢ܆ ܘܡܣܟܝܢ ܗܘܘ ܠܫܘܡܠܝܐ ܕܫܐܠܬܐ[1]܂ ܘܕܢܬܝܕܥ ܠܗܘܢ ܫܡܗ ܕܐܬܠܝܛܐ܂ ܀

ܛܠܝܐ ܕܝܢ ܗܠܝܢ ܚܒܪܘܗܝ ܕܩܕܝܫܐ܆ ܟܕ ܐܬܘ ܐܝܟ ܥܝܕܗܘܢ ܠܡܫܬܝܐ ܒܚܕ ܒܫܒܐ ܗܘ ܕܒܬܪ ܩܒܘܪܗ܆ ܘܚܙܘ ܠܟܐܦܐ ܕܡܬܥܓܠܐ ܡܢ ܩܒܪܐ ܘܫܩܝܠ ܦܓܪܐ܆ ܘܥܦܪܐ ܒܠܚܘܕܘܗܝ ܐܫܬܒܩ ܗܘܐ ܗܘ ܕܒܕܡܐ ܡܦܠܦܠ ܗܘܐ܆ ܘܦܐܚ ܗܘܐ ܡܢܗ ܪܝܚܐ ܗܢܝܐ܆ ܬܡܗܘ ܡܚܕܐ ܘܗܘܘ ܒܬܕܡܘܪܬܐ܆ ܘܐܚܕܬ ܐܢܘܢ ܪܬܝܬܐ܂ ܘܐܬܒܠܘ ܒܬܢܚܬܐ ܒܩܠܐ ܪܡܐ ܘܒܒܟܝܬܐ ܡܪܝܪܬܐ܂ ܟܕ ܡܫܪܛܝܢ ܗܘܘ ܐܦܝܗܘܢ ܒܬܢܚܬܐ ܡܪܝܪܬܐ܂ ܟܕ ܚܕ ܐܡܪ ܗܘܐ

[1] *in margine legitur* ܕܫܐܠܐܬܐ, *in textu vero* ܕܫܐܠܬܐ *cum* revotso *sub* ܫ, *itemque supra* ܠ, *ac* zeqofo *sub* ܬ.

gerat. Et dicebant : *Vere prope est Dominus iis qui invocant eum in veritate* (1). Tunc credens ille festinavit et exstruxit ædem decoram in habitationem Sancti, atque intra dies paucos absolvit illam omnibus ornamentis ei congruis ; et constituit ibi altare Domino. Et ad illam alacres veniebant familiares ejus, ut orarent; et sperabant impletionem postulationis, et ut innotesceret sibi nomen athletæ. **ædem ei dedicat.**

20. Juvenes autem illi, sodales Sancti, quum venissent secundum consuetudinem suam ad potationem, prima die hebdomadis post sepulturam ejus, et vidissent lapidem revolutum esse a sepulcro et sublatum corpus, et pulverem solum reliquum qui sanguine conspersus fuerat, et quum spiraret ex eo odor suavis, obstupuerunt subito et fuerunt in admiratione; et apprehendit eos tremor, et lamentati sunt gemendo voce alta et fletu amaro. Quum lacerarent facies suas cum suspiriis amaris, unus dicebat bestiam comedisse (corpus) **Sodales corpus raptum dolent.**

(1) Psalm. CXLIV, 18.

ܕܚܝܘܬܐ ܐܟܠܬܗ . ܐܚܪܢܐ ܕܝܢ ܕܠܟܪ̈ܣܛܝܢܐ ܓܢܒܘܗܝ . ܐܚܪܢܐ ܕܝܢ ܐܡܪ ܗܘܐ : ܕܐܒ̈ܗܘܗܝ ܫܩܠܘܗܝ ܠܡܩܒܪܗ . ܀ ܗܝܕܝܢ ܟܕ [1]ܬܡܝܗܝܢ ܒܬܘܗܪܐ ܪܒܐ : ܟܠܚܕ ܡܢܗܘܢ ܠܒܝܬ ܐܒ̈ܗܘܗܝ ܐܙܠ . ܘܐܘܕܥܘ ܚܬܝܬܐܝܬ ܠܐܒ̈ܗܝܗܘܢ ܠܟܠܗ ܬܫܥܝܬܗ ܕܩܕܝܫܐ : ܘܐܝܟܢ ܐܥܡܕܘܗܝ : ܘܐܝܠܝܢ ܐܫܬܥܝ ܠܗܘܢ ܗܿܘ ܐܬܠܝܛܐ : ܘܐܝܟܢܐ ܛܫܝܘܗܝ . ܩܕܡ ܗܘܐ ܕܝܢ ܢܦܩ ܗܘܐ ܠܛܒܐ ܒܟܠܗ ܐܬܪܐ ܗܿܘ . ܕܠܘܝ ܝܗܘܕܝܐ ܩܛܠ ܠܒܪܗ : ܥܠ ܕܗܘܐ ܟܪܣܛܝܢܐ . ܘܡܢ ܛܒܐ ܗܢܐ : ܘܡܢ ܬܫܥܝܬܐ ܕܛܠܝ̈ܐ : ܐܫܬܪܪܘ ܡܗܝܡܢܐ ܗܿܢܘܢ : ܕܣܗܕܐܝܬ ܐܬܩܛܠ ܐܫܝܪ ܡܢ ܠܘܝ ܐܒܘܗܝ . ܘܕܗܫܐ ܒܫܪܪܐ ܐܝܬܘܗܝ ܥܘܬܪܐ ܘܡܥܬܪܢܐ . ܐܫܝܪ ܓܝܪ ܥܘܬܪܐ ܡܬܦܫܩ . ܀

ܩܡܘ ܕܝܢ ܡܗܝܡܢܐ ܗܿܢܘܢ ܒܛܢܢܐ ܚܡܝܡܐ : ܘܐܬܟܢܫܘ ܘܐܙܠܘ ܠܕܘܟܬܐ ܗܿܝ . ܘܚܙܘ ܠܟܐܦܐ ܗܿܝ ܟܕ ܨܒܝܥܐ ܒܕܡܐ : ܘܠܩܕܫܐ ܗܿܘ ܕܕܗܒܐ ܟܕ ܩܒܝܥ ܗܘܐ ܒܗ̇ ܒܟܐܦܐ ܥܡ ܐܕܢܗ ܐܝܟ ܕܠܬܚܘܡܬܐ . ܘܐܬܟܪܝܘ ܗܘܘ.

[1] *cod.* ܟܕ ܬܡܝ̈ܗܝܢ .

illud, alius autem a christianis raptum esse, alius vero parentes ejus abstulisse illud ad sepeliendum. Tunc, de tanta calamitate admirationem testantes, unusquisque eorum ad domum parentum suorum profectus est, et declararunt sedulo parentibus suis totam historiam Sancti, et quomodo baptizassent eum, et qualia narrasset ipsis athleta, et quomodo occultassent eum. Antea autem exierat fama in tota regione illa, quod Levi judæus occidisset filium suum, eo quod factus esset christianus. Et ob famam illam et narrationem juvenum certiores facti sunt fideles illi, quod tamquam martyr occisus fuerit Ascher a Levi patre suo, et quod jam in veritate factus sit divitiæ et ditans : *Ascher* enim *divitiæ* significat.

Sparsa vero fama martyrii,

21. Surrexerunt autem fideles illi zelo ferventes et convenerunt, et iverunt ad locum illum, et viderunt lapidem istum tinctum sanguine et inaurem istam auream quæ infixa erat in lapide cum aure ejus

sepulcro ædicula superstruitur,

ܕܫܪܝܪܐܝܬ ܥܘܬܪܐ ܪܒܐ ܐܫܬܩܠ ܡܢ ܐܬܪܐ ܗܢܐ. ܘܒܢܘ ܗܝܟܠܐ ܚܕ ܙܥܘܪܐ ܠܥܠ ܡܢ ܩܒܪܐ܆ ܘܩܒܥܘ ܒܗ ܒܡܨܥܬܗ ܠܗ ܟܐܦܐ܆ ܘܣܡܘ ܥܠܝܗ ܢܝܫܐ ܕܨܠܝܒܐ. ܘܟܬܒܘ ܠܥܠ ܡܢܗ ܕܟܐܦܐ܆ ܕܗܘܬ ܗܝ ܗܕܐ ܕܟܘܠܠܗ ܕܣܗܕܐ ܕܡܫܝܚܐ ܥܒܕ ܠܡܫܝܚܐ[1] ܘܐܬܝܢ ܗܘܘ ܐܡܝܢܐܝܬ ܡܗܝܡܢܐ ܕܐܬܪܐ ܠܗܝܟܠܐ ܗܘ ܕܫܡܗ ܕܩܕܝܫܐ. ܘܡܬܐܣܝܢ ܗܘܘ ܐܣܝܘܬܐ ܟܠܗܘܢ܆ ܘܢܣܒܝܢ ܗܘܘ ܥܘܕܪܢܐ ܟܠܗܘܢ ܟܪܝܗܐ ܘܡ̈ܬܠܚܨܐ. ܘܢܦܩ ܛܒܐ ܕܐܣܝܘܬܗ ܒܟܠܗ ܐܬܪܐ ܗܘ܆ ܘܒܥܪ̈ܒܝܐ. ܘܒܐܬܪܐ ܕܚܒܘܪܐ. ܘܒܟܠܗ ܡܕܢܚܐ. ܀

ܒܬܪ ܕܝܢ ܙܒܢܐ ܕܫܢܬܐ ܚܕܐ܆ ܟܕ ܬܓܪ̈ܐ ܥܒܪܝܢ ܗܘܘ ܒܐܬܪܐ ܗܘ. ܘܒܐܘܪܚܐ ܗܝ܆ ܘܒܟܠ ܦܘܪܣܝܢ ܒܥܝܢ ܗܘܘ ܕܢܚܦܛܘܢ ܕܐܝܟܢܐ ܢܐܠܦܘܢ ܫܡܗ ܕܩܕܝܫܐ܆ ܘܟܕ ܡܛܘ

[1] *cod.* ܠܡܫܝܚܐ.

quasi ad miraculum. Et dicebant: *Vere divitiæ magnæ sublatæ sunt e loco hoc.* Et ædificarunt ædem parvam super sepulcrum; et infixerunt in medio ejus lapidem, et posuerunt super eum signum crucis, et scripserunt in parte superiori hujus lapidis: LOCUS EST ISTE CORONATIONIS CHRISTI MARTYRIS, ABDU'L MASICH. Et veniebant crebro fideles regionis illius ad ædem istam, quæ nomine Sancti insigniebatur, et curabantur sanatione omnes, et accipiebant auxilium omnes infirmi et vexati; et exiit fama sanationis ab ipso præstitæ in tota regione illa et in Arabia et in regione Chaboræ (1) et in toto Oriente.

mox miraculis clara.

22. Post tempus vero anni unius, quum mercatores transirent per regionem illam et per viam istam, et omnibus modis quærerent sciscitari quomodo discerent nomen Sancti, ubi pervenerunt ad ædicu-

Ibi mercatores discunt nomen

(1) *Chabor*, in Vulgata *Chobar*, flumen est celebre in Mesopotamia, quod, e regione Nisibena profluens, ab Euphrate recipitur. Est et alterum ejusdem nominis flumen in Mesopotamia, quod Tigris recipit. Utrum hic designetur, incertum est. Probabilius tamen illud quod Euphrati additur, juxta quod et Ezechiel propheta visiones suas habuisse legitur (Ezech. I, 3).

ܠܗܝܟܠܐ ܥܠܘ ܒܚܦܝܛܘܬܐ ܠܡܨܠܝܘ ܘܚܙܘ ܠܟܐܦܐ ܗܝ، ܕܩܒܝܥܐ ܒܡܨܥܬܗ ܕܗܝܟܠܐ : ܘܡܨܡܚ ܥܠܝܗ ܢܝܫܐ ܕܨܠܝܒܐ . ܘܫܐܠܘ ܠܗܢܘܢ ܕܩܪܝܒܝܢ : ܕܡܢܘ ܫܡܗ ܕܣܗܕܐ ܗܢܐ : ܘܐܝܟܢܐ ܗܘܐ ܟܘܠܠܗ . ܘܐܫܬܥܝܘ ܠܗܘܢ ܟܠܗ̇ ܥܠܬܗ ܘܬܫܥܝܬܗ . ܘܚܕܝܘ ܚܕܘܬܐ ܪܒܬܐ . ܘܟܕ ܪܘܙܝܢ ܐܦ ܗܢܘܢ : ܐܫܬܥܝܘ ܐܝܠܝܢ ܕܗܘܝ̈ ܒܐܝܕܝܗܘܢ . ܘܐܝܟܢܐ ܫܩܠܘ ܠܦܓܪܗ . ܘܒܢܘ ܠܗ ܥܠ ܫܡܗ ܗܝܟܠܐ ܫܒܝܚܐ ܬܘܒ ܒܐܬܪܗܘܢ . ܘܥܠ ܬܕܡܘܪܬܐ ܗܝ، ܕܥܒܕ ܡܪܢ ܒܐܝ̈ܕܘܗܝ . ܘܫܐܠܘ ܒܢܝ̈ ܐܬܪܐ ܗܢܘܢ : ܐܝܟܢܐ[1] ܕܢܫܕܪܘܢ ܠܗܘܢ ܡܢܬܐ ܡܢܗ ܕܩܕܝܫܐ ܠܐܝܩܪܗ ܕܗܝܟܠܐ ܗܘ . ܘܥܒܕܘ ܗܕܐ ܒܬܪ ܩܠܝܠ ܙܒܢܐ : ܘܫܕܪܘ ܠܗܘܢ ܡܢܬܐ . ✤ ܟܕ ܕܝܢ ܗܦܟܘ ܠܐܬܪܗܘܢ ܗܢܘܢ ܬܓܪ̈ܐ : ܘܓܒܪܐ ܗܘ ܕܫܩܠ ܦܓܪܗ ܕܩܕܝܫܐ ܥܠ ܠܒܝܬܗ : ܐܫܟܚ ܕܝܠܕܬ ܐܢܬܬܗ ܒܪܐ . ܕܫܦܝܪ ܗܘܐ ܒܚܙܘܗ . ܘܐܥܡܕܗ ܗܘܐ ܒܗܝܟܠܐ ܕܝܠܗ ܕܩܕ̄ . ܘܩܪܝܗܝ ܒܫܡܗ ܕܩܕܝܫܐ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ ܐܟܡܐ

[1] *hæc vox redundare videtur.*

rapti a se martyris,

lam, ingressi sunt diligenter ad orandum, et viderunt lapidem illum, qui infixus erat in medio ædiculæ, et splendens super eum signum crucis; et rogaverunt eos qui proximi erant, quodnam esset nomen martyris istius et qualis fuisset ejus coronatio. Et narraverunt eis totam causam et historiam ejus. Et gavisi sunt gaudio magno; et lætantes etiam ipsi narrarunt ea quæ per ipsos facta fuerant, et qualiter abstulissent corpus ejus et ædificassent nomini ejus ædem gloriosam etiam in regione sua, et prodigium quod operatus esset Dominus noster per manus illius. Et rogaverunt eos incolæ regionis ut mitterent sibi portionem de Sancto in decus ædis hujusce. Et præstiterunt idipsum post breve tempus, et miserunt eis portionem.

quod filio per votum obtento imponitur

Quum autem reversi essent ad regionem suam mercatores et vir qui abstulerat corpus Sancti intrasset domum suam, invenit peperisse uxorem suam filium, qui pulcher erat aspectu. Et baptizavit eum in æde ipsius Sancti et vocavit eum nomine Sancti *Abdu'l Masich,*

ܐܝܟ ܕܐܫܟܚ ܕܟܬܝܒ ܠܥܠ ܡܢ ܩܒܪܗ. ܘܥܒܕ ܡܫܬܘܬܐ ܪܒܬܐ
ܒܝܘܡܐ ܗܘ.܀

ܗܘ ܕܝܢ ܩܕܝܫܐ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ: ܐܬܚܙܝ ܗܘܐ ܠܐܢܬܬܐ ܗܝ܇ ܟܕ ܒܛܝܢܐ ܗܘܬ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܗܐ ܒܛܝܢܐ ܐܢܬܝ ܘܬܐܠܕܝܢ ܒܪܐ: ܐܝܟ ܨܘܪܬܐ ܘܕܡܘܬܐ ܕܝܠܝ. ܘܬܩܪܝܢ ܫܡܗ ܐܝܟ ܫܡܐ ܕܝܠܝ.܀ ܐܡܪܐ ܠܗ ܐܢܬܬܐ ܗܝ܇ ܡܪܝ ܘܡܢܘ ܫܡܟ. ܐܡܪ ܠܗ ܩܕܝܫܐ. ܒܥܠܟܝ ܟܕ ܗܦܟ ܡܢ ܐܬܪܐ ܕܐܬܪܒܝܬ: ܗܘ ܐܡܪ ܠܟܝ ܫܡܝ.܀ ܘܟܕ ܬܡܝܗܐ ܐܢܬܬܐ ܗܝ܇ ܒܚܙܘܐ. ܐܬܬܥܝܪܬ ܘܚܘܝܬ ܠܒܢܝ ܒܝܬܗ ܐܝܠܝܢ ܕܓܕܫ. ܘܗܘܘ܇ ܡ̈ܠܐ ܗܠܝܢ: ܠܬܕܡܘܪܬܐ ܕܣܓܝܐܐ ܒܝܢܬ ܚ̈ܢܦܐ. ܘܫܡܗ ܐܬܝܕܥ ܡܢ ܗܝܕܝܢ ܒܟܠܗܘܢ ܦ̈ܢܝܬܐ. ܒܡܕܢܚܐ ܘܒܡܥܪܒܐ. ܘܠܟܠ ܕܩܪܐ ܒܫܡܗ ܡܫܟܚ ܡܪܝܐ ܥܘܕܪ̈ܢܐ ܒܨܠܘܬܗ. ܠܪ̈ܚܝܩܐ ܐܝܟ ܕܠܩܪ̈ܝܒܐ. ܘܪܝܚܐ ܕܙܟܘܬܗ܇ ܦܐܚ ܗܘܐ ܒܟܠ ܐܬܪ ܘܬܚܘܡ: ܛܒ ܡܢ ܗܘܣ̈ܡܐ ܕܟܝܐ. ܘܐܦ ܙܟܘܬܗ܇ ܒܦܘܡ ܟܠܢܫ ܡܬܬܢܝܐ ܗܘܘ: ܝܬܝܪ ܡܢ ܡ̈ܠܟܐ ܘܩ̈ܝܣ

secundum quod invenerat scriptum in superiore parte sepulcri ejus. Et fecit convivium magnum die illo.

23. Ipse autem sanctus Abdu'l Masich apparuerat mulieri isti dum utero gestaret, et dixerat ei : *Ecce in utero concepisti, et paries filium secundum formam et similitudinem meam, et vocabis nomen ejus secundum nomen meum.* Dixit ei mulier : *Domine mi, quodnam est nomen tuum?* Dixit ei Sanctus : *Vir tuus, quum redierit ex regione in qua educatus sum, ipse dicet tibi nomen meum.* Et quum stuperet mulier ob visionem, expergefacta est, et declaravit familiaribus suis ea quæ contigerant; et fuerunt verba illa in admirationem multorum inter gentiles. Et nomen ejus celebre factum est deinceps in omnibus terminis in Oriente et in Occidente. Et omni qui invocat nomen ejus largitur Dominus auxilia per orationem ejus, longinquo simul ac propinquo. Et odor victoriarum ejus redolebat in tota regione et in terminis (cunctis), melior aromatibus puris; et etiam victoriæ ejus in ore uniuscujusque versabantur plus quam regum et imperatorum, qui

et apud eos prodigiis illustratur.

ܚܝ̈ܠܐ ܕܡܬܢܨܚܝܢ ܒܩܪ̈ܒܐ ܘܗܦܟܝܢ ܒܙܟܘܬܐ. ܘܟܪ̈ܣܛܝܢܐ ܝܬܝܪܐܝܬ ܡܫܬܒܗܪܝܢ ܗܘܘ ܒܗ. ܘܪܒܝܐ ܒܫܡܗ ܗܝܡܢܘܬܐ ܕܡܫܝܚܐ ܟܕ ܕܥܠ ܟܠܢܫ ܐܬܦܫܛܬ ܥܘܕܪܢܐ ܕܛܝܒܘܬܗ. ܘܡܬܢܦܩܝܢ ܪ̈ܚܡܐ ܡܢ ܐܠܗܐ ܥܠ ܟܠ ܕܒܫܡܗ ܡܬܓܘܣ. ܀ ܠܘܝ ܕܝܢ ܐܒܘܗܝ ܟܕ ܒܬܪ ܙܒܢܐ ܐܬܡܛܝ ܠܣܝܒܘܬܐ: ܘܡܢ ܪܘܚܐ ܒܝܫܬܐ ܡܬܕܢܚ ܗܘܐ ܘܡܫܬܢܩ: ܟܕ ܡܢ ܝܘܡܝܢ ܕܝܢ ܚܕ ܡܬܥܓܠ ܘܡܬܢܩܫ: ܫܡܥܘܗܝ ܒܢ̈ܝ ܒܝܬܗ ܟܕ ܩܥܐ ܗܘܐ ܘܐܡܪ. ܒܪܝ ܒܪܝ ܐܫܝܪ: ܠܐ ܬܬܦܪܥ ܡܢܝ ܐܝܟ ܕܫܘܐ ܐܢܐ. ܘܫܩܠܘܗܝ ܒܢ̈ܘܗܝ ܘܐܝܬܝܘܗܝ ܘܐܣܪܘܗܝ ܠܘܬ ܟܐܦܐ ܗܝ ܕܡܨܛܒܥܐ ܗܘܬ ܒܕܡܗ ܕܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ. ܘܟܕ ܐܬܡܠܝܘ ܝܘ̈ܡܬܐ ܙܥܘ̈ܪܐ: ܩܒܠ ܐܣܝܘܬܐ ܘܗܝܡܢ ܒܡܫܝܚܐ ܘܒܥܒܕܗ. ܘܥܡܕ ܗܘ ܘܒܢܘ̈ܗܝ ܘܒܢ̈ܝ ܒܝܬܗ: ܒܡܥܡܘܕܝܬܐ ܗܝ ܕܒܗ ܥܡܕ ܗܘܐ ܣܗܕܐ ܕܡܫܝܚܐ. ܘܠܘܬܗ ܕܗܢܐ ܐܫܬܡܠܝܬ ܡܠܬܐ ܕܐܘܢܓܠܝܘܢ ܗܝ ܕܐܡܪܐ. ܕܟܠ ܕܨܗܐ ܢܐܬܐ ܠܘܬܝ ܘܢܫܬܐ. ܘܗܟܘܬ ܟܠܗܘܢ ܐܝܠܝܢ ܕܐܠܝܨܝܢ ܗܘܘ

vincunt in bello et redeunt in victoria. Et christiani magis gloriabantur de eo; et crescebat in nomine ejus fides Christi, quia super quemlibet extendebatur auxilium gratiæ ejus, et affluebant misericordiæ a Deo super omnem in nomine ejus refugium quærentem.

Levi senex a dæmone vexatus

24. Levi autem pater ejus, quum post tempus pervenisset ad senectutem et a spiritu nequam vexaretur et torqueretur, dum quodam die volutaret se et allideretur, audierunt familiares ejus eum clamantem et dicentem : *Fili mi, fili mi, Ascher, ne vindictam sumas de me, prout merui!* Et portarunt eum filii ejus et duxerunt, et alligarunt ad lapidem illum qui tinctus erat sanguine Abdu'l Masich. Et quum completi essent dies pauci, recepit sanitatem, et credidit in Christum et in servum ejus. Et baptizatus est ipse et filii ejus et familiares ejus in fonte ipso in quo baptizatus fuerat martyr Christi. Et circa ipsum impletum est verbum Evangelii, quod dicit : *Omnis qui sitit, veniat ad me et bibat* (1). Et similiter omnes ii qui affligebantur et confugiebant

ad filii sepulcrum sanatur, et credens baptizatur.

(1) Joann. VII, 37.

ܘܡܬܟܢܫܝܢ ܗܘܘ ܘܐܬܝܢ ܠܘܬܗ : ܡܬܐܣܝܢ ܗܘܘ ܡܢ ܟܘܪܗܢܐ[1] ܡܫܚܠܦܐ ܒܨܠܘܬܗ . ܀

ܒܚܕ ܡܢ ܝܘܡܝܢ ܕܝܢ : ܐܒܠܬܐ ܕܓܡܠܐ ܥܪܩܬ ܘܢܦܠܬ ܠܘܩܒܠ ܐܦܘܗܝ ܒܡܕܒܪܐ : ܘܐܝܬܝܗ̇ ܗܘܬ ܕܚܕ ܡܢ ܛܝܝܐ ܥܬܝܪܐ ܕܐܬܪܐ ܗܘ . ܘܟܕ ܦܣܩ ܣܒܪܐ ܡܢܗܘܢ ܕܓܡܠܐ : ܘܠܐ ܐܫܟܚ ܦܘܪܣܐ ܬܘܒ ܕܢܗܦܟܘܢ ܕܝܠܗ : ܐܬܐ ܠܘܬܗ ܕܩܕ̄ : ܟܕ ܡܬܐܢܚ ܘܡܨܠܐ . ܘܢܕܪ ܢܕܪܐ ܘܐܡܪ . ܐܘ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ ܘܣܗܕܐ : ܐܢ ܬܗܦܘܟ ܥܠܝ ܐܒܠܬܐ ܗܕܐ ܕܝܠܝ : ܡܢ ܟܠ ܥܣܪܐ ܚܕ ܐܬܠ ܠܟ ܡܢ ܟܠܗܝܢ ܕܗܦܟܢ ܥܠܝ . ܀ ܘܟܕ ܗܦܟ ܗܘ ܓܒܪܐ ܠܒܝܬܗ : ܗܐ ܟܠܗܘܢ ܓܡܠܘܗܝ ܘܒܢܝܗܘܢ ܟܢܝܫܝܢ ܠܩܪܝܬܐ : ܟܕ ܠܐ ܚܣܝܪ ܗܘܐ ܐܦܠܐ ܚܕ ܡܢܗܘܢ . ܘܚܕܝ ܗܘ ܘܥܒܕܘܗܝ ܝܬܝܪܐܝܬ . ܀ ܚܣ ܕܝܢ ܥܠ ܣܘܓܐܐ ܕܢܕܪܐ ܗܘ ܕܢܕܪ : ܘܫܗܐ ܡܢ ܕܢܫܕܪ ܠܩܕܝܫܐ ܐܝܠܝܢ ܕܙܕܩ ܐܝܟ ܢܕܪܗ . ܘܐܡܪ . ܢܣܦܩܢ ܠܣܗܕܐ ܥܣܪܐ ܓܡܠܝܢ ܒܠܚܘܕ : ܡܛܠ ܕܠܘ ܒܡܠܬܐ ܩܒܥ ܐܢܘܢ . ܘܠܐ ܐܫܬܘܕܝ

[1] *cod.* ܟܘܗܪܢܐ.

et veniebant ad eum, curabantur ab infirmitatibus variis per orationem ejus.

Cameli in deserto profugi,

voto ad Sanctum facto redeunt ;

25. Quodam autem die agmen camelorum fugit et proruit coram facie sua in deserto; erat autem unius ex Arabibus opulentis regionis istius. Et quum excidisset spes circa camelos, et non inveniret modum eos recuperandi, venit ad Sanctum gemens et orans. Et vovit votum et dixit : *O serve Christi et martyr, si redibit ad me agmen istud meum, ex omnibus decem unum dabo tibi ex omnibus qui redierint ad me.* Et quum reversus esset vir ille ad domum suam, ecce omnes cameli ejus et pulli eorum congregati erant in pago, ita ut ne unus quidem ex eis deesset; et gavisus est ipse et servi ejus vehementer. Pepercit autem magnæ copiæ rerum quas voverat, et moratus est mittere ad Sanctum ea quæ justa erant secundum votum suum. Et dixit : *Sufficient martyri decem cameli dumtaxat, quia non*

ܥܠ ܢܦܩܬܐ ܣܓܝܐܬܐ ܒܡܟܢܫܘܬܗܘܢ. ܀ ܐܡܪܝܢ ܠܗ ܪ̈ܚܡܘܗܝ ܘܒܢܝ ܒܝܬܗ. ܠܐ ܗܟܢܐ ܡܪܝ: ܐܠܐ ܗܘ ܡܕܡ ܕܐܫܬܘܕܝܬ ܗܒ ܠܗ ܠܩܕܝܫܐ: ܕܕܠܡܐ ܬܬܓܕܫ ܬܘܒ ܗܝ ܗܕܐ: ܘܬܩܪܝܘܗܝ ܘܠܐ ܢܥܢܝܟ. ܗܘ ܕܝܢ ܠܐ ܐܨܛܒܝ ܡܛܠ ܕܣܘܓܐܐ ܕܓܡܠܐ ܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ. ܘܐܡܪ ܗܘܐ. ܠܘ ܒܐܘܠܨܢܐ ܟܢܫ ܐܢܘܢ: ܘܠܘ ܒܥܡܠܐ ܘܫܓܘܫܝܐ. ܘܠܐ ܒܠܐܘܬܐ ܐܘ ܫܗܪܐ ܣܓܝܐܐ: ܐܘ ܫܚܝܦܘܬܐ. ܘܠܐ ܚܠ ܢܦܩܬܐ ܣܓܝܐܬܐ ܐܦܠܘܣ. ܘܠܐ ܒܕܗܒܐ ܐܘ ܒܣܐܡܐ: ܐܘ ܒܫܒ̈ܛܐ ܘܒܣܦ̈ܣܪܐ ܢܦܩ ܒܬܪ ܒܥܠܕܒ̈ܒܐ ܘܐܗܦܟ ܐܢܘܢ. ܡܕܝܢ ܣܦܩܝܢ ܠܗ ܥܣܪܐ ܐܘ ܥܣܪܝܢ ܓܡ̈ܠܝܢ. ܘܦܪܫ ܗܘܐ ܥܣܪܐ ܓܡ̈ܠܝܢ ܐܝܠܝܢ ܕܫܦܪܘ ܠܗ: ܘܫܕܪ ܐܢܘܢ ܥܡ ܐܝܙ̈ܓܕܘܗܝ ܠܒܝܬܗ ܕܩܕܝܫܐ. ܀

ܠܝܘܡܐ ܕܝܢ ܐܚܪܢܐ ܟܕ ܢܦܩܘ ܥܒ̈ܕܘܗܝ ܠܓܙܪܐ ܐܝܟ ܐܝܟ ܥܝܕܗܘܢ: ܒܗ ܒܕܚܠܬܐ ܩܕܡܝܬܐ ܥܪܩܘ ܡܚܕܐ: ܘܐܬܒܕܪܘ ܟܠܗܘܢ ܓܡ̈ܠܘܗܝ. ܟܕ ܥܒ̈ܕܐ ܗܢܘܢ ܕܪܟܒܝܢ ܗܘܘ ܥܠܝܗܘܢ ܕܢܪܥܘܢ ܐܢܘܢ: ܥܠܝܗܘܢ ܦܫܘ ܗܘܘ ܒܗ

cum labore congregavit eos, neque opus habuit impensis multis in congregandis eis. Dicunt ei amici ejus et familiares : *Non ita, domine; sed rem ipsam quam promisisti, da Sancto, ne idipsum iterum contingat, et invoces eum et non exaudiat te.* Ille autem noluit, propterea quod magnam copiam camelorum haberet. Et dicebat : *Minime cum angustia congregavit eos, nec cum labore et perturbatione, neque in molestia vel vigilia multa vel in pedum nuditate; neque indiguit expensis multis, nec cum auro vel argento vel baculis et gladiis egressus est post adversarios, ut reduceret eos. Quare sufficiunt ei decem vel viginti cameli.* Et separavit decem camelos, eos qui placebant sibi. Et misit eos cum nuntiis suis ad domum Sancti.

quo non integre soluto

rursus diffugiunt.

26. Postridie vero, quum exissent servi ejus ad gregem, sicut erat consuetudo eorum, in eodem quo prius terrore fugerunt statim et dispersi sunt omnes cameli ejus. Quum servi illi, qui eis inequitabant ut pastum ducerent eos, mansissent super eos in fuga eorum, cursu feroci

ܒܪܘܡܝܐ . ܘܒܪܘܦܠܐ ܒܪܢܝܐ ܠܡܘܒܠ ܐܬܩܫܝܘ ܦܣܩ ܗܘܘ ܐܡܝܢܐ ܕܐܦܠܐ ܬܬܝܕܥ ܠܗܘܢ ܕܘܟܬܐ . ܘܟܕ ܐܫܬܘܕܥ ܗܘ ܓܒܪܐ ܒܠܗܕܐ : ܛܒ ܐܬܬܥܝܩ ܘܐܬܥܛܦ ܒܒܗܬܬܐ . ܘܐܦܝܣ ܠܪܚܡܘܗܝ ܘܠܣܘܓܐܐ ܕܓܒܪ̈ܐ ܕܢܐܙܠܘܢ ܢܒܥܘܢ ܠܣܗܕܐ : ܘܢܗܘܘܢ ܥܪ̈ܒܐ ܕܐܝܠܝܢ ܕܐܫܬܘܕܝ ܢܫܕܪ : ܘܗܢܘܢ ܢܩܒܠܘܢ ܥܠܝܗܘܢ : ܕܢܦܝܣܘܢܝܗܝ ܠܩܕܝܫܐ .. ܘܟܕ ܐܙܠܘ ܘܒܥܘ ܡܢܗ ܕܩܕܝܫܐ ܒܬܟܫܦܬܐ ܘܒܦܝܣܐ ܣܓܝܐܐ ܥܠ ܗܕܐ : ܚܪܘ ܘܚܙܘ ܡܢ ܩܘܒܠ ܡܪܕܝܬܐ ܪܒܬܐ ܕܓܡ̈ܠܐ : ܕܡܬܟܢܫܝܢ ܗܘܘ ܘܐܬܝܢ ܠܒܝܬܗ ܕܩܕܝܫܐ . ܗܢܘܢ ܕܝܢ ܣܒܪܘ ܕܡܫܪܝܬܐ ܐܝܬܝܗ ܕܒܥܠܕܒܒ̈ܐ . ܘܟܕ ܐܬܩܪܒܘ ܩܠܝܠ ܚܙܘ ܕܓܡ̈ܠܐ ܐܢܘܢ . ܘܟܕ ܬܡܗܝܢ ܐܣܩܘ ܫܘܒܚܐ ܠܐܠܗܐ . ܘܐܡܪܝܢ ܗܘܘ . ܕܡܪܐ ܚܘܒܐ ܘܬܒܘܥܐ ܟܐܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܣܗܕܐ ܗܢܐ . ܕܗܐ ܡܛܠ ܕܐܬܒܨܪ ܠܗ ܡܢ ܢܕܪܗ : ܠܟܠܗܘܢ ܗܠܝܢ ܟܢܫ ܠܘܬܗ . ܡܟܝܠ ܢܒܥܝܘܗܝ ܕܢܣܒ ܕܝܠܗ ܐܝܟ ܬܢܘܝ ܕܗܘܐ ܡܢ ܡܫܪܝ ܘܢܫܒܘܩ ܣܟܠܘܬܐ ܕܒܬܪܟܢ . ܘܦܪܥܘ ܘܝܗܒܘ ܠܗ ܚܕ ܡܢ ܚܡܪ̈ܐ :

coram facie sua errabant, ita ut ne locus quidem innotesceret eis. Et quum certior de hoc factus esset vir, valde contristatus est et opertus pudore. Et persuasit amicis suis et multitudini virorum, ut irent deprecaturi martyrem et essent fideijussores quod ea quæ promisisset mitteret, et ipsi in se susciperent ut satisfacerent Sancto. Et quum ivissent et postulassent a Sancto deprecatione et obsecratione multa super hoc, respexerunt et viderunt e regione agmen magnum camelorum, qui congregati erant et veniebant ad domum Sancti. Illi autem putarunt exercitus esse hostium; et quum accessissent paululum, viderunt camelos illos esse. Et admirantes, ascendere fecerunt laudem Deo; et dicebant creditorem et vindicem justum esse martyrem istum : *quia ecce, propterea quod diminutum sibi fuit ex voto sibi facto, omnes istos (camelos) congregavit ad se. Igitur deprecemur eum, ut accipiat id quod suum est secundum pactum de quo conventum erat ab initio, et dimittat delictum postea commissum.* Et

Quos tamen, iterum exoratus, martyr ad se reducit

ܡܢ ܛ̈ܒܬܐ ܘܡܢ ܒܝ̈ܫܬܐ. ܘܝܗܒܘ ܠܗ ܡܢ ܥܒ̈ܕܐ ܪ̈ܥܘܬܐ ܗܟܢܐ. ܘܟܕ ܫܡܠܝܘ ܗܠܝܢ ܒܚܦܝܛܘܬܐ: ܨܠܘܬܐ ܩܪܒܘ ܠܐܠܗܐ: ܘܩܪܘ ܒܫܡܗ ܕܣܗܕܐ ܟܕ ܐܡܪܝܢ. ܐܘ ܣܗܕܐ ܢܨܝܚܐ ܥܒܕܗ ܕܡܫܝܚܐ. ܣܒ ܕܝܠܟ ܘܐܫܒܘܩ ܠܕܝܠܢ ܕܢܐܙܠܘܢ ܥܡܢ. ܘܒܥܘܕܪܢܐ ܕܐܠܗܐ ܘܒܨܠܘ̈ܬܗ ܕܣܗܕܐ. ܐܗܦܟܘ ܐ̈ܦܝܗܘܢ ܗܢܘܢ ܓܡ̈ܠܐ ܘܐܙܠܘ ܥܡܗܘܢ. ܘܬܘܒ ܣܓܝ̈ܐܬܐ ܕܐܟܘܬ ܗܠܝܢ ܘܕܪ̈ܘܪܒܢ ܡܢ ܗܠܝܢ: ܣܥܪ ܘܣܥܪ ܡܪܝܐ ܒܨܠܘ̈ܬܗ ܕܣܗܕܐ. ܘܢܦܠܬ ܕܚܠܬܐ ܥܠ ܟܠ ܕܚܙܐ ܘܫܡܥ. ܕܘܟܪܢܗ ܢܗܘܐ ܠܒܘܪ̈ܟܬܐ ܐܡܝܢ. ܀

ܬܘܒ ܕܝܢ ܐܝܬ ܗܘܐ ܐܢܫ ܕܡܚܝܛ ܒܟܘܪܗܢܐ ܒܝܫܐ. ܘܣܪܝܐ ܗܘܐ ܪܝܚܗ: ܐܝܟ ܕܐܦܠܐ ܐܢܫ ܡܫܟܚ ܗܘܐ ܕܢܬܩܪܒ ܠܘܬܗ. ܘܢܩܦܝܢ ܗܘܘ ܒܗ ܬ̈ܘܠܥܐ. ܘܡܠܝܠ ܢܫܡܬܐ ܐܫܬܪܟܬ ܗܘܬ ܒܗ. ܘܥܝ̈ܢܘܗܝ ܠܐ ܡܫܟܚ ܗܘܐ ܕܢܦܬܚ. ܀ ܐܒ̈ܗܘܗܝ ܕܝܢ ܕܕܘܝܐ ܒܐܘܠܨܢܐ ܪܒܐ ܗܘܘ: ܟܕ ܚܙܝܢ ܗܘܘ ܠܒܪܗܘܢ ܕܡܚܝܛ: ܘܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܡܝܬܐ ܕܠܐ ܡܝܬ. ܘܚܒܫ ܗܘܘ ܒܟܠܝܐ ܘܒܐܘܠܨܢܐ. ܘܠܡܥܒܕ ܥܒܕܘ ܠܗ ܡܢ

et, soluto voto,

segregarunt dederuntque ei unum ex decem camelis, ex bonis et ex malis; et dederunt ei ex famulis pastoribus similiter. Et quum perfecissent hæc sedulo, orationem obtulerunt Deo et invocaverunt nomen martyris, dicentes : *O martyr fortis, Abdu'l Masich, sume quod tuum est; et permitte ut ea quæ nostra sunt, abeant nobiscum!* Et per auxilium Dei et deprecationes martyris converterunt facies suas cameli isti, et abierunt cum illis. Et rursus multa his similia et majora operatus est et operatur Dominus per orationes martyris. Et cecidit timor super omnem qui vidit et audivit. Memoria ejus sit in benedictiones. Amen.

abire sinit.

Hominem ulcere pessimo vexatum

27. Rursus autem fuit quidam qui percussus erat ulcere maligno, et fœtidus erat odor ejus, ita ut etiam nemo posset accedere ad eum; et invadebant eum vermes, et vix halitus reliquus erat in eo, et oculos aperire non poterat. Parentes autem miseri illius in afflictione magna erant, videntes filium suum vexatum : erat enim (sicut) mortuus

ܒܣ̈ܡܐ ܘܐܣܘ̈ܬܐ܆ ܘܢܝܚܬܐ ܠܐ ܐܫܟܚ. ܐܠܐ ܐܝܟ ܕܒܢܘܪܐ ܝܩܕ ܗܘܐ. ܘܡܚܕܐ ܐܘܒܠܘܗܝ ܠܘܬ ܗܿܝ ܡܒܘܥܐ ܘܠܘܬ ܟܐܦܐ ܕܨܒܝܥܐ ܗܘܬ ܒܕܡܗ ܕܩܕܝܫܐ܆ ܘܐܫܝܓܘ ܡܢ ܕܡܗ ܕܣܗܕܐ ܒܡ̈ܝܐ܆ ܘܡܫܚܘ ܠܟܠܗܘܢ ܗܕ̈ܡܘܗܝ ܕܗܘ̇ ܡܫܚܢܐ. ܘܐܬܐܣܝ܆ ܒܗ̇ ܒܫܥܬܐ ܒܚܝܠܗ ܕܐܠܗܐ ܘܒܨܠܘܬܗ ܕܣܗܕܐ. ܘܡܚܕܐ ܩܡ ܥܠ ܪ̈ܓܠܘܗܝ܆ ܟܕ ܡܗܠܟ. ܘܟܠ ܕܚܙܐ ܐܣܩ ܬܫܒܘܚܬܐ ܠܐܠܗܐ. ܀ ܘܟܠ ܕܐܝܬ ܠܗ ܟܘܪܗܢܐ ܘܡܬܓܘܣ ܒܐܠܗܐ ܘܒܗ ܒܣܗܕܐ܆ ܘܡܫܚ ܡܫܚܐ ܒܫܡܗ ܕܩܕܝܫܐ܆ ܢܣܒ ܐܣܝܘܬܐ ܕܟܠ ܟܘ̈ܪܗܢܝܢ. ܀ ܕܒܨܠܘܬܗ ܢܪܝܡ ܡܪܝܐ ܩܪܢܐ ܕܥܕܬܗ܆ ܘܢܬܠ ܫܝܢܐ ܘܫܠܡܐ ܥܠ ܐܪܥܐ ܘܥܠ ܥܡܘ̈ܪܝܗ̇. ܀

ܗܘܐ ܕܝܢ ܝܘܡܐ ܕܒܗ ܐܬܟܠܠ ܝܘܡ ܥܪܘܒܬܐ. ܒܥܣܪܝܢ ܘܫܒܥܐ ܒܬܡܘܙ ܝܪܚܐ. ܐܣܗܕ ܕܝܢ ܒܫܢܬ ܫܒܥܡܐܐ ܘܚܕܐ ܕܐܠܟܣܢܕܪܘܣ. ܟܠ ܕܡܬܓܘܣ ܒܨܠܘܬܗ ܡܬܐܣܐ ܐܝܟ ܕܠܫܘܒܚܐ ܕܐܠܗܐ. ܕܗܘ ܢܬܠ ܐܣܝܘܬܐ ܠܟܠ

nondum sepultus. Et flebant nocte ac die, et quidquid est remediorum et medicamentorum experti sunt in eo. At requiem non inveniebat, sed erat sicut aliquis qui igne crematur. Et statim duxerunt eum ad fontem illum et ad lapidem qui tinctus erat sanguine Sancti, et aqua abluerunt de sanguine martyris et unxerunt omnia membra istius ulcerati; et sanatus est illico per virtutem Dei et per orationes martyris. Et conestim ille pedibus suis stetit ambulans; et omnis qui vidit, ascendere fecit laudem Deo. Et quisquis habet infirmitatem et refugium capit ad Deum et ad martyrem et ungit se oleo in nomine Sancti, recipit sanationem omnium infirmitatum: ut per orationem ejus exaltet Dominus cornu Ecclesiæ suæ, et largiatur tranquillitatem et pacem super terram et super habitatores ejus.

subito sanat.

28. Fuit autem dies quo coronatus est, dies Parasceves, vicesimo septimo mensis Thamuz. Martyrium autem fecit anno septingentesimo primo Alexandri. Quisquis refugium habet ad orationes ejus, curabitur secundum quod est ad gloriam Dei. Ipse Deus det sanationem

Quo die sit coronatus et qua fiducia invocandus.

ܒܥܘܕܪ̈ܢܘܗܝ. ܠܡܒܛܠܘ ܡܢ ܟܠ ܦܢܝ̈ܢ: ܟܠ ܡܚܘ̈ܬܐ ܕܪܘܓܙܐ. ܘܢܚܣܐ ܚܛܗ̈ܝܢ ܕܝܠܢ ܘܕܥܢ̈ܝܕܝܢ ܟܚܕܐ. ܘܢܫܘܐ ܠܢ ܠܫܘܬܦܘܬܐ ܕܥܡܗ. ܒܝܕ ܨܠ̈ܘܬܗ ܕܝܠܕܬܗ ܘܕܩ̈ܕܝܫܐ ܐܡܝܢ.

ܫܠܡܬ ܬܫܥܝܬܐ ܕܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܥܒܕ ܠܡܫܝܚ.. ܨܠܘܬܗ ܥܡܢ ܬܗܘܐ ܒܬܪ̈ܝܗܘܢ ܥܠܡ̈ܐ ܐܡܝܢ.

cum auxiliis suis, ad abolenda ex omnibus terminis cuncta flagella iræ, et expiet delicta nostra et defunctorum nostrorum simul, et dignos faciat nos participatione cum eo per orationes Genitricis suæ et sanctorum. Amen.

Explicit historia sancti Mar Abdu'l Masich. Oratio ejus nobiscum sit in utroque seculo. Amen.

HYMNI PARACTERICI TRES

IN LAUDEM

S. SWITHUNI

WINTONIENSIS EPISCOPI

EX CODICE ROTOMAGENSI SECULI X

collato cum codice Alenconiensi sec. XI

EDENTE E. P. SAUVAGE, PRESBYTERO ROTOMAGENSI.

In eodem codice ex quo supra (tom. IV, p. 372-410) edidimus Librum Miraculorum S. Swithuni, quatuor reperiuntur poemata, quorum primum operi Lantfredi præfixum est, cetera vero illud sequuntur.

I. *Ymnus ad laudem sacratissimi pontificis, sancti Swithuni, eliganti urbanitate metricæ artis perite compositus* (cod. fol. 28).

II. *Ymnus in honore sancti Patris nostri Birini episcopi, Occidentalium Saxonum apostoli, elegiaco et paracterico carmine per alphabetum editus* (cod. fol. 81-82).

III. *Ymnus in honore sancti Patris et gloriosi pontificis Swithuni, elegiaco et paracterico carmine per alphabetum compositus* (fol. 82-83).

IV. *Ymnus in honore sancti Patris et gloriosi pontificis Athelwoldi, elegiaco* etc... (cod. fol. 84-85.)

Ultimum hunc hymnum, de S. Athelwoldo, edidit Mabillonius (*Act. SS. O. S. B.*, sec. V, pp. 624, 625) sine ulla observatione.

Carmen de S. Birino, ex Alenconiensi, olim Uticensi S. Ebrulfi (1), codice depromptum, prelo subjicit Ed. du Méril et edidit in opere a se inscripto : *Poésies inédites du moyen âge* (Paris 1854), p. 277; notavitque miram in singulis distichis primi hemistichi repetitionem. Nobis autem errare videtur existimando hunc modum esse alicujus cantilenæ popularis, in quo chorus totus præcentori responderet. Hæc enim repetitio nihil aliud est quam lusus poeticus, sicut et primariarum litterarum hujus carminis alphabetica ordinatio, quam claudit acrostichis *Amen*.

Paulus Diaconus seculo VII scribebat simili metro Vitam S. Benedicti in *Historia Langobardorum*. Vide plura in nota Michaelis A. Luchi ad Venantium Fortunatum (*Miscellanea*, III, 37) (2). Non est enim unicus in hoc genere poeta

(1) *Saint Evroult d'Ouche*, cœnobium O. S. B. in Normannia. — (2) Migne, P. L., tom. LXXXVIII, p. 151.

noster. A Sidonio Apollinari (*Epist.* VIII, 11) vocantur hujusmodi disticha *elegi echoici*, quemadmodum ex contextu collegit Sirmondus (1).

Assignavit ipse poeta metro suo nomen altisonum, vocans illud " *paractericum* " ex aliqua voce græca, ut affirmat, at sane barbarica; de qua ita in margine codicis, fere ut in codd. poematum Sedulii (2): " Παρακτερια *græce*, percussio *latine. Inde paractericum carmen dicitur percussum, eo quod repercutitur unus versus ab altero ; hoc est initium prioris fit ultimum sequentis, sicut hic.* " De cetero, nusquam voces παρακτερια vel *paractericum* apud lexicographos vel artis grammaticæ peritos reperire nobis datum est ; nec conjectura assequi possumus quo de fonte græco derivari possint. Nihil vicinius nobis occurrit quam vox ἀκτήρια, quam aliquis dixit usurpatam fuisse pro *baculo* (3) : unde satis quadraret cum eo quod nota codicis aiebat de " repercussione. " Nisi referre mavis ad ἀκτῆρ, *radius*, et intelligas " repercussus " eodem modo quo " reflexus. "

Duos hymnos de S. Swithuno edimus hic ex supra descripto Gemeticensi codice, nunc Rotomagensi U 107. Contulit hunc textum nobis petentibus ven. v. G. Dupuy, in Alenconiensi lycæo rebus sacris præpositus, cum codice Alenconiensi n. 14, seculi XI, ut videtur, ubi etiam sunt Vitæ SS. Brendani et Willebrordi auctore Alcuino. In hoc ultimo codice, fol. 37, reperitur hymnus de S. Swithuno qui quatuor priora disticha fere communia habet cum eo quem secundo loco edimus ; sed ultra quasi tertium hymnum efficit : adeo discrepat ab eo qui nobis ex Gemeticensi codice secundus est. Hunc etiam editioni nostræ adjungere licuit.

Hymnus ad laudem sacratissimi pontificis sancti Swithuni, eliganti urbanitate metricæ artis perite compositus.

AUXILIUM, DOMINE, qui te rogitantibus affers,
Fer, petimus, nobis AUXILIUM, DOMINE;
BLANDUS ADESTO TUIS, qui das solatia cunctis
Qui tibi subduntur ; BLANDUS ADESTO TUIS.
CARMINA, XTE, TIBI cupimus deferre benigni :
Suscipe quæ ferimus CARMINA, XTE, TIBI.
DA, PIUS, INTROITUM, tibi quo psallamus in unum,
Immensique poli DA, PIUS, INTROITUM.
ECCE DEUS VENIENS ægrotum invisere mundum,
Virgine matre, tonat ECCE DEUS VENIENS.
FECERAT ANTE HOMINES hic et omnia cum Patre summo ;
Liberat en nunc quos FECERAT ANTE HOMINES (4).

(1) Migne, P. L., tom. LVIII, p. 605. Cfr. Du Cange. Videsis parum discrepans judicium apud Forcellini et B. Guérard in *Notices et extraits des mss. de la Bibl. du Roi*, tom. XII (1831), pp. 96, 106). — (2) Vide notam Arevali (apud Migne, P. L., tom. XIX, p. 752 sqq.). — (3) Cfr. Stephanus, *Thesaurus linguæ græcæ*. Cfr. ibid. v° Παλινῳδικός. — (4) Sex prioribus distichis superimposita sunt in codice neumata.

GAUDIA QUÆ POTERIT, quæ lingua retexere tanta?
Mens aut hæc capere GAUDIA QUÆ POTERIT?
HUJUS AMŒNA PIIS miseratio cuncta ministrat,
Regna patent cunctis HUJUS AMŒNA PIIS.
IPSE DEI GENITUS, nativo germine solus,
Carne propinquus adest, IPSE DEI GENITUS.
KARA SIBI SOCIAT carnalia membra Redemptor,
Et translata polo KARA SIBI SOCIAT.
LÆTA VIDENT DOMINUM rutilantia castra polorum;
Agmina sanctorum LÆTA VIDENT DOMINUM.
MAGNUS UBIQUE NITET justorum cœtus in orbe,
Sanctorum numerus MAGNUS UBIQUE NITET.
NOSTER ET EXIMIUS præsul, pater atque sacerdos,
Swithun pollet ovans, NOSTER ET EXIMIUS.
ORTA PER HUNC POPULIS lux emicat et decus ingens:
Est omnis bonitas ORTA PER HUNC POPULIS.
PROMERUISSE FIDEM sequitur meruisse salutem;
Cujus et est meriti PROMERUISSE FIDEM.
QUIS NUMERARE QUEAT magnalia cœlica tanta?
Munera celsa Dei QUIS NUMERARE QUEAT?
RES VENERANDA NIMIS, sic corpora posse mederi!
Restituitque animas, RES VENERANDA NIMIS.
SOLVERE NAMQUE POTEST qui carnea membra periclo,
Et nostras animas SOLVERE NAMQUE POTEST.
TOLLITE CORDA SOLO, qui vultis, ad alta polorum:
Qui Christum cupitis, TOLLITE CORDA SOLO.
VOCIBUS HUNC MODULIS canite et resonantibus hymnis,
Et laudate, pii, VOCIBUS HUNC MODULIS.
XTE, DEI GENITE, flectens moderamina rerum,
Audi nos humiles, XTE, DEI GENITE.
YMNIDICAS PLACEAT tibi nos persolvere laudes,
Ferre tibi grates YMNIDICAS PLACEAT.
ZELUS OBESSE NEQUIT, te conculcante draconem;
Te superante malum, ZELUS OBESSE NEQUIT.

ALTA POLI RESERA tibi vota ferentibus alma;
Post obitum nobis ALTA POLI RESERA.
MŒNIBUS IN SUPERIS nam cantica pulchra resultant,
Regnant et sancti MŒNIBUS IN SUPERIS.
ECCE TIBI FACILE EST supero nos jungere regno,
Et quodcumque voles ECCE TIBI FACILE EST.
NOMINA NOSTRA NOTA vitæ cœlestis in albo,
Et cum Swithuno NOMINA NOSTRA NOTA.

Incipit hymnus in honore sancti Patris et gloriosi Pontificis Swithuni, elegiaco et paracterico carmine per alphabetum compositus.

AUREA LUX PATRIÆ Wentana splendet in urbe:
 Swithun sanctus adest [1], AUREA LUX PATRIÆ.
BLANDE PATRONE, TUIS succurre benignus alumnis;
 Et fer opem [2] famulis, BLANDE PATRONE, TUIS.
CULMINA CELSA POLI felici calle petisti:
 Et nobis aperi CULMINA CELSA POLI.
DEXTERA SANCTA DEI te re benedixit in omni;
 Nos et ubique regat DEXTERA SANCTA DEI.
EUGE [3], BEATE PATER, rutilans super æthera potenter,
 Inque solo radians! EUGE, BEATE PATER!
FUNDE PRECES DOMINO solita pietate superno,
 Pro nobisque pio FUNDE PRECES DOMINO.
GAUDET HONORE TUO populus feliciter iste,
 Et gens Anglorum GAUDET HONORE TUO.
HÆC BENEDICTA DIES [4] astris arridet et arvis;
 O nimium felix HÆC BENEDICTA DIES.
JAM SINE FINE TENES quæ præmia semper amasti:
 Gaudia cum sanctis JAM SINE FINE TENES.
KASTRA SUPERNA DEI te lustrant luce perenni,
 Congaudentque tibi KASTRA SUPERNA DEI.
LAUDIBUS ANGELICIS ibi dulciter intonat [5] hymnis,
 Conjubilasque hilaris LAUDIBUS ANGELICIS.
MAGNUS UBIQUE TUUS fulget per signa triumphus,
 Rumor et irradiat MAGNUS UBIQUE TUUS.
NULLA CAMÆNA TUAS potis est evolvere laudes;
 Narrat virtutes NULLA CAMÆNA TUAS.
O MEDICINA POTENS, quæ languida corpora sanas,
 Salva nos omnes, O MEDICINA POTENS.
PRO MERITIS MERITAM comprendis in axe coronam:
 Pelle procul pestem PRO MERITIS MERITAM.
QUID TIBI DIFFICILE EST? Quid non tua mens pia præstat?
 Et, qui cum Domino, QUID TIBI DIFFICILE EST?
REGIBUS AC MISERIS idem patronus haberis,
 Subveniens pariter REGIBUS AC MISERIS.

[1] *cod. Alencon.* Sanctus adest Swithun. — [2] *cod. Al.* Confer opem. — [3] ***exinde omnino differt codex Alenc., ut videre est infra.*** — [4] ***add. supra lin.*** Sexta Nonas Julii. — [5] ***ita cod.***

SOLVE NEFAS SCELERUM ; disrumpe et vincla reorum ;
Flebile nostrorum SOLVE NEFAS SCELERUM.
TE DUCE, NOS PATRIAM speramus adire supernam,
Visere et angelicam, TE DUCE, NOS PATRIAM.
VOTA CANORA TIBI nunc edita cœlitus audi,
Et cape fusa patri VOTA CANORA TIBI :
XTS IN ARCE POLI nos ut conscribat amœni,
Nosque locet superi XTS IN ARCE POLI.
YMNUS EI HIC PLACEAT, canimus quem corde benigno ;
Cui bona cuncta placent YMNUS EI HIC PLACEAT.
ZELUS AMARUS ABEST ubi gaudia pacis abundant ;
Pax ubi semper adest, ZELUS AMARUS ABEST.

ARDUA TECTA POLI concordant pace perenni ;
Pervia fac nobis ARDUA TECTA POLI.
MENS HABITANS INIBI canit alleluia Tonanti,
Semper et exultat MENS HABITANS INIBI.
E VENERANDE PATER ! modicum jam claudimus [1] hymnum,
Teque omnes petimus, E VENERANDE PATER !
NOS JUGITER REFOVE, nos semper ab hoste tuere,
Et patrio affectu NOS JUGITER REFOVE.

Finit hymnus in honore sancti Patris Swithuni in devotione compositus.

Elogium et paractericus de S. Swithuno hymnus

ex codice Alenconiensi 14 (olim S. Ebrulfi Uticensis).

. . . . (1)
EUGE, BEATE PATER, meritoque et nomine fulgens,
Undique signipotens, EUGE, BEATE PATER.
FULGIDA LUX HODIE nostris lucescit in oris,
Spargit ubique jubar FULGIDA LUX HODIE.
GENTIBUS ANGLIGENIS solennia festa recurrunt,
Et renovant jubilum GENTIBUS ANGLIGENIS.
HÆC VENERANDA DIES astris arridet et arvis,
Estque decora nimis HÆC VENERANDA DIES.
ILLA VIDERE TUUM meruit super astra meatum,
Digna fuitque obitum ILLA VIDERE TUUM.

[1] *cod.* claudibus.

(1) Vide paulo superius, in præfatiuncula.

KASTRA BEATA POLI psallunt jubilando Tonanti,
Congaudentque tibi KASTRA BEATA POLI.
LÆTA VIDENT DOMINUM rutilantia corda piorum:
Assidue tecum LÆTA VIDENT DOMINUM.
MITIS ADES[1] MISERIS, relevans a clade catervas;
Languida restituens, MITIS ADES MISERIS.
NULLA CAMÆNA TUAS potis est evolvere laudes;
Narrat virtutes NULLA CAMÆNA TUAS.
O MEDICINA POTENS, quæ morbida corpora sanas!
Nos sana fragiles, O MEDICINA POTENS!
PROTEGE, SANCTE, TUOS pia per suffragia servos,
Et, licet indignos, PROTEGE, SANCTE, TUOS.
QUÆ TUA CUNCTA POTEST insignia promere lingua?
Pangere vox merita QUÆ TUA CUNCTA POTEST?
REGIBUS AC MISERIS idem patronus haberis,
Subveniens pariter REGIBUS AC MISERIS.
SOLVE NEFAS SCELERUM, disrumpe et vincla reorum,
Flebile nostrorum SOLVE NEFAS SCELERUM.
TE ROGITANTE, DEUS pius est præstare paratus;
Parcit et exaudit, TE ROGITANTE, DEUS.
VOX TUA, CELSE[2], THRONUM potis est placare tonantem:
Flectit et ad veniam VOX TUA, CELSE, THRONUM.
XTUS AB ARCE POLI dat, te poscente, salutem;
Det nobis lumen XTUS AB ARCE POLI.
YMNIFER ISTE CHORUS solvit tibi munia lætus:
Permaneat lætus YMNIFER ISTE CHORUS.
ZELUS AMARUS ABEST ubi secla per omnia pax est;
Pax ubi Christus adest, ZELUS AMARUS ABEST.

AGMEN AMEN RESONAT quod ibi cum laude triumphat;
Cum Christo regnans AGMEN AMEN RESONAT.
MENS HABITANS INIBI canit Alleluia Tonanti;
Exultans jubilat MENS HABITANS INIBI.
EN TIBI, SANCTE PATER, modicum cantavimus hymnum:
Quem commendamus EN TIBI, SANCTE PATER,
NOMINA NOSTRA CHORO sint ut sociata superno,
Sint et in angelico NOMINA NOSTRA CHORO.

[1] *cod.* adesto. — [2] *cod.* celsi.

CARMEN DE ELEVATIONE CORPORIS

S. FRODOBERTI

PRIMI ABBATIS CELLENSIS.

Carmen istud, ex codice monasterii Vallis-lucentis exscriptum, penes se habuit Mabillonius ubi inter *Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti* edidit S. Frodoberti Vitam (1), sed omittendum judicavit, *ne eadem*, quæ scilicet in ipsa Vita satis descripta essent, *cum nausea recantare* videretur (2). Viderat tamen vir doctissimus nonnullis præstare narrationem poetæ (3). Itaque, quum carminis apographum a Petro Francisco Chifflet olim submissum inter chartas majorum nostrorum quæ in Museo nostro asservantur repertum fuerit, duximus non abs re fore si illud inter *Analecta Bollandiana* vulgaverimus.

Scriptorem fuisse monachum Cellensem nec ab ætate qua translatio facta est admodum remotum, inde colligi potest quod in narratione sua minutius singula persequitur, et certam diem translationis indicat ac nomine citat Bodonis abbatis et Arimberti monachi : quæ utique non hausit ex Vita a Mabillonio edita, ubi hæc omnia silentur.

Incipiunt versus de elevatione corporis sancti Frodoberti abbatis.

Est operæ pretium jam jamque stilo referendum
Ut tumulo terræ non passa sit alma latere
Majestas [1] lucem Frodobertum valde nitentem.
Is manibus Cellam primus sudantibus illam
Struxit ad occasum quam respicit alta Trecorum
Urbs, cædendo sudes tetrasque urendo paludes.
In qua basilica Petri sub honore dicata
Sanctam sanctorum turmam legit monachorum,
Ex infelici cursu feliciter acto,
Gaudia morte petens, post terras cœlica scandens,
Discipulis proprium liquit corpus tumulandum.

[1] *apogr.* majestatem.

(1) Sec. II, p. 626. — (2) Ibid., *Observ. præv.*, n. 1 extr. — (3) Ibid., p. 637, nott. *a* et *b*.

Parietibus templi patris studio locitati
Quod claudunt. Dictas sed perdens cuncta vetustas
Ædes consumpsit. Alia [1] manus hinc loca struxit;
Et licet has alto [2] satagat fundare locello,
Non tamen eximiam detondit limine gemmam.
Quas dum pontificis benedicier ore Trecassis
Orassent fratres, depelli præcipit omnes
Bustorum cineres, quos inveniant latitantes
Ecclesiæ muris. Complent præcepta jubentis.
E templi cunctas depellunt sede favillas.
Inter quas sancti sanctas vellunt Frodoberti.
Protinus ecclesia sacrato more sacrata,
Dum redit ad sedes antistes pontificales,
Auribus egregii virtutem hausit Frodoberti.
Pœnitet immense fratres se dicta rogasse.
Quare levitam redivivo tramite Cellam
Fratrum non modica sese comitante chorea
Hanc jubet expetere, retinet quæ pignus herile
Illud, quod sedi studeat reparare priori.
Præsulis imperium levitæ facta sequuntur.
Insuper arcanum tenet alta mente repostum
Antistes dictus, quod tanta laude coruscus
Debeat exponi, non terræ tegmine claudi.
Hocque ad complendum meditatur se rediturum;
Invida sed votum delusit mors venerandum.
Unde sacrum corpus terræ diu contegit alvus.
Exanimes ardet [3], sed nunquam liquit [4] Jesus
Ostendens populis quantæ fuerit bonitatis,
Irradiat tumulum miris virtutibus almum,
Quæ liber enucleat qui de virtutibus extat
Ejus. Nos alias gressum vertemus in oras.
Bis sex signiferi jam Phœbus sidera circi
Irradians terras novus octingenties [5] amplas,
Insuper et quoties bis senis sexies actis
Annis procursat, a tempore pervolitarat

[1] *apogr.* alias. — [2] alio. — [3] *pro* Ex animo cadere ? — [4] liquid. — [5] occingenties.

Quo [1] Deus omnipotens cœlestia lumine complens
Venit ad occiduas carnaliter editus oras [2],
Cum tumulus dicti signis fulgens Frodoberti
Magnis majora cœpit producere signa.
Tempore et hoc [3] Cellam [4] jam supra prætitulatam
Abbas eximius, Bodo cognomine dictus,
Servabat. Fixis qui cœlo cordis ocellis,
Actus sanctorum, quibus hinc convexa polorum
Scanderunt, illis fervens conjungier astris,
Semper lustrabat. Inter quæ [5] talia præstat
Gratia [6] cœlestis, ut dum nox cingeret atris
Mundum quædam alis, nocturnis cursibus actis
Et reliqui exirent, pernox perstaret [7] herilis
Pastor ad altare structum sub honore Mariæ,
Quæ genuit Christum, subsistens virgo per ævum.
Quo post excubias fletu precibusque refertas
Cum quodam fratre vitam cœpit recitare
Abbatum summi, signis claram, Frodoberti.
Quæ male perpaucis vel, quod pejus puto, nullis
Sub cura fuerat. Quam dum sibi sæpe reversat,
Fervet amor cordis magis in laudes Frodoberti.
Exin vel solus vel cuiquam conciliatus
Hanc semper recitat, sociis sine fine retaxat;
Huncque precatorem sibi suggerit esse parandum,
Quem clarum meritis Dominus locitarat in astris.
Istud dum geritur, jam lux prima refertur
Octavæ nati quam et circumcisio [8] Christi
Irradiant, animam Frodoberti quæ [9] repetere æthra
Cernere promeruit [10]. Qua accitis fratribus [11] infit
Patroni festum summa cum laude colendum.
Cœlitus accensi celebrant diadema diei.
His ita compositis, dum nox supera ima tenebris
Quædam fuscaret, cunctos sopor atque teneret,
Contigit abbatem psalmos cantare sub ædem

[1] *apogr.* Quod. — [2] horas. — [3] *prius* loco. — [4] cella. — [5] (i. q.) interque. — [6] Grata. — [7] prestaret. — [8] circoncisio. — [9] (F. q.) Frodobertique. — [10] permeruit. — [11] *add.* abbas.

Ecclesiæ. Qui [1] dum fibris super ardua tentis
Tenderet excubias, tumulum super ecce lucernas
Cœlitus accensas Frodoberti quo ossa cubabant
Conspicit, et subito fulgescere [2] tecta sereno.
Lucifero radiante novo, color exulat ater [3],
Et mutata vident nocturna crepuscula solem.
Vincebat radiis tenebrosa volumina noctis
Lux, ut visum esset [4] Phœbus super arva quod esset.
Insuper, ut certas sibi visio redderet aures
Auditurorum, testes legit sibi plures,
Non cunctis eadem veniens, hora sed eadem,
In variis varia, mirabilis omnibus ipsa.
Qua jubar ignicomum pastor conspexit in hora,
Custos ecclesiæ, morum clarus probitate,
Voces angelorum tumbam super hymnizantum
Auribus excepit. Quæ vox dum jam diu mansit
Cujusdam fratri cum fratribus accubitantis
Auribus insonuit. Quem dum vox aurea mulsit,
Se rapit a somnis, patulas et subrigit aures.
Perculsus modulo torquet vestigia templo,
Ignarusque acti, fratres putat hæc modulari.
Jam limen templi penetrabat calle citato,
Cum sese a tectis rapiunt modulamina vocis [5].
Sensit idem hoc fratrum quidam tam dulce canorum.
   Emicat Oceano Phœbi rota clara relicto,
Atque sua cunctas collustrat lampade terras,
Abbas cum visum, cum fratres auribus haustum
Mutuo prorumpunt. Hinc cordis lumine cernunt
Hoc ideo Christi quod suppeditet [6] famulatus
Humani obsequium, quia voluit reddere dignum
Huic tectum. Bodo, pastor cognomine digno,
Cum nox cæruleam terris infunderet umbram,
Instrumenta precum juxta antrum quod [7] retinebat
Prædicti glebam, fundebat. Tum subito illi
Visio prænituit, quæ non modicum stupefecit.

[1] *vox dubia in apogr.* — [2] *apogr.* fulgessere. — [3] acer. — [4] esse. — [5] voces. — [6] supeditet. — [7] *ita prius ; corr.* qui.

Ipsum nam clauso visum est prodisse sepulchro
Multoties dictum dicendumque hinc Frodobertum,
Emicet ut toto super ipsam pectore tumbam
Ac coram altari prosternat se quoque Petri.
Hoc viso obstupuit; gelidis vox faucibus hæsit.
Tandem nec longe menti dum redditur ipse,
De claustro busti cognovit velle levari,
Quem [1] clarum in cœlis calcent vestigia in arvis [2].
His super accensa monachorum concio tota,
Et gentis turmæ diversis sedibus ortæ
Fama quibus sancti vulgata aderat [3] Frodoberti,
Unanimi verbo sustolli sancta sepulchro
Ossa petunt. Tandem vox talis perculit [4] aurem
Præsulis Ortufi, Trecorum sceptra gerentis ;
Cœlitus accensus secerni qui cito corpus
A reliquis jussit, quod cum multis sepelivit
Fratrum antiqua manus. Cum, quamvis luce locellus
Fulgeret nimia, sed nulli qui tegat ossa
Sarcofagus vere facile est fratri reperire [5].
Instrumenta precum quare trans sidera fratrum
Dat plebs, signari poscens sibi corde lugubri
Quod, Frodoberte, tuum corpus sibi mausoleum
Contegat. Hinc tandem Domini pervenit ad aurem
Clamor clamantum [6]; nam dum sol squamigerorum [7],
Quos Februi medio conscendit calle gradivo,
Intrasset partem quartam, lucem duodenam
Quam lector Martis sibi calculat ante kalendas,
Compulsi hinc inde meditantur viscera terræ
Rastro scrutari, qua credunt ossa teneri.
Nec mora, continuo virtus hæc fluxit ab alto.
Dum manus erecto fratrum curvata ligone
Vellet funerea tumulis divellere saxa,
Nondum gnara sibi quæ saxa tegant Frodoberti
Ossa, Dei dono lapis hic bustum premitur quo
Sancti, non modicis hominis nunc pulsibus actus,

[1] *pro* Ne? — [2] *vox dubia in apogr.* inanus? *Pro* in imis? — [3] *apogr.* adherat. — [4] pertulit. — [5] repperire. — [6] clamantium. — [7] spamigerorum.

Sed jussu regis cœli convexa rotantis,
Immotis aliis, solus de sede sepulchri
Labitur, et spatio discedit valde remoto.
Istud dum dubia titubans sub mente caterva
Conspicit, ambiguo cordis de sede fugato
Agnovit petra corpus latitare sub illa,
Quod sibi quærebat. Adnixa ligonibus instat
Illic tellurem, jam pulsa rupe patentem,
Suffodere, ossa usque dum jam veniatur ad ipsa.
Tum redit ambiguum quod dixi rupe fugatum.
Nam functorum ossa juxta ejus forte reposta
Inveniunt, nec quæ sancti constent Frodoberti
Noscunt; cum Christi tali signamine corpus
Monstrat dilecti sibi plus reliquis Frodoberti.
In quodam ex ejus nimio candore coruscis
Ossibus eximii fulgor se contulit auri,
Signans thesaurum tali signo pretiosum.
Quod [1] dum considerant, sollerti mente retractant
His, Frodoberte, tua signari laudibus ossa,
Aurea qui in cœlis diademata ferre probaris.
His ita compertis, dubio excluso [2] ex venerandis
Reliquiis [3], manibus trepidant contingere corpus,
Quod cernunt tantis coram fulgescere signis.
Quare dulcisonis [4] instantes cis tumulum hymnis,
Pontifici Ortufo [5] non longe prætitulato
Mandant thesaurum signis plus lumine claris
Ostensum patris. Quod dum pervenit ad aures,
Lætitiæ plenus palmas ad sidera tendit
Et Christo grates cordis modulamine reddit.
Postera jamque dies claro surgebat Eoo,
Cum præsul dictus, prece, fletu purificatus,
Apperiit [6] cellam qua pervigiles celebrarant
Excubias monachi pariter. Tum [7] summa precati,
Ad tumulum properant. Dum fratres sancta frequentant
Instrumenta precum, præsul trepidis venerandum

[1] *apogr.* Quid. — [2] et culto. — [3] Reliquis. — [4] dulcissonis. — [5] *ut supra;* occulto. — [6] *sic.* — [7] cum.

Thesaurum manibus levat, ac capsa bene parta
Collocat, hoc ad opus quam Bodo struxerat almus.
Exin reliquiis summa cum laude locatis,
Capsam cum proprio studuit signare sigillo
Præsul; sicque omnes proprias rediere sub ædes.
Nec sic excubiis vacat [1] a vivacibus abbas
Præcluis; at quanto plus pollent signa frequentum
Virtutum, affectus tanto plus gliscit in ejus
Pectore votorum. Nam dum labentia somnum
Sidera suaderent, lectis et membra dedissent
Cuncti, thesaurum recubans propter venerandum,
Perficit insomnes cum fletu et cum prece noctes.
Hæc per bis terna[s] jam noctes continuarat
Ex quo thesaurum digne in capsa locitarat.
Cernere diversis visus oracula signis.
Cum nox pulatis fuscavit septima peplis
Mundum, qua precibus, veniis et carmine fessus
Cum sua letheo [2] laxasset membrola somno,
Pontificem in somnis prædictum vidit adesse,
Illi qui angelico deprompsit talia labro :
Quo tibi vis, potis es [3] *Frodoberto condere sedes.*
Sic præsul visus. Contra hunc sic pater orsus :
Sarcophago fragili dicti puto membra teneri;
Unde ipsum timeo cum gleba auferre [4] *locello.*
Præsul porrecto respondit talia labro :
Quid de lipsanis Frodoberti, sancte, moveris,
Frater, et cur dubiæ veniunt sub pectore curæ?
Quid dubitas sanctum tibi nunc nec esse repertum
Corpus? Pro certo teneas et pectore credas
Indubio capsa vos hoc posuisse novella.
Auribus his haustis et mentis lumine visis,
Novit quæsitas sese invenisse favillas
Abbas, angelicas dignus haurire loquelas.
Hinc idem in sanctis persistens [5] sedulo cœptis,
Instrumenta precum noctis spatio atque dierum

[1] *apogr.* vaccat. — [2] loetheo. — [3] est. — [4] offerre. — [5] percistens.

Continuat soles bis denos. Et rota solis
Jam mundo obtulerat quintam arietis atque subibat
Partem quam undecim Aprilis adire kalendis
Computat astrologus, cum, noctis rite peractis
Obsequiis, fessa somno tenui dedit ossa.
Tam cito per cujus se somnus contrahit artus,
Ac si quis patulos somnum addens claudat ocellos.
Cui dormitanti confestim visio talis
Apparet : crypta sese putat esse sub una;
Non tamen et solum, quosdam sed et affore secum
Fratres, quorum unum virtute et sanguine clarum
Credit Arembertum, sibi subjecti ordinis unum.
Tertius a mentis oblitus fugit ocellis.
Hi dum sub crypta [1] constarent prætitulata,
Abbas in spatium prætendens lumina longum,
Conspicit egregiæ nihil utque supra venerandæ
Formæ stare virum, qua stant criptæ ante coruscum
Vestibulum. Vestis cujus nitet ut rota solis;
Et caput aurata visum est fulgere corona.
Abbas ad fratres : *Quem sic fulgescere, fratres,*
Cernitis, esse pium cognoscatis Frodobertum.
Et nunc maturis maturi occurrere plantis
Maturemus ei. Dum valvis egrederentur,
Exsurgens sanctus curvos cryptæ subit artus.
Expectant taciti mandatum, si [2] velit ulli
Mandare; ast ille cum jam cœpisset adire
Limen [3], Arembertum (quem fratrum diximus unum)
Advocat. At tenuis [4] sero vox venit ad aures.
Abbas ut vocem primus suscepit herilem,
Fratri prædixit quo se sanctus vocitavit :
Et felix esset, vocitari qui meruisset.
Instinctu abbatis sequitur vestigia patris
Frater, et in cryptam graditur cum patre profundam.
Post hæc a somnis corpus rapit auctor [5] herilis.

[1] *apogr.* scripta. — [2] su. — [3] lumen. — [4] attenuis. — [5] hauctor.

VITA S. AUDOENI

ROTOMAGENSIS EPISCOPI

AUCTORE ANONYMO

EX CODICIBUS MANUSCRIPTIS QUINQUE

NUNC PRIMUM EDIDIT

E. P. SAUVAGE

PRESBYTER ROTOMAGENSIS.

MONITUM PRÆVIUM.

Perscrutantibus nobis manuscriptos codices non semel occurrerunt Vitæ sanctorum, eæque satis prolixæ, aliis jam pridem editis ita similes ut res omnino aut vix non omnino easdem eodemque ordine dispositas exhiberent, narrationibus tamen ita diversis ut fere nusquam eadem verba adhibita essent. Cujus concordantiæ simul et discrepantiæ ea ratio a multis vulgo reddi solet quod altera conscriptio ab altera sive per amplificationem sive per compendium sive per elegantioris dictionis ambitionem sit desumpta. Et id quidem frequenter locum habuisse dubium esse nequit. Attamen ab illa explicatione admittenda aliquando etiam refugit animus, ubi nimirum advertitur alter altero textu neque amplior neque brevior neque elegantior apparere. Et quidem suspicati jam pridem sumus, ubi hæc omnia indicia simul concurrunt, utrumque textum ab aliquo tertio tamquam communi fonte derivatum esse. Quæ conjectura nunc, quod ad Vitam S. Audoeni spectat, in manifestam evidentiam nobis visa est transiisse, postquam in bibliotheca publica Metensi invenimus Vitam quamdam intima illa cognatione quam diximus cum vulgata dudum sub nomine Fridegodi (1) *connexam, at omnino diversis verbis conceptam, cujus auctor in prologo suo liquidissime enuntiat se præ oculis habuisse Acta antiquiora,*

(1) Cfr. Gulielmi Cuperi Comm. præv. de S. Audoeno, num. 7-9 (*Act. SS.*, tom. IV Aug., p. 795).

ita barbaro stylo conscripta ut ea expoliendi, quod rogabatur, spes omnis illi abjicienda esset; hæc autem expostulatio certe in Pseudo-Fridegodi lucubrationem cadere non potest, qui simplici quidem, sed nitido et perspicuo genere scribendi usus est. Nec certe magis probabile est ipsum Pseudo-Fridegodum Anonymi nostri vestigiis institisse, ut ingenti sane labore prolixam ejus narrationem aliis verbis exprimeret. Longe vero probabilius, immo certum videtur, utrique præ oculis fuisse antiquiora illa Acta, ab Anonymo indicata.

Habemus itaque duplicem illorum Actorum repetitionem, a duobus scriptoribus sibi invicem ignotis (1) *confectam. Rursus antiqua illa Acta non eadem esse quæ sub nomine Vitæ primæ S. Audoeni edidit Cuperus* (2) *manifestum est, quum adeo multa in duplici scriptione legantur quæ in Vita illa prima frustra quæsieris et ab ipso Pseudo-Fridegodo addita jam supponi nequeunt* (3). *Unde tandem consequitur, antiqua illa Acta, adhuc in tenebris delitescentia, quoad substantiam suam seu res in iis narratas, ex posterioribus illis conscriptionibus, id est ex iis quæ ipsis communia sunt, nobis jam patefieri.*

Hæc si attentius considerasset Cuperus, non rejecisset, credo, tanto contemptu Anonymi nostri fetum, quem ex codice quodam S. Maximini Trevirensis acceperat (4). *Nos quidem illum non ita exiguo in pretio habendum esse duximus et omnino in* Analectis *nostris edendum. Porro quod de duplici vel triplici Vita S. Audoeni superius enuntiavimus, nullus dubito quin et idem censendum sit de plurimis aliis Vitis parallelis ejusdem rationis, quin immo et de non paucis Vitarum paribus quarum una altera prolixius aut brevius aut elegantius concinnata est. Unde et ulterius nonnulla concludere forte liceat quæ ad auctoritatem Vitarum sanctorum ævi merovingici commendandam non parum juvent. Sed de his fusius pro gravitate rei alias agendum erit.*

Vitam S. Audoeni in codice Metensi (5) *a nobis repertam communicavimus cum erudito nostrique amicissimo viro E. P. Sauvage, presbytero Rotomagensi, qui pro suo erga opus nostrum et Normanniæ provinciæ hagiographiam studio illico tum per se tum ope alterius docti viri amici sui Parisiis degentis alia ejusdem textus exem-*

(1) Egregiam confirmationem hujus conclusionis reperies in subjecta Præfatione cl. v. E. P. Sauvage, et quidem duplicem. Imprimis nimirum codices qui textum Pseudo-Fridegodi referunt, omnes et solum in Occidentali Francia seu Neustria exarati videntur; qui vero Anonymi nostri recensionem continent, omnes et solum in Austrasia seu Francia Orientali. Præterea Anonymus noster nescivit a S. Audoeno conscriptam esse Vitam S. Eligii (cfr. infra, num. 10), quod tamen a Pseudo-Fridegodo disertissime indicatum est (*Act. SS.*, tom. cit., p. 819, num. 42). — (2) *Act. SS.*, tom. cit., p. 805-810. — (3) Non infitiamur utique illius Vitæ primæ prologum Pseudo-Fridegodo notum fuisse (cfr. ibid., p. 810, col. 2, annot. *a* et *b*); sed facile supponere licet, vel cum cl. v. Sauvage, quod et nobis probabilissimum videtur, ipsam hanc Vitam primam ex antiquioribus Actis (quæ similem prologum habuerint) haustam esse; vel, quod non adeo insuetum est, prologum eumdem præfixum fuisse tum illis Actis tum huic Vitæ primæ, deficiente prologo proprio in alterutra; vel denique Pseudo-Fridegodum, cum Acta antiquiora nulla præfatione instructa reperisset, hanc ex Vita prima mutuatum esse. — (4) Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 795, n. 11-12. — (5) Cujus descriptionem vid. infra, p. 73.

plaria, sicut et utriusque Vitæ a Cupero editæ, diligenter conquisivit et feliciter invenit, quod ex præfatione ejus huic subjicienda curiosus lector mox distinctius edocebitur. Idem ex quinque codicibus manuscriptis hujus tertiæ Vitæ accuratissimam editionem Analectis *nostris inserendam comparavit notisque instruxit quibus S. Audoeni historia magis magisque illustratur. Ipsum jam de hac sua editione disserentem audiamus.*

C. D. S.

Vitæ S. Audoeni, Rotomagensis episcopi, triplex recensio soluta oratione conscripta, præter aliam metricam, Bollandianis hagiographis nota erat ubi ad diem 24 Augusti de sancto episcopo tractandum illis fuit. Duas ediderunt, spreverunt tertiam. Hanc, propter rationes modo in superiori præfatiuncula allatas, hic vulgandam suscepimus; eaque occasione de codicibus manu scriptis triplicem Vitam continentibus, quos quidem in bibliothecis publicis Franciæ servari novimus, paucis dicere non pigebit. Qua in re imprimis non parum me debere profiteor humanitati doctissimi consacerdotis mei R. D. Lebarq, professoris in Minori Seminario de Monte Leprosorum apud Rotomagum, cui adscribenda sunt quæcumque de codicibus Bibliothecæ Nationalis Parisiensis in hac præfatione nostra notata reperientur.

I

Antiquissima, ut videtur, recensio illa est quam *Vitam Primam* inscripsit Gulielmus Cuperus (1) et nos brevitatis gratia eodem vocabulo nuncupabimus. Hanc ab auctore non quidem coævo, at certe suppari concinnatam demonstravit Cuperus (2) ex his ejus verbis : *Ad miracula ejus transeat oratio, quæ a discipulis ejus, testibus idoneis, agnovi.* Ex iisdem verbis suspicamur et auctorem fuisse Rotomagensem.

Dolebat Cuperus (3) *quod Acta illa, luxato stylo conscripta vel forsan ab imperito amanuensi corrupta, cum aliis codicibus conferre non* posset, *cum unicum istorum exemplar tantummodo* haberet, illudque ita deforme ut *interdum quasdam lacunas ex conjectura implere* coactus fuerit, *ut sensus intelligeretur.* Exemplar istud unicum fuit codex quidam Ultrajectinus Sancti Salvatoris (4), cujus ætas non indicatur et ubi nunc servatus sit nos latet. Sed contigit tres codices in Bibliotheca Nationali Parisiensi invenire, quorum unus veneranda utique auctoritate præstat, eamdem illam Vitam primam exhibentes, videlicet :

1° Ms. lat. 528, olim cœnobii S. Martialis Lemovicensis, seculo IX, immo forte VIII, conscriptum. Quem quum accurrate descripserit cl. Dümmler (5) fusius de illo dicere supervacaneum est.

(1) *Act. SS.*, tom. IV Aug., p. 805. — (2) Comment. præv. de S. Audoeno, num. 5 (ibid., p. 794). — (3) Ibid., num. 6.— (4) Ibid., num. 5. — (5) *Neues Archiv.*, tom. IV, p. 104 sqq.

2° Ms. lat. 16820, parvum scilicet lectionarium in folio, quo utebantur olim in monasterio Sancti Cornelii Compendiensi. Hunc facile judicabis exaratum esse seculo XI, quippe qui omnes hujus ævi scripturæ characteres præ se ferat, si solas excipias litteras majusculas eximia arte decoratas, quæ utique manum seculi XII produnt, sed forte aliquanto post totius codicis scriptionem adjectæ fuerunt. — Codex ille eam solum partem Vitæ continet quæ apud Bollandianos concluditur capite I, seu numeris 3-8 (1), in novem lectiones distributam atque terminatam his verbis : *Ne sermo incultus fastidiat, ad miracula ejus transeat oratio, et quod a discipulus ejus narrantibus agnovi pauca de multis curavi adnectere* (2). Cetera cum prologo *Sanctorum virorum vita* desiderantur. Variantes autem cum textu Ultrajectino lectiones sat multæ notari possent, sed nullæ alicujus momenti.

3° Ms. lat. 11759, in folio, ex bibliotheca eximii viri Vion d'Hérouval ad monasterium S. Germani de Pratis olim transgressum. Codex iste non ita ad primigenium textum definiendum juvat. Non solum enim sequioris est ætatis, seculo XIV nimirum exaratus, sed quamvis eædem res eodem ordine totidemque sententiis in eo referantur sicut in aliis jam citatis, ipsa tamen verba passim adulterata sunt, quo scilicet nitidior flueret oratio. Speciminis gratia citasse sufficiat primam Prologi phrasim, quam ita efferunt :

Cod. S. Salvat. Ultraj.	Cod. S. Mart. Lemov.	Cod. S. Germ. Prat.
Sanctorum virorum vita, quamquam sit gloriosa in exemplis, ad narrandum plerumque surgit difficilis.	*Sanctorum vita virorum, quamquam sit gloriosa in exemplum, ad narrandum plerumque surgit difficilis.*	*Sanctorum vitæ virorum gloriosæ sunt in exemplum, ad narrandum tamen sunt duræ ac difficiles.*

Qui primam hanc recensionem attentius inspexerit, is ægre, ni vehementer fallor, admiserit eam, qualis legitur in apographo Ultrajectini et in utroque codice Parisiensi recentiori, ab uno eodem scriptore et uno tenore esse confectam, sed potius eam partem quæ in codice Parisiensi antiquiori continetur, et in qua continetur brevis conspectus virtutum S. Audoeni, pertinuisse ad sermonem quemdam panegyricum (quod et satis indicat ipsum genus dicendi) in annua festivitate ejusdem recitandum, cujus altera pars complectebatur enarrationem miraculorum quæ sancti intercessione, sive dum adhuc in vivis agebat, sive jam ad cœlestem gloriam evecti, patrata ferebantur; quod satis perspicue indicatur ultima phrasi : *Ad miracula ejus transeat oratio...*, qua nequaquam supponere licet transitum fieri ad posteriorem partem *Vitæ primæ* (apud Bollandianos capp. II et III). Etenim in hac altera parte non unice, vel etiam præcipue, agitur de miraculis S. Audoeni, sed distinctius atque ordine chronologico traditur historia gestorum a sancto archiepiscopo ab eo maxime tempore quo ad munus episcopale assumptus est. Hæc itaque concinnata fuisse videtur ad supplenda ea quæ prior panegyrista, nimio brevitatis studio, vel prorsus transmiserat, vel levissime attigerat aut adumbrarat.

(1) *Act. SS.*, tom. cit., p. 806-807. — (2) Cfr. ibid., p. 807, num. 9 init.

II

Altera Vitæ S. Audoeni recensio a Surio et aliis plurimis eum secutis inscripta est Fridegodo cuidam monacho (gratuita prorsus conjectura monachum S. Audoeni eumdem fecit D. Pommeraye) (1) et in plerisque exemplaribus instructa est prologo incipiente his verbis : *Conditor mundi omnipotens Deus...* Perperam lucubrationem illam Fridegodo attributam esse ita demonstravit Cuperus (2) ut jam omnino conclamatam dicere liceat Surii sententiam : ad quam confutandam, si opus esset, et hoc sane magni ponderis argumentum adjicere possemus quod, quum adeo multi, ut mox patebit, codices reperiantur hanc Vitam secundam exhibentes, nullum omnino exemplar Fridegodi nomine legitur inscriptum.

Permulta hujus secundæ Vitæ exemplaria ad nos pervenisse diximus. Etenim in sola Bibliotheca Nationali Parisiensi non minus novem codices, qui eam contineant, inventi sunt; nimirum :

1° Ms. lat. 15437, ineunte seculo XI exaratus, aut certe, quod ad litteras majusculas spectat, depictus. Hunc a canonicis ecclesiæ S. Marcelli Parisiensis aliquis pretio comparavit et Sorboniæ dono dedit anno 1662. Textus Vitæ S. Audoeni (fol. 131) omnino consonat cum textu edito a Bollandianis, nisi quod desideratur prologus et in fine addita est hæc clausula : [... *regnante* (sic) *post obitum Ludovici imperatoris Lothario et Carolo anno primo*] *cum ingenti decore sepelierunt ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.*

2° Ms. lat. 11750 (fol. 138), olim S. Germani Pratensis, exscriptus seculo XI. In quo etiam desideratur prologus.

3° Ms. lat. 12605, ejusdem quondam cœnobii et eodem seculo videtur fuisse descriptus potius quam seculo XII, ut indicatur in Catalogo mss. Legitur in illo, sicut in codicibus bollandianis, post clausulam doxologicam consuetam (3) additamentum (4) : *Requievit ergo in ipso loco, ubi translatus fuerat, annos centum sexaginta duos, donec Normanni vastaverunt Rotomagum et succenserunt monasterium ipsius Idus maii, sub anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo secundo, regnante...* Unde colligitur Vitam ipsam secundam conscriptam esse ante annum 842, qui signatur additamento, sed post mortem S. Ansberti (circa an. 695), uti patet ex contextu; igitur probabilissime dici potest Vita hæc seculo VIII, vel ineunte IX, concinnata.

4° Ms. lat. 16734 (fol. 148), exaratus seculo XII.

5° Ms. lat. 17005 (fol. 151), ejusdem ætatis.

6° Ms. lat. 11758 (fol. 154v), seculi XIII; ex bibliotheca doctissimi Vion d'Hérouval.

7° Ms. lat. 5276, item seculi XIII; olim Colbertinus.

(1) *Hist. de l'Abbaye royale de Saint-Ouen*, p. 1, et *Hist. des Archev. de Rouen*, p. 132. — (2) Comm. præv., num. 7-9 (p. 795). — (3) *Act. SS.*, tom. cit., p. 809, num. 45 extr. — (4) Ibid., num. 46.

8° Ms. lat. 5296, ejusdem ætatis et ejusdem olim collectionis. Continet tantum (fol. 107 sqq.) nonnulla fragmenta Vitæ secundæ sub titulo : *Fragmenta passionis S. Audoeni* (et præterea Vitam S. Medardi perperam inscriptam S. Audoeno auctori).

9° Ms. lat. 12616, exaratus circa 1316. Integram exhibet Vitam S. Audoeni, sed deficiente prologo (1).

Præter Parisienses illos, nonnulli præsto sunt codices bibliothecæ publicæ Rotomagensis eamdem Vitam secundam referentes :

10° Codex signatus U 35, olim cœnobii Gemeticensis, ubi secundum Montfaucon (2) notatus erat numero G 13. Præmissus est prologo index capitulorum. Sequuntur inde (fol. 73-91) prologus et Vita exarata diversis manibus seculi XI medii vel ineuntis. — In additamento *Regnante...* (3) maxime notatu dignum est quod in eo codice, sicut et omnibus ferme aliis codicibus, prius scriptum erat singulari numero REGNANTE... *Lothario et Carolo...* et deinde, ipso scriba emendante, *Regnantibus*. Unde non spernendum argumentum desumi potest ad demonstrandum quam fideliter primævis textibus describendis inhærerent librarii.

11° *Liber Eburneus ecclesiæ cathedralis Rotomagensis* (fol. 93-111), quem recens accurate describens cl. v. Carolus de Linas (4), eam partem codicis seculo XI-XII exaratam censuit.

12° *Liber Niger Sancti Audoeni* seu codex Rotomag. Y 41 (fol. 91-198), de quo mox fusius dicendum erit.

13° Codex signatus Y 49, olim monasterii S. Audoeni, seculo XV exaratus ; in quo singulis capitibus præmissi sunt tituli gallice concepti (5). Perperam in nonnullis Catalogis indicatur codicem Rotomagensem U 64 continere Vitam S. Audoeni. Neque enim in eo codice ipsa Vita refertur, sed tantummodo *Translatio corporis*, ut edita legitur in *Act. SS.*, tom. cit., p. 821-824.

Jam si ad alias Franciæ bibliothecas transitum facimus, Vitam secundam S. Audoeni exhibere reperiuntur :

14° Cod. Scholæ Medicin. Montispessul. 1, olim Claræ vallensis, exaratus sec. XII, tom. IV. Tomus hic nonnullis foliis mutilus est, adeo ut in illo desiderentur finis Vitæ S. Philiberti Gemeticensis et exordium Vitæ S. Audoeni usque ad hæc verba : *[exer]ceret atque in mola farinam conficeret* (6).

15° Ejusdem bibliothecæ cod. 30, olim Bouhier (7), partim seculo XII, partim XIII exaratus.

(1) Ms. lat. 5365 non continet Vitam S. Audoeni (quod per errorem indicat Catalogus), sed Vitam S. Eligii a S. Audoeno conscriptam. — (2) *Bibl. bibl. mss.*, tom. II, p. 1213. — (3) Cfr. supra, p. 71 med. — (4) *Gazette Archéologique*, 1886, p. 5 libelli seorsim editi. — (5) *Sensuit la preface ou prologue qui touche en general la vie de Monseigneur saint Oen, arcevesque de Rouen et protectour de nostre foy, virge tres humble.* — Etc. — (6) *Act. SS.*, tom. cit., p. 813, num. 18, lin. 7. — (7) Cfr. Pertz, *Archiv.*, tom. VII, p. 195-196.

16° Cod. Atrebatensis 23, seculo XIII descriptus, olim cœnobii Sancti Eligii prope Atrebates, qui in hac parte omnino consonat editioni Bollandianæ.

17° Cod. Duacenus 837, olim Aquicinctinus, seculi XII, in quo nonnulla tantum fragmenta referuntur (fol. 94bis et fol. 102-108).

Denique memorandi veniunt codices olim (18°) Corneolensis, (19°) Vallis Lucentis et (20°) Cartusiæ Divionensis, quibus in Vita secunda S. Audoeni usi sunt hagiographi Bollandiani (1) et codices Parisini (21°) 14364 sec. XII, et (22°) 5333 sec. XIV, ubi textus hujus Vitæ legitur in compendium redactus et subinde adulteratus (2).

III

Ex recensione codicum quos superiori paragrapho breviter descripsimus colligitur Vitam illam, cujus prologus exorditur verbis *Conditor mundi*, in summa existimatione habitam fuisse in occidentali et meridionali parte Franciæ, quæ scilicet complectitur antiqua Neustriæ et Burgundiæ regna. In Austrasia vero præcipue vel etiam solus notus erat alius textus, quem Vitæ tertiæ nomine designabimus et hic suscipimus edendum. Nullus quippe eorum codicum, numero amplius viginti, qui Vitam secundam nobis exhibuerunt, in antiqua Austrasiæ ditione descriptus videtur; at Vitæ tertiæ exemplaria, numero quinque, quæ ad notitiam nostram venerunt, in ea regione exarata, aut saltem inde eruta, vel certo demonstrantur vel probabilissime supponi possunt. Horum unum servatur Metis, alterum Rotomagi, reliqua tria reperit R. D. Lebarq in Bibliotheca Nationali Parisiensi. Jam pauca de singulis.

1° Ceteris antiquitate præstat, judicio R. P. Caroli De Smedt, hagiographi Bollandiani, qui illum accurato examini subjecit, codex bibliothecæ publicæ Metensis signatus numero 652. Is in catalogo codicum mss. hujus bibliothecæ (3) exaratus indicatur partim seculo IX, partim XI: et quidem ad hanc posteriorem ætatem ab illo, qui catalogum confecit, refertur scriptio Vitæ S. Audoeni, quæ tamen prædicto hagiographo paulo antiquior visa est et facile judicari potest ex descriptione hujus partis quam tradidit hocce tenore. Codex est membraneus, forma in quarto minori (0m,185 × 0,125), lineæ (in toto codice) plenæ, stylo ferreo ductæ et utraque parte terminatæ ad duplicem lineam in perpendiculum a summo folio demissam. Scriptura Vitæ S. Audoeni valde nitida est, sed voces subinde non recte distinctæ. Non raro occurrit littera *a* charactere cursivo, ut aiunt, notata, præsertim in diphthongo *æ*, cujus et litteræ nusquam conjunctæ conspiciuntur, sed separatim scriptæ. Nonnumquam etiam simili charactere notata est littera *e*. Syllaba *et* plerumque repræsentata est signo *&*, idque non solum in particula conjunctiva, sed et in mediis vocibus, immo et ubi litteræ ad diversas voces pertinent, v. g. *d&hesauro (= de thesauro)*. Littera *n* in corpore vocis frequenter notatur sub

(1) *Act. SS.*, tom. IV Aug., p. 810. — (2) In codice Rotomagensi Y 40 insuper indicatur Vita S. Audoeni; sub illo autem titulo nil aliud reperies nisi fragmentum Actorum (de quibus modo, p. 74, not. 1) Rotomagensium Archiepiscoporum. — (3) *Catal. des mss. des bibl. publ. des dép.*, tom. V, p. 225.

forma litteræ capitalis N, et in fine conjungitur cum littera T superposita (NT = nt). Littera *s* ubique occurrit sub forma minuscula ſ, præterquam in capite vocis qua exorditur sententia aliqua principalis, ubi usurpata est forma majuscula S. Littera *d* nonnumquam forma unciali, longe plerumque minuscula notatur. Denique litteræ H et U majusculæ ubique formam uncialem exhibent, subinde etiam littera majuscula E. Tituli litteris majusculis, partim uncialibus, exarati sunt. Summo folio 1° inscripta legitur hæc nota manu recentiori : *Ex Mon. S. Arnulphi.*

2° Celebris *Liber Niger cœnobii Sancti Audoeni,* qui hoc nomen accepit, ut credere fas est, quod corio pullo contectus erat (nunc autem tegumentum habet flavum), sæpissime citatus fuit a D. Pommeraye in opere cui titulus *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Ouen,* et magno in pretio habitus a doctissimo Joanne Mabillon, qui ex eo desumpsit Acta archiepiscoporum Rotomagensium, et autographum seu primigenium illorum Actorum exemplar eumdem, sed perperam, existimavit. Egregius ille codex amissus putabatur, sed contigit nobis illum certo agnoscere, eumdem scilicet cum codice qui in bibliotheca publica Rotomagensi nunc signatus est Y 41. Unum eumdemque esse hunc codicem cum *Libro Nigro* eruimus præsertim illum conferendo cum codice quondam ecclesiæ parochialis Rotomagensis qui nunc est penes cl. v. Edmundum Le Corbeiller in civitate Deppensi (1).

Præter Vitam primam (cfr. supra p. 69), quam nullus omnino codex Rotomagensis exhibet, Liber Niger omnia documenta antiqua continet, quæ de S. Audoeno scripta ad nos pervenerunt : Vitam scilicet *Conditor mundi;* Vitam metricam quæ auctorem habet Theodoricum monachum (2); librum de translatione corporis; librum miraculorum, etc.; ac denique Vitam quam nuncupamus tertiam, quæ tamen infelici casu mutila est, deficientibus exordio prologi, initio ipsius Vitæ et parte indicis capitulorum. Index iste in hoc solo codice habetur, ita concinnatus ut singulorum titulorum primæ litteræ repræsentent seriem litterarum alphabeti, titulo primi capituli incipiente littera A (*Ante sæcula a Deo...*), secundo littera B (*Benedictionis prærogativa...*), et ita porro.

Textus Vitæ tertiæ qui legitur in Libro Nigro emendatior nobis visus est quam ceterorum codicum, id est Metensis et triplicis Parisiensis : unde eum præcipue in editione nostra secuti sumus, variantes tamen lectiones alicujus momenti ex aliis passim adjicientes.

Ceterum ne quis miretur quod recensio illa Vitæ S. Audoeni, quam paulo supe-

(1) Cognatus *Libro Nigro* est *Liber Eburneus* quondam capituli ecclesiæ cathedralis Rotomagensis (de quo supra, p. 72 med.). In utroque exscripta fuisse Acta Rotomagensium Archiepiscoporum ex antiquiori exemplari nunc deperdito, post annum 1070 et ante 1110, archiepiscopo Rotomagensi Gulielmo, cognomento *Bona-anima,* alias nos demonstraturos confidimus, simulque ostendemus Libro Eburneo magis fideliter referri primigenium illum codicem quam Libro Nigro, quem interpolationibus purum non esse facile liquet. — (2) Cfr. *Act. SS.,* tom. IV Aug., p. 695, num. 10).

rius Austrasiæ partibus propriam videri diximus, in codice Rotomagensi reperiatur, recolendum est cœnobio Sancti Audoeni possessiones quasdam fuisse in territoriis Trevirensi et Metensi, unde facile illa recensio accipi potuit.

3° Cod. Paris. lat. 9742, exaratus seculo XII, nunc initio mutilus. Hunc eumdem esse suspicor cum codice S. Maximini Trevirensis unde nonnulla citarunt Bollandiani (1). Etenim ex una parte codex is, ut nobis de eo inquirentibus renuntiatum est, jam Treviris non servatur, ex altera vero codici Parisino inscripta est hæc nota : *Ex libris imperialis monasterii S. Maximini, département du Mont-Tonnerre,* quæ quidem præfectura civitatem Trevirensem non complectebatur, sed facile supponere licet codices quosdam Trevirenses delatos fuisse Moguntiam, qui inde postea Parisios transmissi sunt. Certe loci citati a Bollandianis eodem tenore leguntur in illo codice. Hujus etiam codicis in marginibus anonymus quidam XVII sæculi plures non omnino spernendas annotationes inscripsit ; quarum præcipuas inter variantes textus lectiones inferius inserere juvabit.

4° Mutilus etiam est cod. Paris. lat. 5607, olim Colbertinus, descriptus seculo XI. Sexdecim tantum folia continet Vitæ S. Audoeni, quorum priora adeo edacis rerum temporis injuriam passa sunt ut omnino jam legi nequeant. Codex ille Metis allatus videtur, unde multa manuscripta a canonicis ecclesiæ hujus civitatis Colbertus, missis ad eos in vicem ornamentis ecclesiasticis, comparavit.

5° Denique, præter duo modo indicata, tertium a R. D. Lebarq in Bibliotheca Nationali Parisiensi repertum est exemplar Vitæ tertiæ S. Audoeni, illudque integrum, in codice lat. 10852, seculo XI diversis manibus exarato, quem olim fuisse cœnobii S. Willibrordi Epternacensis indicat nota inscripta fol. 99. Ex inspectione codicis manifeste constat quatuor amanuenses diversos operam suam contulisse describendæ Vitæ S. Audoeni (fol. 1-23, 24-41, 42-49, 50 sqq.) et ita quidem ut videantur non alter alterius opus continuasse, sed illud totum inter se partiti esse nec adeo accurate illud disposuisse : nam pars folii 23 vacua relicta est, sicut et folium 49ᵛ, et fol. 50ʳ quædam repetita sunt quæ jam fol. 49ʳ descripta erant.

Ex his itaque codicibus quinque editionem nostram Vitæ tertiæ S. Audoeni adornavimus, eadem nobis norma proposita, quod ad orthographiam spectat, quam secuti sumus in edendis Miraculis S. Swithuni (2). Codices autem diversos sequentibus siglis designavimus :

Lib. Nig. cœnobii S. Audoeni (Bibl. municip. Rotomag. ms. Y 41) . .	A.
Cod. Sancti Arnulphi Metensis (Bibl. publ. Metens. ms. 652)	M.
Cod. Sancti Willibrordi Epternacensis (Bibl. nat. Paris. ms. lat. 10852).	E.
Cod. Sancti Maximini Trevirensis (Ibid. ms. lat. 9742)	T.
Cod. Colbertinus (Ibid. ms. lat. 5607)	C.

(1) *Act. SS.*, tom. cit., p. 795, num. 11-12. — (2) *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 367 sqq.

Incipit prologus vitæ sancti Audoeni episcopi.

1. Vitam beati confessoris atque pontificis Audoeni, a quodam nescio quo conscriptam, humilitatem nostram flagitastis emendare, ut quæ fuerant vitiose prolata corrigerem, quæ nimia brevitate constricta enuclearem. Quæ res, inspecto nondum libello (1), nec laboris sumptum, nec temporis spatium exigere multum videbatur. Unde negotium quod molestum valde non putabatur, remissioris animi securitatem pepererat. At postquam rogata peracturus volumen evolvi, erroris laberinthum et confusionis voraginem imprudens impegi, et ubi jocundam æquoris planitiem et amœni ruris floreos tractus me gaudebam deambulaturum, illic confragrosas valles et callem saxis exasperatum offendi. Concidi mox, fateor, et inter subeundi atque deserendi laboris onus diu fluctuans hæsi. Si penitus relinquerem, dilectionis imperio vestræ minus inveniri officiosus verebar; si mallem subire, totum opus dedicandum proprio stilo providebam : at hoc non postulaveratis. Depravata porro corrigere et quæ minus fuerant elucubrata, paulo venustiore adornare sermone, vestræ fuerat postulationis. Quam rem perficere duæ res obviabant. Prior, quam male digestæ series orationis opponebat, et, eam si conatus fuissem ad normam redigere, potioris deformitas incompositionis nasceretur. Altera, quod talis oratio nec nostra nec alterius esset, sed, velut fertur, onocentauri (2) [ex] homine asinoque prodigiosa commixtio cerneretur. Accedebat [1]ad hæc modico non tempore postulationis dilatio : quam si vacuam exsecutionis fructu relinquerem, et nostræ reus promissionis et vestræ ingratus dilectioni

[1] *A* accidebat.

(1) Non erat ergo auctor monachus alicujus cœnobii sancto Audoeno sacri : habuisset enim notitiam aliquam libelli de vita aut miraculis patroni. Nec " patrem " vocat S. Audoenum, sed " confessorem atque pontificem. " — (2) 'Ονοκένταυρος apud H. Stephanum *(Thes. linguæ græcæ)* dæmonum genus tenebrosum ; " fortasse simiæ species " ait Forcellini. Videsis Ælianum, *De natura animalium*, XVII, 9. Propius accedit auctor noster ad sensum etymologicum.

apparere formidabam. Tandem itaque decrevi propriæ stilo prosecutionis omnem hujus historiæ seriem commendare, eligens magis quorumdam calumniis patere, quasi præsumptor, quam religiosæ petitioni qualemcumque nostræ servitutis negare famulatum. Talique consilio, si quis fraterne percenseat, humilitatis nostræ modum me tenuisse atque obsequendo non defuisse vobis animadvertet [1]; siquidem et antiquam historiam intactam reliqui, et obsecutionis studium in nostræ locutionis serie non indevotus exhibui. De cetero garrulitatis nostræ ineptias legentis judicio derelinquo.

2. Denique tantæ rei materiem nostræ rusticitatis eloquio mandare, non attollere sed deponere, non illustrare sed deturpare est; quandoquidem constet hunc excellentis meriti pontificem tam magnarum titulis enituisse virtutum, ut nec Tullianum eloquium eis comparandum censeatur. Cui laudis inexplicabilem gloriam confert nihil eorum in eo deficere, quæ [2] laudis materiem debeant oratoriis copiis administrare : in quo et generis nobilitas fulgeat, et virtus animi præmineat, et formæ dignitas non obscuret; quem a primævis dierum curriculis mores optimi decorarant, disciplinæ liberales informaverant, professionis gradus extulerat; quem fides in Deum, pietas in patriam, studium in religionem reddiderant gratum Christo, regibus acceptum, ducibus reverendum, civibus carum ecclesiæ rectorem. Qua de re [3] sanctitatis merito, cœlestis gratiæ dono, fuerat apostolis non impar, martyribus coæqualis, confessoribus sociandus: siquidem apostolica clarus doctrina refulsit, tolerantia passionis terrena mortificando membra præcelluit, confessionis constantia insuperabilis mansit; ut non immerito dici de eo possit quod *dilectus Deo et hominibus* fuerit, *cujus memoria in benedictione* sit. *Extulit eum Dominus in gloria sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. In fide et*

[1] *Hic incipit cod. Rotomagensis, quem signamus littera A, initio mutilus.* — [2] *codd.* quem. — [3] *A. semper* quadere, *quod semel notasse sufficiat.*

Eccli., XLV, 1-4. *lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum de omni carne.* De cujus actibus atque virtutibus aliquid scribere, quod humilitatis nostræ simplicitas præsumpsit, dilectionis vestræ jussio coegit. Qua de re quoque nostræ devotionis obsequium si quid habuerit quod tanta dignum materia censeatur, vestræ probationis examen judicabit. Quamvis namque gesta sancti viri verbis edere nostris maluerim, non tamen propterea probationis examen mihi decerno. Haud [1], quomodo alterius orationis vitia quadam pro parte cognovi, nobis sermonis elegantiam ascribo : quoniam [2] facilius aliorum quam nostra errata videmus, et dum in alios severi, in nos clementes existimus, actionis nostræ maculas indulgentissime præterimus. Appensionis itaque vestræ comprobationi nostri labor opusculi committitur, ut si legentum publicis debeat conspectibus offerri, sententia vestra decernat. Ceterum intentioni nostræ finis constituitur iste : vestris pro qualitate sensus obtemperasse præceptis, et gestorum ordinem secundum priorum scripta vera fide protulisse. Quædam vero permutavimus, non rerum fidem abjurantes aut corrigentes, sed locutionis legibus opportunius servientes. Verum ad narrationis seriem transeamus.

Incipiunt capitula de vita et virtutibus sancti Audoeni.

I. Ante secula a Deo præelecti almi Audoeni tempus, locus, nativitas, ejusque nobilitas generis [3].

3. Regnante Lothario, Hilperici regis filio, anno regni ejus fere vicesimo (1) nati sunt tres fratres, ex præclara Francorum

[1] *codd.* aut, *confusione non unica.* — [2] quo *M.* — [3] *titulus quem modo descripsimus :* Incipiunt, *etc., legitur in A et in hoc solo ; sed truncatus codex initium Vitæ non exhibet. Lacuna terminatur num. 5 extr.*

(1) Lotharius sive Clotarius II, demortuo patre Hilperico I, apud Suessiones regnavit a mense Septembri 584 ; totius vero Francorum imperii regimen obtinuit anno 613. Lotharii principatus Suessonici annus " fere vicesimus " in annum 604 ineuntem vel 603 reponendus est. Si Dado, i. e. Audoenus noster, Autharii filius natu minimus (ut ex dicendis patebit), tunc ortum duxit, vides quam parum attendenda sit eorum chronotaxis qui et Audoenum natum circa annum 603 consentiunt et simul asserunt illum anno 677 ad superos transmigrasse " nonagenarium. "

stirpe, cives Suessonici, in loco cui vocabulum est Sanciacus [1] (1), a civitate tribus millibus distante, Ado, Dado et Rado (2), patre Authario, matre vero Aiga. Ambo itaque parentes genere nobiles, sed religione nobiliores (3). Facultates enim suas non terrenæ possessionis extensione dilatabant, domum ad domum conjungentes et agrum agro copulantes, tanquam soli super terram inhabitarent, vel avarissumptibus

[1] Sauciacus *M, E;* Sauciatus *T.*

(1) Sanciacus, *Sancy,* Suessonici pagi nunc viculus incolarum numero vix 210 *(Dict. des communes de la France),* in declivitate collis ad Axonam fluvium *(Aisne)* inclinantis. Haud procul distat a Condeto *(Condé-sur-Aisne),* quo beati Audoeni corpus, Danis Neustriam vastantibus, delatum fuit. Præcipuo cultu hodieque Sanciaci ut patronus honoratur beatus pontifex, ejusque reliquiis, exiguis licet, locus gloriatur. Hic etiam prioratus fuit, idiomate vulgari dictus *la Maison de Sancy,* qui ab insigni abbatia S. Audoeni Rotomagensis pendebat (Ledouble, *Etat religieux ... des pays qui forment aujourd'hui le diocèse de Soissons,* Soissons 1880, p. 80), cujus prioratus dominium Rotomagensi Ecclesiæ, tunc S. Petro dicatæ, tradiderat ipse beatus vir, si fides Valesio *(Notit. Galliar.,* p. 500). Errat autem Valesius dum putat Sanciacum „ *n* in *u* mutato „ nomen accepisse *Saucy:* quum longe diversa sint *Sancy* et *Saucy* sive *Saulcy* (A. Matton, *Dict. topogr. du départ. de l'Aisne,* pp. 254, 256). — (2) De numero filiorum nobilis Autharii solus ex antiquis dissentire videtur Jonas, Bobiensis in Italia monachus, in Vita S. Columbani (Cfr. *Act. SS.,* tom. IV Aug., p. 796, § II), cui perperam adhæserunt recentiores pauci. Jonæ testimonio nullam vim addere possunt Vitæ S. Columbani a Frodoardo Remensi et S. Faronis Meldensis ab Hildegario post elapsa duo secula conscriptæ : utraque enim in hac re de qua agitur, certo certius ab ejusdem Jonæ de S. Columbano libello derivatur. Nos Jonæ opponimus tum auctorem nostrum supparem et Rotomagensem (ut videtur) primævæ Vitæ S. Audoeni, tum subæqualem etiam auctorem Vitæ beati Agili Resbacensis (apud Mabillonium, *Act. SS. O. S. B.,* sec. II, pp. 25, 39, 321, 612). Quin Mabillonius ipse fatetur (ibid. p. 39) legisse se in codice Conchensi Vitæ S. Columbani : *erantque his filii tres.* Opinamur igitur cum Cupero (*Act. SS.,* loc. cit.) Adoni et Dadoni medium fuisse Radonem, prout etiam ex textu nostro colligimus, ubi dicitur : „ Primogenitus Ado (infra, num. 6). Rado secundus natu (num. 7); ita ut postremus sit et tertius Dado sive Audoenus. — (3) Autharium et Aygam titulo Sanctorum gaudere, jure notarunt socii Bollandiani (inter Prætermissos ad 26 Aprilis), pluraque sanctitatis eorum testimonia ex diversis martyrologiis tum ipsi, tum Sollerius (in suis ad Usuardum auctariis sub eodem die) produxerunt. Quibus nobis addere lubet veteres abbatiæ S. Audoeni Rotomagensis codices, memoriam cultus „ S. Autharii sociorumque ejus „ retinentes. Sunt autem in hoc genere : 1° Codex ms. sec. XI, cui titulus : „ Orationes et Capitula per annum recitanda in monasterio S. Audoeni „ (*Bibl. municip. de Rouen,* cod. V 21, fol. 92); 2° Missale ad usum monasterii S. Audoeni, sec. XIII (ibid., A 459, fol. 3v et 223v); 3° Directorium ejusdem monasterii, sec. XIV (ibid., A 530, fol. 16v). In Missali et in Directorio indicitur festum „ *Autharii, Aygæ, Adonis et Radonis, III lection., VI kal. Maii.* „ Cfr. Mabillonium, *Act. SS. O. S. B.,* sec. II, p. 321, not. 2.

thesaurorum congeriem sub spe possessuræ sobolis reponebant; sed veras Christi divitias concupiscentes, distribuendo caducas, eas [1] sibi parabant et in æternam possessionem liberis suis aggregabant. Unde quæcumque in fundis, in divitiis possidebant, in pauperum sumptus, in pupillorum et viduarum necessitates, in servorum Dei obsequia summo studio Gal. vi, 10. impendebant, operantes, secundum Apostolum *bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Erant etiam cum misericordia tum [2] quoque ceteris virtutibus adornati. Nam fide longanimes, spe sublimes, caritate diffusi pollebant. Verbum vitæ aure percipere, corde conservare satagebant; quosque noverant catholicæ fidei puritate integros, morum sanctitate compositos, doctrinæ cœlestis illustratione conspicuos, hos adire, ab eis verba vitæ doceri ardentissimo amore studebant. In eorum domo non de more secularium [3] inepta vanitate gaudentium aut molles histrionum motus aspiciebantur, aut mimorum nefandæ cavillationes audiebantur; sed cœlestes hymni resonabant, evangelica sive apostolica verba meditabantur. Quando aliquem divini verbi doctorem suscipere merebantur, tunc videres eos gaudio exultare, lætitia efferri: tunc se felices, tunc se a Domino visitatos dicentes. Sciebant enim, superna gratia illustrati, quod in servis suis Christus suscipiebatur, sicut ipse dixit Marc. ix, 36. apostolis : *Qui vos suscipit, me suscipit;* et mercede pro- Matth. x, 41. phetæ donandos qui prophetam in nomine prophetæ susciperent. Illud quoque Salomonis [4] congestientes imitari : *Audiens sapiens sapientior erit et intelligens gubernacula pos-* Prov. i, 5. *sidebit;* et Sapientia dicit : *Beatus qui vigilat ad fores meas* Ibid., viii, 34. *et observat ad postes ostii mei quotidie.*

II. Benedictionis prærogativa qua commendatur tam ipse quam fratres ejus a sancto Columbano, prophetiæ spiritu prædito.

4. Ergo desiderantes Christum in membris suis semper

[1] *tollendum videtur.* — [2] tunc *M.* — [3] *codd.* seculorum. — [4] Salemoni *M;* Salomoni *E.*

amplecti, ut, eorum exemplis instituti, doctrina illustrati, et mentis suæ gubernationem possidere et sapientiæ beatitudinem assequi mererentur, gaudio sancti Spiritus replebantur, si, quod votis optabant, cœlestis regni præconem aliquem suscipere meruissent. Quorum pietatis [1] amori supernus favor jugem præstabat affectum [2]. Unde factum est, ut inter reliqua cœlorum luminaria, quæ hujus noctis caliginem radiis divinæ lucis irradiant, etiam sanctum Columbanum, eximium supernæ patriæ sidus, susciperent (1); cujus fulgore mentis suæ radios augerent. Per idem namque tempus idem vir sanctus, magnis multarum meritis virtutum præclarus, in Gallias ex Ibernia [3] insula venerat. Hic est Columbanus, natione Scotus, qui monasteria duo non contemnenda fundavit, id est Luxovium in Galliis (2) et Bovium in Italia. Qui cum natale solum doctrinæ lumine et virtutum meritis irradiasset, relicta domo et patria, paupertatem Christi secutus, salutarem delegit peregrinationem, ut Galliarum populis lucerna super candelabrum posita coruscaret et patriarchæ Abrahæ, quem meritis coæquabat, etiam exilii (3) imitatione [4] non dissimilis eniteret. Fecit autem aliquod tempus apud quemdam illustrem virum, Hagnericum (4), consiliarium Lotharii regis; ut, qui terreni principis consiliarius fuerat, obtinendæ perennis vitæ consilium a Dei famulo perciperet. Ut autem pluribus salutaris Christi fons redundaret, vir sanctus a præfato viro digrediens ad villam Wiltiacum (5),

[1] *codd.* pietas. — [2] *ita codd.; pro* effectum? — [3] Hibernia *E.* — [4] imitationem *M.*

(1) Cfr. Vitam secundam S. Audoëni, num. 2 (*Act. SS.*, tom. IV Aug., p. 810), Vitasque S. Columbani (apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, pp. 25 et 39), S. Agili (ibid., p. 321) et sanctæ Theodechildis (ibid., p. 487). — (2) Circa annum 590. — (3) Ad annum 610 aut 611 referendum est exilium S. Columbani. — (4) Hagnericus, Agnericus sive Chagnericus, comes fuit Meldensis (cfr. antiqua S. Dionysii Chronica, in *Recueil des historiens des Gaules*, tom. III, p. 279, nota *d*). A Jona Bobiensi dicitur " regis Theodeberti conviva, vir sapiens, conciliis regiis gratus, et nobilitate ac sapientia vallatus " (Vita S. Columbani, num. 50). Pater fuit S. Faronis episcopi et sanctæ Burgundoforæ virginis, quibus et in itinere benedixit S. Columbanus. Theodeberto vita functo, Hagnericus non modico tempore regis Clotarii a consiliis fuit; neque excessit e vivis nisi post annum Christi 614 elapsum. — (5) Vultiacum (Wltiacum) super amnem Maternam (*Ussy-sur-Marne*, départ. de Seine-et-Marne, arrond. de Meaux, cant. de la Ferté-sous-Jouarre), diœcesis

super amnem Maternam sitam, devenit : ubi a religiosis atque præclaris dignitate seculi viris Authario et conjuge ipsius Aiga, de quibus supra scriptum est, officiosissime susceptus est. Post plura vero salutaris doctrinæ fluenta, quibus ex ore sancti irrorati sunt, obtulerunt ei parentes fideli devotione tres superius dictos pueros, orantes ut dignaretur eos cœlesti benedictione sanctificare. Quorum [1] fidem ac religionem videns sanctus Columbanus, et pueris benedixit, et in Spiritu sancto prædixit futuros et virtutum meritis eximios et dignitate seculi gloriosos. Nec potuit tanti viri benedictio inanis fieri vel præconium veritatis non adimpleri ; sed, juxta viri sancti verba, quamvis ordine diverso, et clari fuerunt in seculo, et servitutis Christi fascibus illustriores : quod sequentia monstrabunt. Mox ergo ut pubertatis annos attigerunt, palatinæ militiæ traditi sunt : in qua regibus primo Lothario, dein Dagoberto (1) præ cunctis sunt gratissimi [2] facti. Inter militares denique curas et regias administrationes animo semper cœlestia volvebant, orationi et continentiæ operam dabant, servorum Dei colloquia et consortia desideranter expetebant. Sic olim in aula Babylonica tres pueri sub cingulo palatii cœlorum regi mentis obsequio militabant.

III. Cælibatus prioris ejus fratris Adonis, pro Christo cuncta relinquentis.

5. Verum [3] cum illos regalis aula communis militiæ sub

[1] *hic iterum incipit A.* — [2] gratissime *M, E.* — [3] *in marg. A :* VI Lect.

Meldensis. Hic adhuc visitur antiquissima turris, quæ locum *villæ* sive *curtis* Autharii nobilis occupare creditur. Autharius etiam jure patronatus ibi venerationem habet. Nullæ ceterum in ecclesia loci Autharii reliquiæ; nullus denique cultus præcipuus ipsi exhibetur; depicta tamen vitrea tabula, recentis operis, ipsius nomen exhibet. Neque etiam in Resbacensi pago, ubi quondam in abbatiali ecclesia quiescebant, sed eheu! perierunt; neque apud Jodaram (*Jouarre, Jotrum*) vel minimam Autharii reliquiarum portionem asservari, affirmavit nobis vir clarus D. Denis, Meldensis ecclesiæ presbyter et canonicus (Epist. 17 Martii 1886). — (1) Anno 628 Lothario II successit Dagobertus. Quartum ergo supra vicesimum annum, aut circiter, tunc agebant Autharii filii.

professione suscepisset [1], superna tamen distributionis gratia diversis eos officiis in consummationem Ecclesiæ promovit. Nam primogenitus Ado (1), carnalis originis principatum in spiritalem consecrans dignitatem, quo, sicut nascendo januam vulvæ secuturis fratribus aperuit, sic quoque deserendi seculum iter patefaceret, caducam fragilis potentiæ altitudinem deserens et opes veloci fine perituras relinquens, æterno regi servire sub monastica professione delegit. Denique monasterium in proprio solo Jodarense (2) super fluvium Maternam, auxilium ferente fratre venerabili Audoeno, constituit et ex rebus propriis ditavit : in quo una cum multis fratribus secundum regulam sancti Columbani (3) Christi militiam gessit, eligens, secundum psalmistæ vocem, abjectus esse in domo Dei sui magis quam habitare in tabernaculis peccatorum ; et desideriis et voluptatibus labentis vitæ renuntians, mortificabat, secundum Apostolum, membra sua quæ sunt super terram, ut dicere posset cum psalmista : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ; concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Vacabat igitur orationi, jejuniis Ps. LXXXIII, 2.
et vigiliis insistebat, divini verbi pabulo interioris hominis vitam roborabat; quoniam substantiam hominis non corporali cibo, sed verbo Dei consistere, Veritatis magisterio didicerat, et humani generis hostem non viribus corporis, sed jejunio et oratione vincendum sciebat. Hinc est quod Adam in paradyso manducando vincitur, et a supernis expulsus sedibus in convallem lacrimarum exiliatur. Porro jejunans Christus superat inimicum, et, cœlorum mœnibus reseratis, post triumphalem palmam angelorum ministeriis honoratur.

[1] *codd.* suscepissent.

(1) De Adone plura reperies in Vita S. Agili, abbatis Resbacensis primi, sanctæque Theodechildis, primæ abbatissæ Jotrensis seu Jodarensis. — (2) " Monasterium Jodarense, super fluvium Maternam " alias Jotrum, *Jouarre (canton de la Ferté).* Ibi hodieque vestigia manent abbatiæ ab Adone conditæ, cryptaque celeberrima, ubi monstrantur sarcophagi ipsius beati fundatoris, sanctique Agilberti et sanctæ Theodechildis. — (3) Vid. Mabillon, Præfat. in tomum II *Act. SS. O. S. B.*

Sic et Helias (1), jejunii castigatione purificatus, divinitatis præsentiam in quiete spiritus et blandientis auræ suavitate promeruit; et qui inter catervas populares et civiles strepitus passionis terrore fatigatur, in solitudinis squalore jocunditate spiritus et cœlesti visione lætificatur. Talibus ergo venerabilis Ado doctus exemplis, infatigabile certamen adversum principes et potestates mundi hujus diebus noctibusque desudabat. Obliviscens præterita et ad futura se extendens, invictus athleta ad supernæ vocationis bravium contendebat.

IIII. Dignitatis sublimatio qua a rege provehitur secundus natu Rado.

6. At Rado (2), secundus natu, regiis præpositus est thesauris, congruo plane sublimatus honore: nam qui thesauros Christi scrinio pectoris sui reconditos servabat, curam quoque aulicarum [1] suscepit gazarum, ut ipso temporali signaret officio quod in abdito mentis gerebat. Qui etiam cum seculi dignitate religionis studium miro semper tenuit affectu. Erat enim in timore Domini perfectus, in dilectione dilatatus, in elemosinis largus, in legis observantia justus. Nec minus etiam militiæ disciplinam prudenter satis conservans, pietati semper et æquitati serviebat, commissos sibi palatii fasces modeste et sapienter administrans. Non elatione tumens, non potestate arrogans, non dignitate

[1] auricularum *A, E; in M* au ... larum *erasis in media voce duabus vel tribus litteris.*

(1) In ceteris S. Audoeni vitis eadem proponitur ad Heliam assimilatio et inferius num. 20. — (2) Alius videtur a Radone, qui sub Clothario Major-domus factus est apud Austrasios; de quo Fredegar. Scholastic. in Chronico ad annum 613 (*Recueil des historiens des Gaules,* tom. II, p. 430 B). Fuit et ipse Rado " scriptor auctoritatum regiarum, gerulusque annuli regii " anno Clodovei junioris undecimo, secundum chronographum Fontanellensem (*Rec. des hist. des Gaules,* tom. cit., p. 658 A); secundum lectionem editam sub titulo " Gesta abbatum Fontanellensium " in *Monum. Germ. hist.,* Scriptt. tom. II, p. 274 legendum est " scriptor regalium privilegiorum gerulusque anuli regii. " Illum etiam memorant Acta S. Agili, Aimoinus et Sigebertus (*Rec. des hist. des G.,* tom. cit., p. 596, nota *a*).

superbiens efferebatur; sed mitis, lenis, humilis et suavis incedebat, præ oculis habens illud Isaianum : *Omnis caro fœnum et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum et cecidit flos.* Ubi enim per ariditatem mortis viror Is. xl, 6-7. corporis emarcuerit, quicquid floridum, quicquid decoris humana vita videtur habuisse, in pulverem resolutum [1] disperit. Hæc vir prudens mentis oculo semper attendens, non pro terrena cito labentis gloriæ altitudine tumuerat, sed, desiderium ad alta suspendens, in humilitatis custodia se detinebat.

V. Excellentia honoris beatissimi viri quem a rege singulariter promeruit ; atque eam dignis moribus apud ipsum et ceteros aulicos commendaverit.

7. Porro sanctus Audoenus, cui erat cognomen Dado, regis est auricularius (1) effectus et scribarum primus constitutus, servans regis annulum, quo edicta vel cetera scripta principalia, quorum ipse scriptor erat, signabantur. Erat namque intellectu subtilis, ingenio perspicax, sapientia profundus, sermone disertus, consilio prudens, gravitate compositus, æquitatis atque justitiæ servantissimus, in judicio faciem peccatoris non suscipiens, egeno et pupillo judicium faciens, humilem et pauperem justificans, conterens, secundum beatum Job, molas iniqui et a dentibus illius auferens prædam. Cujus quoque mentis dignitatem et ipsa corporis illustraverat forma. Erat enim statura celsus, aspectu decorus, majestate membrorum venerandus; licet in sanctis viris ista pro minimo sint habenda, quoniam a quibus interior colitur pulchritudo, exterior negligitur. Unde in isto etsi laudantur illa quæ natura contulit [2] etiam corpori, caritas tamen quæ in eo Christi gratia flagrabat [3] gloriosum et prædicabilem faciebat. Cujus caritatis inæstimabili lumine

[1] (p. r.) pulveris resolutionem *M, E.* — [2] *hic rursus deficit A.* — [3] fraglabat *M.*

(1) De munere et nomine " auricularii „ cfr. Lanovium, in Schediasmate primo de cancellariis (*De sanctis Franciæ cancellariis*, p. 167-168).

lampas, et regi dilectus et omnibus proceribus venerabilis universisque militibus admirabilis et gratus extiterat. Ejus industria universa regiæ domus officia gerebantur; ejus consilium omnes optimates et ipse rex tamquam cœleste attendebant oraculum. Regebat tunc Francorum regnum Dagobertus, præfati filius Lotharii, qui, factus patris successor (1), venerabilem Audoenum admodum dilexit et honore sublimavit, ejusque, sicut dictum est, consilium libentissime, quasi divinitus effatum, audiebat et studiose perficiebat. Tantæ namque opinionis fama virtutum ejus et regem et omnes aulicos detinebat, ut illius sententiam non audire supernæ potestatis decreta prævaricasse se putarent. Quod enim suadebat aut admonebat et honestum erat et utile. Nam omnis ejus sermo de pace sive salute civium et de religionis pietate fuerat.

8. Hortabatur regem ut regem regum Christum, a quo illi temporale sceptrum fuerat concessum, timore sancto diligeret illiusque præcepta legis diligentia summa perficeret; sicut per Moysen ad populum Israel mandatum est ut, cum sibi regem constitueret, legis librum illi traderet, ne præter eam aut juberet aliquid aut faceret; testificans esse justum ut, qui leges a se datas subditos sibi populos vellet observare, ipse divinis parere legibus studeret. Meminisset quoque se unum mortalium esse, et quamvis [1] dignitate præcelleret, eadem tamen natura et simili nativitatis ac mortis sorte detineri; solium principalis excellentiæ populi suffragio sibi delatum : qua de re non superbia tumidus subditos despiceret, sed humilitate mansuetus eis se coæquaret, juxta illud Sapientis : *Principem te constituerunt : noli extolli, sed esto in eis quasi*
Eccl. xxxii, 1. *unus ex eis*. Fines imperii tueretur, hostes expugnaret, quoniam, ut aliorum limites invadere et violenter detinere fastu dominandi avaræ cupiditatis est ambitus, sic proprios non defendere et adversarios non arcere [2] desidiæ est et timoris ignavia, quæ reipublicæ corpus omne et universali

[1] *ita E;* quavis *M.* — [2] *codd.* arceri.

(1) Anno 628.

et privata pestilentia corrumpit, evertit, exterminat. Pacem studere monebat civium, fidem etiam hostibus servare; innocentes et bonos tueri, nocentes et malos coercere; justitiam sectari; judicium justum causarum meritis, personarum sine respectu, decernere; increpationem timere comminantem : *Usquequo judicatis iniquitatem et facies peccatorum sumitis?* pauperes, viduam et pupillum protegere et auxilium eorum necessitatibus ferre. Quoniam rex si magis pater patriæ[1] quam dominus est intelligendus (unde et rex, id est mitis, justus et benignus, non tyrannus, id est truculentus, iniquus et immanis, appellatur), non solum divites et potentes, verum egeni et infirmi debent eum sibi sentire patronum. Ecclesiam super omnia hortabatur diligere[2] tamquam corpus Christi, Dei sponsam, matrem credentium, dominam regum; sacerdotes venerari utpote lumina mundi, principes cœlorum, quorum potestate cœlum clauditur et aperitur, per quos Deus mortalibus loquitur, per quos mortalium preces et vota suscipit, per quos peccatorum vincula solvit et justorum merita coronat, quorum obsequium in Dei sacrificium refunditur, quorum injuria divina severitate vindicatur. Si enim reges et principes mundi a subditis venerantur, quanto magis sacerdotes, qui cœlorum sunt principes, a Dei cultoribus debent haberi venerationi? Et cum hoc ab omnibus, tum maxime ab illis quos gratia superna temporali culmine sublimavit, ut unde plus ceteris a Domino consecuti sunt, inde largitori suo devotionis obsequia plus exhibeant : quod tunc agent si pastoribus Ecclesiæ subditi fuerint et honoris debiti reverentiam præbuerint. Hoc enim pastor omnium et rex regum commendans, ait : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.* Omnem quoque clerum tamquam membra Christi suscipi et amplecti oportere docebat. Ipsi sunt enim astra cœli, quibus lumen vitæ radiat mundo et caligo infidelitatis dissipatur; quorum portio Dominus, quibus divina mysteria[3] credita sunt. Contestans quod hæc observando et fortior hostibus appareret et terribilis adver-

Ps. LXXXI, 2.

Luc. X, 16.

[1] *hic rursus pergit A.* — [2] (h. d.) d. h. *alii.* — [3] (d. m.) m. d. *alii.*

sariis fieret, et rerum felicitate cum pacis [1] abundantia perfrueretur. Hujusmodi salutaribus viri Dei monitis rex libenter aurem cordis adhibebat et ea implere satagebat. Unde et inimicorum potentiam, superno fretus auxilio, subjugavit et omnes ante se qui fuerant Francorum reges gloria et divitiis præcessit.

VI. Felicis [2] viri erga probos omnes studium, inter quos intimo sibi amore beatum ascivit Eligium.

9. At vero servus Christi, honores seculi parvipendens, ad cœlestia regna festinabat. In jejuniis frequens, in vigiliis pernox, in orationibus assiduus, in elemosinis largus, in mandatis Dei promptissimus. Plerumque sub aureo balteo et serica auro nitente contexta asperitas cilicii membra premebat. Sic namque in seculi militia novus tyro pollebat, ut a divinis mandatis non recederet, ut juxta Domini præceptum et Cæsari quæ Cæsaris erant redderet et quæ Dei Deo. Itaque tanta in illo divina gratia coruscabat, ut et terrenis fascibus deserviret et cœlesti dignitate præmineret. Erga Dei servos vero totus deditus erat; et quos videbat aliquo sancti Spiritus munere radiare, nimio affectu colebat, adeo ut quicquid in illis gratia superna [3] contulisset tamquam sibi collatum lætaretur [4]. Nimirum caritate præditus Christi, suum noverat esse quod in alio divini muneris apparebat, quoniam sanctorum chorus sic et sibi collatum cœlitus donum possidet ut per unitatis compagem et quod alius videtur habere possideat: etenim unius cum sint corporis membra quotquot Christo concorporati sunt, et omnes quod singuli et singuli quod omnes habere noscuntur. Unde vir iste beatus non quasi de alieno, sed quasi de suo gaudebat, quando cœlestem gratiam cernebat in alio coruscare.

10. Unde factum est ut beatum Eligium (1), virum multis

[1] paucis *M, E.* — [2] *cod.* Felices. — [3] (g. s.) s. g. *alii.* — [4] lætabatur *M.*

(1) De S. Eligio Noviodunensi episcopo agetur in *Act. SS.* ad diem 1 decembris.

virtutibus præditum, in aula regis commorantem, unanimi dilectione complecteretur. Qui tanquam duæ olivæ in campis ecclesiæ et tanquam duo candelabra super verticem montis posita aulam palatii illuminabant. Erat eis denique cor unum et anima una in Christo. Hi pari intentione adhuc sub habitu seculari æterno regi militabant, ambo catholicæ fidei rectitudine stabiles, ambo evangelica doctrina repleti. Ab his cuncti Francorum proceres sumebant religionis exempla, ab his monita doctrinæ salutaris hauriebant. Hi animarum salutem, hi patriæ cœlestis noverant dulcedinem prædicare. Hi duo, quasi fortissimi milites, paribus armis fidei pro Christi Ecclesia militabant : quorum armaturam hæreticæ pravitatis jacula tentare poterant, penetrare non valebant. Sic tanquam duo lapides pretiosi super utrumque humerum Christi compositi, pontificalem stolam, etsi nondum re, virtutibus tamen ornabant atque munibant. Sed sanctus Eligius qualiter ad sacerdotalem promotus fuerit sedem et quemadmodum in ea se gesserit, libellus gestorum ejus ostendit (1). Ad eum qui de meritis ejus nosse voluerit lectorem mittimus; nos vero stilum ad cœpta convertamus.

VII. Gratiæ a Deo sibi traditæ inserviens, qualiter monasterium Resbacense in proprio domate construxit.

11. At vero beatus Audoenus, de virtute in virtutem proficiens et cum Apostolo præterita relinquens et ad futura contendens, ad cœlestia quotidianis provectibus anhelabat et, Hierusalem cœlestem suspirans, mundi gloriam respuebat. Denique [1], considerans in remotis Brigiensis silvæ (2), super rivum Rasbacem (3), cujus de nomine monasterium postea

[1] *in margine T adscripta est nota sequens :* Hinc corrigendus locus mendosus Vitæ a Surio editæ, *et inferius legitur :* Resbacensis monasterii origo.

(1) Ignorasse videtur auctor noster ipsum S. Audoenum hunc de S. Eligii vita libellum scripsisse, quem reperire est apud Acherium *Spicileg.*, tom. V (edit. in-quarto), pp. 147-302. — (2) Silva Brigiensis, *la forêt de Brie*, cujus ex nomine totus pagus "Brigia" dictus est *(la Brie)*. — (3) Duo sunt rivuli Rasbacenses dicti in diœcesi Meldensi : rivulus Rasbacum *(le Rebais)*, ad meridionalem partem, qui

cognominatum [1] est, locum servorum Christi habitaculis opportunum in patrimonio proprio, cœnobium inibi construxit, quod " Hierosolimam „ nuncupavit, ut, quoniam collegium pacis et unanimæ fraternitatis contemplationem illic haberi desiderabat, ipso quoque nomine prædicaret locus quod gremio continebat. Aptum plane vocabulum sedes illa [2] accepit, ubi visio supernæ pacis meditaretur et ageretur et Hierusalem non sub lege occidente sed in spiritu vivificante peregrinaretur, usquequo defectu mortalitatis assumpto [3] in immortalitatis transeat libertatem. Quod monasterium possessionibus opimis ditavit; libris, ornamentis ecclesiasticis et universis quæ ad servorum·Dei usus necessaria videbantur copiosissime replevit. Ubi non parvam monachorum turbam constituens secundum regulam sancti Columbani (1) militaturam, abbatem ex ipsius discipulis, virum regularibus disciplinis adprime eruditum, nomine Agilum (2), præfecit.

12. Moliebatur enim, honoribus mundi renuntiatis et substantia fugacium rerum posthabita [4], monasterium ingredi atque sub professione monastica in eo quod condiderat monasterio superno regi Christo militare. Sed tam rex quam cuncti Francorum proceres resistebant, melius esse suadentes universorum utilitatibus consulere quam propriæ voluntatis desiderio parere, Apostolo dicente : *Nemo quod suum*
I Cor. x, 24. *est quærat, sed quod alterius*, nec religionis fore sanctitate diversum dum, licet in habitu distincto, animus tamen pietatis operi deserviret; nec hujus intentionis studium meritorum stipendiis in aliquo a summo judice defraudandum, quandoquidem caritatis bonum fraternæ insistens saluti præ-

[1] cognamentum *M, E ;* cognomentum *T.* — [2] *ita A ; deest in reliquis.* — [3] *codd.* asumpto. — [4] *ita A ;* post obitum *ceteri.*

influit in Scolam *(la rivière d'Ecole)* ; et in septentrionali parte, qua ad occidentem inclinat, rivus Rasbacensis *(le ru de Rebais),* qui fluviolo Morino Majori (*le Grand Morin*) conjungitur. Inter duos Morinos *(le Grand et le Petit Morin)* ædificatum fuit cœnobium Resbacense, super rivum Rasbacensem *(le ru de Rebais).* — (1) Cfr. superius num. 5. Et S. Eligius Solemniacensibus monachis constituerat ut " regulam beatissimorum PP. Benedicti et Columbani firmiter tenerent „ (Mabillon. *Act. SS. Ord. S. Ben.*, sec. II, p. 1091-1092). — (2) Cfr. *Act. SS.*, tom. VI Aug., p. 569 sqq.

miorum augeat potius censum. Sic Salvator, cœlorum secreta linquens, ad publicum nostræ mortalitatis exivit, et, paradisi seponens quietem, turbines seculi pro salute hominum voluit experiri. Apostoli quoque non in cœnaculi penetrabilibus post Paracliti missionem perseverant, verum cœlestis doni mysterium populis insinuaturi orbis latitudinem pervagantur. Nec causari debere virum sapientia et virtutibus illustratum palatii delicias et gloriæ nitorem : quandoquidem vilissimo cibo lenticulæ videat Esau primatus amisisse et prodigum filium nec sub gravissimis dominis, nuditate et inopia, scorto abstinuisse. Porro sanctum Job recolat inter divitias regni simplicitatis et innocentiæ reliquarumque virtutum arcem tenuisse. Nec Danielem et tres pueros Babilonia gloria segnitia [1] enervavit [2], sed cœlestis vigor animi multiplici palma victoriarum glorificavit. Hujusmodi colloquiis vir Domini persuasus, non potuit implere quod tota mentis devotione desideraverat; sed, quamvis monasterii secretum non obtinuerit, ut [ibi [3]] habitaret ac monasticæ professionis stolam susciperet, animum tamen a turbis vitiorum tenuit secretum et rerum contemptu fragilium perfectionis gradum ascendit. Sic devotus Christi famulus inter tumultus palatii diversabatur, ut animum cœlo semper intenderet; sic ornatu gloriæ fulgebat exterius, ut interioris hominis fulgorem non violaret, omnia reputans velut stercora, ut Christum lucrifaceret. Servum namque suum cœlestis gratia tuebatur, quem fidelem dispensatorem super familiam suam constituere disponebat, ut eis divini verbi mensuram distribueret.

VIII. Hæresis novæ venenosum dogma, a beato viro ejusque complice Eligio improbatum, convictum, e finibus patriæ cum suo auctore proturbatum.

13. Dagoberto autem defuncto (1), Clodoveus, filius ejus, regnum Francorum suscepit. Ea tempestate veternosus anguis

[1] *ceteri* segniter. — [2] *codd.* enarravit. — [3] *supplendum videtur.*

(1) Anno 638, januar. die 19.

venena perfidiæ per Orientis ecclesias latissime diffundebat, dogmatizans in Jesu Christo unam voluntatem et unam operationem, quod divinitatis affectus solummodo et non humanitatis sensus in illo fuerit, cum secundum catholicam fidem constet eum et divina operatum et humana, et secundum divinæ naturæ immutabilem statum nullam varietatis passibilitatem [1] sustinuisse, secundum vero fragilitatis humanæ mortalitatem passionibus subditum fuisse. Siquidem cæco lumen quod nativitas negaverat præbere, mortuis vitam reponere, fluctibus ac ventis imperare, operationis est divinæ; porro ambulare, stare, sedere, dormire, esurire, sitire, pati et mori, actiones et passiones sunt humanitatis. Sicut [2] immutabile sempiternumque [3] consilium divinæ voluntatis est; et quod tristatur, quod lacrimat, quod Patri gratias agit, humanæ voluntatis atque mutabilitatis est [4]. Qua de re confitendum [5] est [6] duas voluntates et duas operationes in Domino Jesu Christo, ut duarum naturarum veritas in illo prædicetur: nam unius [7] voluntatis et operationis prædicamentum alterutram perimit naturam, aut hominis, aut Dei. Sed hujus hæreseos auctores sive propagatores illis diebus Sergius, Pyrrus et Paulus, patriarchæ Constantinopolitani [8], et Cyrus Alexandrinus episcopus extitere, juxta quod scribitur : *Egressa est iniquitas in Babylone a senibus judicibus qui videbantur regere*
Dan. XIII, 5. *populum.* Quorum Paulus Constantinum, Eraclii nepotem imperatoris, deceptum dogmatis sui pravitate, suasit typum scribere contra Ecclesiæ fidem. Cumque imperialibus litteris omnes episcopi subscribere præciperentur et ad apostolicam sedem [9] ejusmodi edictum delatum fuisset, tunc Martinus (1) reverentissimus Ecclesiæ Romanæ pontifex, collectis Italiæ episcopis, synodum fecit et præfatos episcopos, una cum

[1] *ita A ; ceteri* possibilitatem. — [2] Sit et *A ; reliqui* Sicut. — [3] sempiternitatis *reliqui.* — [4] (atque m. est) sunt mutabilitates *reliqui.* — [5] *codd.* confidendum. — [6] *deest in M.* — [7] *supra lin.* tantum *in A.* — [8] Constantinopolitaniæ *M.* — [9] fidem *supra lin. in A ; et ita ceteri.*

(1) Martinus Papa I, qui mense julio ann. 649 in pontificem electus est, eodem anno damnavit errores Monothelitarum.

nefandissima secta, atque typum regium [1] anathemate damnavit.

14. Hac etiam de causa misit idem præsul apostolicus (1) legationem ad regem Francorum, ut aliquos ex Gallia [2] episcopos ei dirigeret, doctrina [3] et fide claros, in auxilium illius hæreseos expugnandæ. Hujus rei [4] gratia factus est episcoporum Galliarum ex regio jussu conventus; et tanto de numero venerabilium sacerdotum electi sunt sanctus Audoenus et beatus Eligius in opus præfatum. Quos quamvis nondum pontificalis stola decoraverat, virtute tamen fidei et sapientiæ lumine et virtutum meritis digni probati sunt, quibus adversus hostes Ecclesiæ certaminis bella crederentur. O sanctitatis insigne præconium! honoris potestas nondum habetur [5], et officium honoris jam geritur; dignitas adhuc sedis penes alios aspicitur, et istis meritorum prærogativa dignitatis [6] fastigium deputatur; nondum vestis eos pontificalis [7] exornat, et pontificale meritum jam extollit. Sic olim, Heli pontificium gerente, Samuel sanctus pontifex cœlitus constituitur; sic, Saul imperante, puero Domini David regni sceptrum divinitus subrogatur. Ergo et hi sancti viri nondum comam capitis deposuerant, nondum religionis habitum susceperant, et jam principes Ecclesiæ constituebantur. Non tamen legationis munus peragitur, sed divino favore intra patriæ fines fidei propugnatores detinentur, ut hostem, quem in alieno fuerant solo expugnaturi, propriis a [8] mœnibus propulsarent.

15. Non multo post enim unus nefandæ cohortis, Asia pulsus, civitatem Galliarum Æduam, quæ nunc Augustidunum vocatur, advenit et pravi dogmatis [9] arma cœpit longe lateque

[1] *codd.* regum. — [2] Galliarum *M.* — [3] *codd.* doctrinæ. — [4] regi *M; deest in E.* — [5] *ceteri* videtur. — [6] *codd.* dignitas. — [7] *cet.* pontificis. — [8] a propriis a mœnibus *M.* — [9] dogmatibus *E.*

(1) Non potuerunt ad Martinum deputari Eligius et Audoenus *laici*, quod tamen auctor mox dicturus est; nam ante electionem Martini (anno 649) uterque episcopatum suscepit (anno 640 aut, secundum alios, anno 646). Si quis tunc pontifex quosdam ex Gallia contra Monothelitas vocavit, is erat Honorius I, ut colligendum est ex num. seq. Sedit Honorius intra annos 625-638. Ceterum Sancti nostri iter Italicum tunc non sunt aggressi, ut mox dicetur ab auctore.

vibrare. Cujus perturbationis fragor cum palatii quoque regiam concussisset, principali decreto episcoporum conventus generalis jussus est fieri : quod concilium Aurelianis[1] (1) est actum. Eo præceptor falsitatis adductus, beati Audoeni atque Eligii disputationibus est convictus : qui quamvis duo viri balteo seculi adhuc cingerentur, meritis tamen et sapientia synodo[2] non solum interesse, verum etiam sacerdotale negotium contra veritatis hostem gerere promerebantur. Ingenio itaque potenti et eloquentia copiosa tortuosum anguem intra cavernas suæ fraudis sese occulentem et syllogisticorum spiris innodantem in lucem ejiciunt et explicitum gladio verbi Dei concidunt. Omnibus denique qui aderant mortiferum dogma et vitandum, et execrandum manifesta ratione et divina auctoritate sanctus Audoenus ostendit. Quem cum virtutum dotibus doctrina et facundia singulariter adornabant, hujus victoriæ palmam sancto Salvio (2) episcopo et martyri assignavit, ut triumphus Ecclesiæ titulo sacerdotis tribueretur, et ejus sacerdotis cujus sanguine decoranda fuerat. Confutatum autem hæreticum Francorum finibus fecit expelli, ut pestilens virus non inficeret ultra fidelium mentes. Atque hoc illi fuerat cum hostibus veritatis certamen[3] perseverans, ut superatos patriæ solo procul effugaret, ne Christi agrum evangelica semente satum zizania violarent inimici.

16. Advertens autem[4] princeps et cœtus religiosorum hominem Dei virtutum gradibus ad superna subinde contendere, nunc[5] prece, nunc[5] consilio suaserunt ut comam deponeret et sanctæ religionis habitum professionemque susciperet, ne utile Christi ecclesiis vas electionis mundo militaret. Quorum

[1] Aurilianis *M.* — [2] synodum *A.* — [3] *sequitur in codd. vox* veritatis, *perperam, ut videtur, repetita.* — [4] hc *M.* — [5] nec *M, sed* nunc *supra lin.; in A* nunc ... nec.

(1) Hoc concilium, Aurelianense sextum, non nisi ex testimonio ipsius S. Audoeni in Vita S. Eligii, lib. I, cap. XXXV innotescit, et ex hoc loco præsentis Vitæ. Certe non sub Martino habitum est. — (2) Quis fuerit ille " S. Salvius episcopus et martyr „ equidem omnino nobis incompertum esse fateor. Extiterunt quidem seculis VI et VII in Gallia sancti episcopi hujus nominis tres Ambianensis, Albiensis et Valentinus, sed horum nemo usquam martyris titulo insignitus ab Ecclesia legitur.

exhortationibus adquiescens [1], et [2] maxime beati Eligii victus affectu [3], quem in visceribus Christi ardentissime diligebat, militarem relinquens togam, Ecclesiæ suscepit amictum, Eligio quoque una secum clericatus [4] ordinem profitente. Exinde quotidianis provectibus pollens in religione divina, cum secundum Evangelii disciplinam inimicos dilectionis gremio amplecteretur, hæreticos, utpote iniquitatis vasa et dæmonis venena, ferventissimo zelo insequebatur, instans pertinacissime quatinus puritas fidei incontaminata persisteret et ab orthodoxorum doctrina Patrum nequaquam deviaret. Videns vero sectam Simoniacam in gente Francorum male fecunda fruge pullulare et sacros ordines pecuniæ, non meritis exhiberi (etenim pernicies ista ex diebus reginæ Brunechildis, ut fama est, ecclesias fere universas per Franciam corruperat), pietatis [5] zelo vir Dei accensus, juxta illud psalmographi : *Zelus domus tuæ comedit me*, regem adiit, prin- Joann. II, 17.
cipes gentis exoravit, ut hujus mali pestilentiam ab Ecclesia removerent, nec paterentur pecuniis emi munera Spiritus sancti, quo gratia cœlestis non avaritiæ, quæ servitus est idolorum, sed sapientiæ atque sanctis [6] moribus divinitus exhiberetur. Expedire nequaquam religionis auctores et sanctitatis, ceteris formam præbituros, sordibus vitiorum fore pollutos, Apostolo præcipiente talem sacerdotio promovendum quem nullum crimen inficeret. Muneribus autem sacros ordines promereri non aliud esse quam Dei templum idolis consecrari, quoniam, si philargyria [7] idolorum servitus est, dum pecuniis sancta distribuuntur idololatria [8] divinis officiis adhibetur : nec putare talem sacerdotem populos vitæ præcepta docturum, seu sanctitatis exempla monstraturum, qui non Christi sed mammonæ famulus comprobaretur. Nec vero solos hoc involvi crimine tanti facinoris executores, sed etiam reges atque principes qui, cum possint, dissimulant inhibere. Qua de re pestilentissimum malum sacris ab ordinibus non segnius quam idololatriam funditus eruen-

[1] *codd.* adquiescentem. — [2] et *in solo A.* — [3] *in M prius* effectu. — [4] cleritatus *M.* — [5] unde pietatis *reliqui.* — [6] (a. s.) s. a. *reliqui.* — [7] filargiria *M.* — [8] *codd.* idolatria; *et sic deinceps quoties hæc vox occurrit.*

dum, et fidei sinceritatem, sapientiæ dignitatem, meritorum gratiam eligenda. Itaque, divinitate favente, obtinuit ne sacerdotalis honor pecuniis sed meritis tribueretur.

VIIII. Intronizandi eum Rotomagensi metropoli communis respiratio, rebus humanis exempto Romano, venerabili episcopo.

17. Interea Romano, Rotomagensi præsule, defuncto (1), vir Domini beatus Audoenus omnium consensu ad honorem pontificalem eligitur. Hunc rex, optimates, clerus et populus dignum tantæ sedis honore prædicabant, qui fidei sinceritate, sapientiæ lumine, sanctitatis merito venerabilis omnibus enitebat. At ille [1], tanti quamvis culmen honoris humilitate vitaret, timoris tamen plenus superni, religiosis jussis atque consiliis resistere non audens, obedientiæ jugo mitia colla supponens, regimen pastorale suscepit. Sed licet merito jam pontifex esset hac electione ordinationis, tamen in anni spatium distulit consecrationem; ut, quoniam ex laico fuerat habitu assumptus, in pontificatum non videretur apostolicum fortassis contra præceptum actum [2] fuisse, quo neophytus sacris ab ordinibus mandatur arceri, ne forte, superbia lapsus, in judicium incidat et laqueum diaboli. Cumque a sancti viri corde superbiæ tumor procul abesset, utpote quem Christi mansuetudo in humilitatis gradu solidaverat, voluit tamen posteris formam relinquere quo temeritatis ausu non audeant propinquare unde illos meritum repellit. Itaque per singulos ecclesiasticæ dignitatis gradus administrans, probabilem se in domo patrisfamilias exhibebat ministrum, quo dignus postremo summi verticem honoris consequeretur.

[1] (At ille) Attille *M.* — [2] *ita codd., pro* actus.

(1) Anno 635 ex pluribus chronographis, 638 ex aliis; probabilius 643 aut 644 ex dicendis inferius numm. 26, 27; ubi agitur de tempore ordinationis B. Audoeni. Cfr. *Act. SS.*, Octobr. tom. IX, p. 81.

X. Karitatis divinæ in eo prominentis fervor, quo, ob sui tirocinium pontificio in annum dilato, Hispanias verbi cœlestis refecit edulio.

18. Mox tamen palatio relicto et posthabitis seculi curis, quoniam *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus ut ei placeat cui se probavit*, gentibus ut verbum salutis prædi- II Timoth. II, 4.
caret procul positas expetivit regiones. Itaque evangelium prædicando Aquitaniam Hispaniasque perlustravit : quod [1] et fervore fidei fecisse conjicitur, quatinus a mortis tenebris populos ereptos cœlestis faceret gratiæ consortes, et alienus a patria tanto felicius quanto facilius mundi delectationes enecaret, quæ sub specie curæ [2] pastoralis mentes vulnerant plurimorum. Itaque, transmisso Ligeris amne, cunctos in eisdem regionibus habitantes salutaris lumine verbi quasi quidam sol irradiavit. Alios namque de gentilitatis errore ad veræ tramitem convertit religionis, alios in fide corroboravit, alios hæretica pravitate corruptos ad catholicam veritatem revocavit.

XI. Laborantes Hispanos siccitate diutina [3], qualiter per eum Dominus sufficienti refecit pluvia.

19. Cumque in Hispanias transmeasset, longa valde siccitate terram populum [4] repperit laborantem (1). Nam septimus annus jam fuerat evolutus quod cœlum clausum pluvias, imbres atque rorem terris illis abnegaverat, et, in morem Israeliticæ calamitatis sub Helia propheta, terras, pecora, homines ariditatis inclementia per extrema trahebat. Flumina defecerant, fontes siccati erant [5], herbarum viror interierat. Videns autem vir Deo plenus tanta supernæ districtionis

[1] *codd.* quo. — [2] curee *E.* — [3] *cod.* divina? — [4] populumque *omnes præter A.* — [5] (sicc. erant) *ita A ; ceteri* siccaverant.

(1) Cfr. J. de Ferreras, *Histoire générale d'Espagne*, interprete d'Hermilly, tom. II, p. 318, ad annum 614. Hujus miraculi meminit etiam Florus in Martyrologio, alludens et ipse ad Heliam.

animadversione gentis illius universitati mortis exitium imminere, totum se ad rogandum divinæ propitiationis auxilium contulit. Igitur benignitatis [1] immensæ [2] munera mortalibus collata commemorat; humanitatis fragile figmentum replicat; compactam [3] pulveris glebam, dies breves atque paucos, ærumnæ, laboris, malitiæ plenos et instar aquæ raptim præterfluentis transeuntes collacrimat, et totam corporis humani pulchritudinem, ubi spiritus ejus exierit, in pulveris vilitatem [4] exigendam exponit. Gratiam vero inæstimabilis misericordiæ vincere male gestorum universitatem. Ad hæc antiquas propitiationes agendo gratias prædicat: quod Israelem propter idololatriam reum, atque propter hoc peccatum tribus semis [5] annis pluviarum beneficio privatum, ad preces tamen sancti Heliæ reconciliatum et aquarum copia donatum. Se quidem [6] dicebat Heliæ meritis longe minorem, sed divina dona pietatis non meritis sed gratis solere conferri : qua de re, ut [7] solita benignitate Deus [7] propitius fieret populo jam per septem annos aeris siccitate deficienti [8], quo [9] ejus potentiam cognoscentes et clementiam sentientes, erroris vanitate cui servierant abdicata, Deum verum crederent, timerent, venerarentur. Orationem hominis Dei pluviarum abundantia consecuta est. Denique cœli mox facies immutata est, aer in nubem collectus et, imbre rorante, squalens terræ facies irrigata; adeoque se ubertas irrigui superni profudit ut, detersa veterum malorum tristitia, novæ benedictionis gaudia cunctorum corda perciperent. Erat namque videre terras cœlo rorante perfundi, pluvias largissimas cadere, aerem in aquarum copiam resolvi, manare fontes, fluvios impleri, agros pinguescere, beneficiis cœlestibus arva repleri, segetibus campos fluctuare, vineis colles vestiri, floribus prata depingi, nemora frondes, plantaria surculos germinare, in gemmas turgere frutices, in purpuram erumpere olivas. Lilia niveo [10] candore

[1] benignitas *M, E.* — [2] in mense *E.* — [3] compacta *E.* — [4] inlitatem *M.* — [5] *ita A ; ceteri* tribisemis. — [6] (s. q.) siquidem *codd.* — [7] ut *et* Deus *desunt in M, E, T.* — [8] *ita E, T ;* deficiente *ceteri.* — [9] (jam-quo) septena sibi deficiente, ut *M.* — [10] vero *A.*

nitebant, rosæ sanguineo rubore rutilabant, violæ lucente purpura micabant; omnia tanquam novæ gratia nativitatis vestiebantur. Pastores læti greges armentorum per amœna virecta [1] pascunt; agricolæ reparatis viribus ruris terga dimovent et in spem futuræ messis sulcis semina committunt; populus omnis exultat et, mœrore deposito, ubertatis proventu gaudia ducunt.

20. Hujus ad preces non mirum si cœlum clausum reseratum est, ut quondam sub Helia legimus fuisse. Denique multis [2] meritis hic sanctus Heliæ similis fuisse comprobatur. Nam flos virginitatis enituit in eo sicut et in Helia; palpare quoque nescivit superbos, sed sancti Spiritus igne flammatus asperæ increpationis redarguit invectione sicut Helias; nec [3] blandimentis nec terroribus a justitiæ tramite declinarat sicut nec Helias; asperæ quoque vestis situ corporis mollitiem fregit [4] ut Helias; ciborum parcitas carnis voluptatem edomuit [5] ut in Helia. Merito igitur in reseratione cœli, in impetratione pluviæ similis invenitur, quem vita in [6] multis approbat non dissimilem extitisse. Quid incredibile videtur evangelii præcones Heliæ virtutibus comparandos, quandoquidem sanctus sanctorum discipulis loquatur : *Qui credit in me, opera quæ ego facio faciet, et majora horum faciet?* Jo. xiv, 12. Sanctorum de meritis non est judicandum; evangelium vero legi, gratia servituti præferenda est. Igitur gratia [7] quo superabundans [8], virtutum prærogativa præcellit, quamvis patres veteris [9] Testamenti gratia sublimes fuisse constet. *Omne namque datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Jac. i, 17. Sed si tantum contulit legis umbra, quantum tribuit veritatis revelatio? *Nos enim,* sicut loquitur testis veritatis, *revelata facie Domini gloriam* [10] *speculantes in eamdem imaginem transformamur.* II Cor. iii, 18. Merito certe gestis Heliæ hujus sancti conferimus virtutes, quem donum supernum non in legis [11] umbra sed in veritatis [12] luce gloriam Patris fecit speculari.

21. Quo miraculo viso, Hispaniarum populi hominem Dei summis laudibus efferebant [13], summa devotione venerabantur, summa humilitate dictis ejus obediebant. Gentiles idola deserentes ad Christi gratiam confluebant; credentes, secundum Apostolum, remissas manus et dissoluta genua erigentes, gressus rectos mentis passibus per rectum fidei callem

[1] viretta *E.* — [2] *add.* in *ceteri.* — [3] *deest in cet.* — [4] *ita A ;* fregerat *cet.* — [5] *ita A ;* edomuerat *cet.* — [6] in *A supra lin.* — [7] novi Testamenti *in A supra lin.* — [8] *ita A ;* superabundat *cet.* — [9] novi *cet.* — [10] (D. g.) g. D. *cet.* — [11] (in l.) l. in *cet.* — [12] (in v.) v. in *cet.* — [13] *codd.* hec ferebant.

faciebant; ad ecclesias diversæ populorum catervæ properabant, verbum Dei tota cordis aviditate suscipiebant, hymnis, laudibus, orationibusque vacabant, moribus et sanctæ vitæ studium componebant, operibus pietatis insistebant, sanctæ legis meditationem, divinorum monita præceptorum agebant. Dæmonum cultus nusquam, gentilis conventus rarissimus aut nullus; templa denique cuncta destruebantur, aræ subruebantur, luci succidebantur. Omnes ad Christi jugum mitia colla deferebant, omnes ejus onus lætis humeris suscipiebant. Sic factum est, ut cœlestis gratia per servum suum potestate mortis liberatam totam provinciam ad lumen vitæ vocaret, atque, post longam sitis ærumnam, qua terra, pecudes hominesque deperibant, cum pluvia terras perfunderet, rore quoque sancti Spiritus mortalium mentes irrigaret.

22. Inter hæc beatus Audoenus opinione virtutum atque doctrina cunctis populis Galliarum cœpit admirabilis haberi et longe lateque fama prædicabili devulgari. Non enim poterat lumen abscondi quod Dominus voluit cunctas per nationes radiari, quoniam non *potest abscondi civitas posita super montem, nec accenditur lucerna quo sub modio veletur sed ut supra candelabrum posita luceat omnibus qui in domo sunt.* (Matth. v, 14-15.) Unde cœlestis lumen gratiæ, quod in viro sancto flagrabat, non Hispaniarum Galliarumve finibus valebat coerceri, sed illustris famæ[1] nitorem aliis Europæ[2] partibus revelavit, Italiam denique et Illyriam Thraciamque percurrens, Atticam penetravit, ut quæ floruerat quondam studiis philosophorum, servorum Christi fama polleret opima. Nec minus Rheni fluenta transponens, Germaniæ populos replevit; indeque consurgens, Mæotidis undas Scytharumque regna penetravit, ut barbaricam[3] feritatem Christi suavitate molliret, ut populos Boreale quos frigus gelaverat, clementior aura Favoni[4] ad sancti Spiritus calorem relaxaret. Igitur tanquam radiantissimus Lucifer occidentali de parte coruscans, radios suæ lucis in orientem refudit, ut erroris tenebras dimoveret et splendore mirabili diei lumen exhiberet (1).

[1] fammę *M.* — [2] cur opę *M, E.* — [3] barbariem *M;* barbarien *E.* — [4] Favonii *M.*

(1) Cfr. *Act. SS.*, tom. IV Aug., p. 796 (Comm. de S. Audoeno, num. 12).

23. Ergo terras Iberas [1] gemina morte liberatas et corpora seu mentes duplici vita reparatas carnis præsentia relinquere disponit, ut ovibus pastor futurus suis sese restitueret. Tunc vero populi undique concurrunt, omnis ætas, uterque sexus confluit, civitates, oppida, castella deserunt et tanti patris comitatum gaudio lacrimisque prosequuntur : lacrimis, quod ejus præsentia [2] carebant; gaudio, quod per illum superna fuerant benedictione donati et de mortis aditu ad vitæ januas revocati. Sic olim gentium Magistrum plebes Asianæ atque sacerdotum circumdederat senatus, imbre lacrimarum oculos faciemque irrorantes, affectu non dissimili. Nunc etiam cœtus popularis et sacer clericorum conventus ac venerabilis ordo sacerdotum virum Dei circumdantes, nunc [3] genibus provolvuntur, nunc sacris manibus dulcia figunt oscula ; nunc humeros, nunc [4] ora caritatis amplexu seu pietatis fletibus permulcent. At vero postquam verbi dapibus refecit et prece devota famulos suos Domino commendavit, valefaciens eis, iter ad propriam sedem lætus invadit.

XII. Manum cujusdam debilis quomodo rediens per Andegavis solo crucis signo curavit.

24. Per Andegavis [5] (1) autem transiens, obviam ei quidam pauper affuit, debilem manus contracta quem fecerat. Quod hac de causa contigerat. Dominica namque quadam molam rotabat, et paupertatis indigentiam temperare cibario cupiens pane, sanctificationem diei gulæ ventrique posthabuit. Unde mox digna percussus ultione, sensit [6] flagellum qui non intel-

[1] Hiberas *A.* — [2] præsentiam *M, E.* — [3] nun *M.* — [4] nun *M.* — [5] Andegaris *E;* Andeganis *T; in marg. :* Transit per Andes. — [6] sentit *A.*

(1) In Vita prima legitur : " Dum iter ageret per pagum Andegavodum; " in Vita secunda : " Cumque in revertendo per Andegavensem regionem iter ageret. " Unde commentatores fere omnes concordant agnoscentes hunc *pagum Andegavodum* et hanc *Andegavensem regionem* illam esse quæ gallice vocata fuit *l'Anjou.* Forsan propius ad Hispaniæ fines locus ille esset requirendus, forsitan ubi *Hendaye* haud procul a Baiona. Nescimus an existat locus dictus *Andes,* ut vult annotator codicis Trevirensis.

lexerat reatum, et juxta quod scriptum est : *Per quæ enim* Sap. xi, 17. *peccat quis, per hæc et punitur,* præsens forma delicti convenientem aptavit et pœnam. Nam manus, illicito quæ fuerat intenta labori, stupefactis nervorum ligaminibus, ut in volam fuerant digiti revoluti [1], detinetur, tanto pondere adstricta [2] ut pollex desuper admissus, ungue in indice fixo, vi vulneris eliceret sanguinis undam ; et qui prius suavi flexura virtutem digitis tribuebat, is nunc doloris pondus aggravat. Lignum [3] quoque molaris, quo circuitus agebatur, adstrictus palmæ medio tenetur, nec ulla potest ratione [4] divelli. Sic factum est ut quod subsidio credebatur inopiam pellere, doloris ac penuriæ fieret incrementum. Qui miserandus ad Dei servum veniens, querula voce salutis petit auxilium; et procumbens genibusque se [5] volutans, piaculum fatetur, misericordiam rogat. Commotus pietate sanctus Audoenus, salutare crucis signum aridæ manus articulis imprimit. Res stupenda : mox valitudo recessit, et vitalis vigor rediens aridam manum in pristinos usus reformat.

25. Quid hic prius est admirandum? efficax crucis potentia, an Dei servi meritum? Utrumque quidem commendabile, sed illud nimirum potius extat, per quod medela est consecuta. Crux enim delicta purgat, crux morbos atros repellit; crux animæ ruinas reparat, crux salutem corporibus reddit [6]; crux diabolum expugnat, crux Deitatem conciliat; crux ab hoste justos salvat, crux sanctos levat ad astra; et, ut de præsenti dicamus miraculo, crucis ad imperium morbus recessit, sanitas advenit. Sed, licet crucis virtuti omnis adversitas cedat, magnum tamen sanctitatis privilegium commendat, cujus ad voluntatem divina virtus obsecundat; et non communi de plebe judicandus, sed is [7] qui, multis meritis insignis, in domo patrisfamilias singularis enitescit atque de humilitate servi in amicorum dignitatem profecerit, cuique [8] cœlestis potestas secretorum arcana suorum non abscondit, juxta illud : *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi* Joann. xv, 15. *a Patre meo nota feci vobis.* Magnum, inquam, sancti Audoeni meritum, excellens gratia, supereminens dignitas comprobatur, quod ejus imperium crucis obsequium non retardat, et quæ ceteris imperat, hujus jussioni pareat [9]. Ut autem salutaris vexilli potentiam sanctorum dictis clareat ministrare, non semper crucis officio sanitates ope-

[1] (d. r.) digitis revolutis *M.* — [2] adstrictus *codd.* — [3] Signum *E.* — [4] ratio *M.* — [5] *ita A ; deest in cet.* — [6] redit *M.* — [7] his *M.* — [8] quique *M.* — [9] *ceteri* parat.

rantur, sed interdum oratione, sæpe jussu, nunc etiam voluntate. Nam et ista [1] voluntas imperavit, quæ, beneficium misero cupiens præstare, crucis edidit signum, quo valitudo pelleretur.

26. Monet autem ne [2] post hæc dominica vel festis diebus opus faciat servile, ne graviorem supernæ censuræ sentiat vindictam, dicens : *In sabbato nullum faciunt opus servile Judæi, et legis umbram [3] meditantes, fugacibus insistentes repromissis, summa cum diligentia otia custodiunt feriata. Multo magis Christiani, umbrarum velamine rescisso, gloriam Domini speculantes et veris, id est cœlestibus, inhærentes promissionibus, Dominicæ resurrectionis diem non servitutis laboribus confundere debent, sed in speciem libertatis lætis frequentare votis;* et omnino justum necessariumque videri, reliquos qui [4] dies humanis usibus corporis atque subsidiis mancipamus [5], dominicam divinis obsequiis et mentis provectibus applicemus, et, cum præsentis commodis vitæ totum nostri temporis cursum occupamus [6], unius saltem curriculum diei animæ provectibus non negemus. Talibus cœlestium factorum insignibus illustratus, civitatem Rotomagus advenit (1).

XIII. Noviciatu suo pie excurso, qualiter Ecclesiæ præfatæ præfici meruit, quibusque meritorum titulis viguit.

27. Deinde tempus ubi sacris adfuit ordinibus opportunum, urbe in eadem, una cum venerabili Eligio pontificalem suscepit honorem, Dominicæ incarnationis anno sexcentesimo trigesimo quinto [7], regente [8] regnum Francorum Chlodoveo, Dagoberti [9] regis filio, anno tertio, pridie idus maias (2). Pontifex

[1] isti *E.* — [2] nec *B.* — [3] *codd.* umbra. — [4] deest *in A.* — [5] *ita A ; ceteri* mancipemus. — [6] *cet.* occupemus *M.* — [7] *ita A et E ;* D°C XXXII° *M, T* (*male lecto, ut videtur, signo* u *et mutato illo in* II). — [8] regnante *E.* — [9] Daberti *M.*

(1) Die scilicet decima quarta Maii anni 646. Verba tamen " Deinde tempus ubi sacris adfuit ordinibus opportunum (num. 27) " comprobare videntur Cointii sententiam asserentis aliquantulum temporis fluxisse inter reditum Audoeni Rotomagum ejusque ordinationem. — (2) Hæ notæ chronologicæ nullo modo inter se conveniunt : siquidem Clodoveus non nisi anno 638 Dagoberto successit ; tertius igitur Clodovei annus in annum 640 reponendus videtur. Anno

autem ordinatus, mirabili gravitate sanctitateque [1] se gessit. Idem namque virtutis studium, eadem mentis quæ fuerat constantia permanebat; nec collatus honor, de more quorumdam, jactantiæ sive superbiæ materiam illi ministraverat, sed ad meritorum prærogativam suffragia porrigebat. Non enim in ministerio pontificali terreni culmen honoris, sed dispensationis adverterat officium; ut Apostolus episcopatum opus bonum determinat esse: non honorem, laborem, non quietem, sollicitudinem, non desidiam, fatigationem, non delicias, afflictionem, non suavitates; quoniam, ut Sapientia dicit, *qui mollis et delicatus est, in egestate erit*. Is [2] enim qui debet alios ad virtutis bravium invitare, resolutionis non debet inertiam sectari. Hinc iste vir sanctus, intelligens dignitatem pontificatus ab seculi dignitate distare sicut merito sic quoque professione, non altitudinis pompam, sed humilitatis sacerdotali de gradu consecutus est arcem; et cœlestis ei principatus non mundi jactantiam, sed virtutum contulit ornamenta. Unde callem quem privatus tenuit, humilitate [3] servare positus in regiminis sede procuravit. Eadem namque cordis humilitas perseverabat, eadem gravitas in facie coruscabat; modestia quæ prius in moribus permanebat, nec vestis vilitatem pretiositas fucata mutaverat. Honoris delationem fugiebat, injuriæ contumelias amplexabatur. Pecuniæ cupiditatem liberalitatis distributione temperabat: non enim Christo divitiisque

Prov. passim, v. gr. XVIII, 9.

[1] sanctitatique *M.* — [2] His *M, E.* — [3] *ita M, quod videtur præferendum;* humilitatis *A, T;* humilitatem *E.*

autem 640 dies dominica ante Litanias, qua se consecratum fatetur ipse Audoenus (Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 512), cum pridie idus Maii non concurrebat. — Subtiliter Cointius distinxit inter diem adventus beatorum Rotomagum et diem ordinationis. Forsitan dici potest eo anno pascha ocius celebratum fuisse ex errore non unico, ut patet ex Appendice ad Adhemari chronicon : " Interim (quod dici dolor est) ordo sacratissimus paschatis turbatus est per multas regiones per errorem et ignorantiam calculatorum, qui bene nesciebant terminum paschalem reperire : et per multas civitates celebratum est pascha vel in Martio, vel in Aprili, vel in Maio (*Rec. des Hist. des Gaules,* tom. II, p. 576). Lubentius tamen inclinamus ad ann. 646 tum ex rationibus allatis ab auctore Commentarii prævii in Acta S. Romani (num. 16-27 *Act. SS.*, tom. X Octobr., p. 78-81) tum ex modo quo agitur de Gislemaro, Warathone, Theodorico etc.; quæ quidem omnia omnino impediunt quominus obitus sancti pontificis ante annum 684, immo 685 aliquo jure referatur.

servire pariter posse cognoscebat, nec simul avaritiæ tenacitatem et humanitatis benignitatem posse cohabitare videbat. Verum quoniam thesauros ecclesiæ esse patrimonia noverat indigentium, in pupillos, viduas, pauperes atque peregrinos substantiæ suæ thesauros distribuebat, captivorum redemptioni totus inhiabat, hospitalitatis studio diligentia multa magnaque sollicitudine inserviebat, ut cum beato Job dicere posset : *Foris non mansit peregrinus, et cor viduæ consolatus sum; pater eram orphanorum, et non negabam quod volebant pauperibus.* (Job. xxxi, 32; xxix, 13; xxxi, 16.) Et memorans quod in judicio dicturus est Dominus ad dexteram positis : *Infirmus fui, et visitastis me; in carcere, et venistis ad me,* (Matth. xxv, 36.) et reliqua pietatis opera regni perennis acceptione remuneranda, infirmorum necessitates ingenti studio sublevabat. Algida nudorum latera ei benedicebant et de velleribus ovium suarum calefacta sunt; catenarum quos nexus ligabant, hujus precibus solvebantur; quos horror carceris continebat, ejus visitatione laxabantur.

28. Benedictio namque perituri super eum veniebat et eos qui ducebantur ad mortem, secundum Salomonem, liberare non cessabat. Non enim, secundum quosdam præsentium sacerdotes temporum [1], ecclesiæ de tribunali jura seculi cavebat; sed, clementiam perpendens evangelicam, Averni de faucibus æternas jam subituros pœnas eripiebat. Non quod peccantibus faveret aut cum fure curreret, sed quod Dominicam sententiam talibus replicaret : *Vade, et amplius noli peccare.* (Joann. viii, 11.) Neque peccantibus impunitatem, sed conversis a peccato et dignos pœnitentiæ fructus gerentibus vitæ perpetuitatem [2] promittebat; at vero perseverantibus in peccato vel ad proprium redeuntibus vomitum, supplicia nunquam finienda minabatur.

29. Ad hæc inclementiæ severitas opponit esse melius unum mori nocentem quam multos innocentes perire : [3] ut eum deinceps velit vivere nocentem. Immo vero ideo liberat nocentem ut eum faciat innocentem; et, si velis attendere, occidit nocentem et vivificat innocentem. Exerit et ipsa censuram, mortis leges ferentem [4], sed

[1] « auctoris tempora » *in marg. T.* — [2] *codd.* propetuitatem. — [3] *supple* quasi velit clementia liberare nocentem. — [4] *ita omnes præter A in quo* censura mortis exactionem.

alio genere quam judex fori : ille ut corpus et animam præsenti supplicio perimat atque sempiterno, ista præsenti morti vitam restituit [1] æternam ; dum enim corpora [2] non enecat [3] sed voluntates [4], et reatum tollit et innocentiam reddit, sicque nocentem occidit et innocentem vivere præstat. Neque Salvator legis justitia [5] jam lapidandam sic ab imminente subtrahit [6] exitio, ut quod de reliquo vivat tempore sub sceleris iniquitate crudescat, sed ut nequitiam mentis in justitiæ rectitudinem convertat; ut quæ alienis manibus puniri debuit ad interitum, propriis operibus ultra de adulterio transeat ad castitatem : quatinus, occisa [7] libidinis noxa, continentiæ sanctitas in ea resurgat. Sic [8] igitur mirabili medicantis ingenio dum mors corporis aufertur, et corporis et animæ vita donatur : non quod corpus aliquando non sit moriturum, sed quod nunc, non moriente anima, moritur, postea, cum semper vivente anima resurgens, nunquam moriatur. Ac censores severi, se peccatores non intuentes (non quod non sint, sed inclamante Jesu : *Peccatricem qui sine peccato est animam lapidibus agat,* in mentis cubile oculos reponere nolunt), ac proinde in alios districti, in se autem misericordes reprehensi, proclamant misericordiam sanguinariam quando nocens aliquis liberatur multis qui fuerit innocentibus perditionis causa. Sed audiant quod non propterea servatur ut deinceps nocens existat, sed ut, ad innocentiam reversus, innocentium suppleat numerum et multis nocentibus ab [9] impietate convertendi fiat in exemplum. Alioquin nec innocentes nocens potest lædere [10] quisquam, nec innocentia virtutis suæ præmio coram summo judice carebit, sicut nec iniquitas indemnata [11] ridebit. Præsentem autem mortales semper cupiunt ultionem, fraternæ salutis frigidi et futuri judicii minus creduli. Quandoquidem nec propria nos fragilitas docet quantum alienæ debeamus fragilitatis misereri, hinc in aliorum pœnas fervemus, hinc in aliorum exitium inflammamur; et duritiam mentis odiique crudelitatem pietatis zelum et justitiæ amorem vocitamus, cum auctor [12] dicat salutis : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Nos vero talibus non solum conversionis spem non promittimus, immo eradicationis velocitatem de supernis præoptamus, cum conversionis horam etiam in extremo vitæ momento non auferat fons miserationis. Nam latro in extremo convertitur et in fine vitæ principium vitæ promeretur, et de supplicio transitum facit ad præmium, de morte migrat ad gloriam, de inferis ad paradisum. Non est ubi se censura crudelis miserationis velamine obumbret, cum de mortis periculo subductos et mutata in

Joann. VIII, 11.

Ezech. XXXIII, 11.

[1] *ita A ; ceteri* restituet. — [2] corporis *M, E, T.* — [3] enegat *M, E ;* negat *T.* — [4] *ceteri* voluptates. — [5] *codd.* justitiam. — [6] *ceteri* subtraxit. — [7] occissa *E.* — [8] *alia manus incipit in E.* — [9] *codd.* ad. — [10] *ceteri* cedere. — [11] *codd.* indempnata *vel* indampnata. — [12] *ita post corr. A ; prius* auctor cum *sicut cet.*

melius vita pios de impiis efficiat, et innocentiam bonorum nullius malitia perdat, et a peccatis convertendi nec supplicium nec temporis extremi momentum nec immanitas sceleris spei fiduciam intercipiat. Qua de re sacerdotes ecclesiæ, præcones vitæ, claves cœli, atria paradisi, non leges mundi sed leges Christi sequantur in peccatorum correptione[1]; et quos mundus damnat, illi liberent. Diis enim, id est episcopis, quorum in senatu Deus deorum medius stat, imperatur : *Eripite pauperem, et egenum de manu mortis liberate.* Quod Ps. LXXXI, 4. beatus Audoenus audiens, implere summo studio properabat, ut reos a morte liberans carnis, ad animæ vitam per pœnitentiæ lamenta repararet, ut compleretur in eo quod Jacobus ait : *Qui converti* Jac. V, 20. *fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.*

30. Quantum circa pauperum fuerit[2] deditus curam, non potest explicari. In eorum obsequium et peregrinorum susceptionem et animo et officio totus inhiabat. Non squalores, non sordes, quibus indigens paupertas semper afflictatur, eum ab obsequio repellebant[3], sed quos major vexarat[4] inopia majori pietate fovebat, sciens magis in talibus suscipi Christum, qui non in seculo dives, sed pauper fieri voluit, et ulcerosum ac squalentem Lazarum per angelorum ministeria in paradisi gloriam jubet deduci, splendentem vero divitem horrendis Averni tenebris sepeliri. Denique, pontificali posthabita dignitate, semota populorum turba, contempta magnorum frequentia, pauperum atque captivorum societate delectabatur. Horum ægritudines medicabatur, ulcera fovebat, sordes diluebat, solabatur anxietates, famem saturabat, nuditatem vestiebat, commemorans illud propheticum : *Requiescere facite animam lassam, et hoc est meum refri-* Is. XXVIII, 12. *gerium, dicit Dominus.* Parentes, propinquos, agnatos, affines eos sibi reputabat de quibus Salvator ait[5] : *Quicumque* Matth. XII, 50. *fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror et mater est.* Amicitias[6] non seculi, sed servorum Dei et quærebat et sanctissime custodiebat, cavens illud Apostoli[7] quoniam *Quicumque voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus* Jac. IV, 4. *Dei constituitur ;* et *Qui hominibus placent confusi sunt, quo-* Ps. LII, 6. *niam Deus sprevit eos.* Et ad discipulos Salvator : *Quo-* Joann. XV, 19.

[1] *codd.* correptionem. — [2] *codd.* fuerat. — [3] *codd.* repellebat. — [4] *ita A ; cet.* vexabat. — [5] ait *supra lin. in A ; deest in cet.* — [6] Amicias *M.* — [7] (c. i.) *deest in cet.*

niam ego, inquit [1], *elegi vos de mundo, propterea odit vos* [2] *mundus.*

31. Ecclesiam regimini suo commissam paterno colebat affectu, pastorali regebat diligentia; non, de more quorumdam, dominationis potentatu comprimebat, ut pastor ait pastorum : Matth. xx, 25-28. *Reges gentium dominantur eorum; non ita erit inter vos, sed qui major est vestrum erit minister vester, sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis.* Quæ Domini verba vir beatus diligenter intendens, oves Christi quibus prælatus erat, non servitia sua deputabat, nec se dominum, sed pastorem arbitrabatur. Qua de re, procurator ut [3] diligens, servitutis ministerium, non potentiæ fastigium, Dominico gregi exhibebat, paratus ut pastor bonus pro suis ovibus animam ponere, non lupino furori fugientia terga monstrare. Non personarum dignitas apud eum, sed merita prævalebant, quoniam Coloss. III, 11. *Apud Deum non est servus neque liber, non Judæus neque Græcus, non barbarus aut Scytha* [4], sed Act. x, 35. *Qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi.* Subditos, secundum Apostolum, arguebat, obsecrabat, increpabat in omni patientia; seniores obsecrans ut patres, anus ut matres, juvenculas ut sorores, in omni castitate. Itemque [5] ait : Gal. vi, 1. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo peccato, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis; considerans teipsum, ne et tu tenteris.* In judicando servantissimus æqui fuerat et, juxta legis præceptum, nec pauperis miserens, nec potentis vultum honorans, juste judicans unicuique.

32. Jam vero de injuriarum remissione dicere superfluum duco, quandoquidem [6], secundum Apostolum, in injuriis atque persecutionibus gaudebat, sciens quod terra optima fructum affert in patientia, et cujus justitia non plus abundaverit quam scribarum et pharisæorum non intrabit in regnum cœlorum. Dilectionis ignem quo ardebat in Deum devotione mentis testificabatur, cui vivere Christus fuit et mori lucrum,

[1] *deest in cet.* — [2] (o. v.) odivos *E.* — [3] (p. ut) *in A corr.* ut proc. — [4] Schita *A.* — [5] *in cet.* Item quod. — [6] quanquidem *M.*

et qui cum Psalmista concinebat : *Gustate et videte quam* [Ps. xxxiii, 9.] *suavis est Dominus; beatus vir qui sperat in eo.* Et ejus observator præceptorum loquebatur : *In corde meo abscondi eloquia* [Ps. cxviii, 11.] *tua, ut non peccem tibi;* ut in eo Salvatoris testimonium dicentis comprobaretur : *Qui diligit me, præcepta mea servabit.* [Joann. xiv, 23.] Et ideo dicebat : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine;* [Ps. cxviii, 103.] *et desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum ori meo.* Et quoniam [1], a mandatis Domini doctus, omnem viam iniquitatis odio habuerat, nec pretio, nec gratia, nec periculo, nec simultate a via recta poterat deduci, in omnibus æquabile [2] statuebat. Peccatorum vulneribus adeo compatiebatur ut quasi proprium, sic alienum lugeret peccatum; nec pharisaico typo tales despiciebat aut eorum comparatione se jactitabat, sed cum Paulo cum dolentibus dolens et cum flentibus flens, in alterius casu suum lapsum timebat et ex alterius miseria infirmitatis propriæ conditionem ingemiscebat. Et pii pastoris imitans exemplum, qui erroneam ovem propriis humeris impositam ad gregem reportavit, eos qui peccatorum fuerant vulnere prostrati cum miserationis descensu et pœnitentiæ participatione ad salutis portum revehebat.

33. Porro sapientiæ plenitudinem qua callebat quis enarrabit? Erat enim scriba doctus in domo Dei, proferens de thesauro cordis sui [3] nova et vetera, faciens quæ docebat et docens quæ faciebat, ne, si solveret unum de minimis legis mandatum et sic doceret, minimus in regno cœlorum vocaretur et fieret velut sal qui infatuatus foras projicitur et conculcatur ab hominibus [4]. Unde non audebat illa loqui, secundum Apostolum, quæ per illum non operabatur Christus. Ut fidelis autem dispensator quem præposuit [5] Dominus super familiam suam ut daret illis in tempore tritici mensuram, doctrinæ cibum singulis distribuebat, considerans quid ætatibus, quid sexui, dignitatibus, conditioni et uniuscujusque capacitati conveniret. Erat namque eloquio copioso,

[1] quo *M.* — [2] *add. supra lin. A* juste. — [3] (t. c. s.) c. s. t. *M. corr.* — [4] ominibus *M.* — [5] *codd.* proposuit.

subtili, ornato, allocutione suavis et gratiosus; divites docens ut humilia de se sentirent [1] nec spem sibi vanam super incerto divitiarum statu ponerent, quoniam, tanquam floris pulchritudo cita velocitate marcescit, ita gloria carnis unde florere conspicitur inde languente cursu deperit; humiles [2] monens in paupertate sua gloriari nec mentis augustia contrahi, sed in Domino semper gaudere, cordis magnitudine anxietates cito finiendas exsuperare, cœlestium gaudiorum beatitudinem spe jam præoccupare, non rerum tenuitate aut fortunæ casu commoveri, sed quod cœlestes divitias, virtutum thesauros regnumque Christi promeruerint exultare.

34. In adversis autem atque prosperis idem perseverans, nec prospera illum extulerant nec adversa deposuerant. Ab nulla re honesta nec periculi, nec laboris magnitudine poterat deduci; nullius pro rei veritate metuebat inimicitias; quodlibet pro Ecclesia, pro sibi commissa plebe, pro verbi Dei amore subire periculum, quemcumque suscipere laborem non dubitabat. Carnis vero passiones adversus animam militantes tanta mentis [3] potentia comprimebat, ut carnificum cruciatus vel æquare, vel superare videretur. Parum namque fuerat [4] quod jejuniis et inedia corpus attenuarat [5], quod vigiliis ora paluerant, quod contriti cordis et humiliati [6] spiritus testimonium [7] lacrimarum fluenta promebant [8]; verum etiam ferrei circuli colla, brachia ventremque ligaverant, et metalli durities teneritudinem cutis arctando [9] sulcarat, ut, quoniam catenarum defuerant nexus membra coercentes et ungulæ viscerum secreta rumpendo penetrantes, ipse, in semetipsum tortor existens, diris cruciatibus pœnas perageret, nec, persecutore cessante, illi martyrii meritum defuisset: quamquam cordis ejus [10] humilitas hoc genus pœnarum non martyrum palmis [11] sed peccaminum meritis compararet,

[1] de setirent *M*; de sentirent *E*; desentirent *T*. — [2] humilens *M*. — [3] *miro substitutionis ex pronuntiatione forsan ortæ exemplo*: temptamentis *in M et T*, *loco* tanta mentis. — [4] fuit *T*. — [5] *codd.* atteauerat. — [6] *ita T*; humilitati *M*, *E*. — [7] *codd.* testimoniorum. — [8] *codd.* premebant. — [9] artando *M*. — [10] *deest in cet.* — [11] *codd.* palmas.

ne ventus elationis dispergeret quod humilitatis virtus congregarat. Studebat quippe gerere præclara et humilia de se sentire; quoniam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat* Jac. iv, 6. *gratiam*, et ad discipulos Salvator : *Cum feceritis hæc omnia,* Luc. xvii, 10. *dicite quia servi inutiles sumus;* et Christi contemplator effectus, nihil dignum passionibus ejus, nihil comparabile pœnis quas pro peccatoribus subivit in se fieri deprehendebat, cum Psalmista loquens : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ* Ps. cxv, 12. *retribuit mihi?* Jam vero lectulum quo fessa membra collocabat quieturus, non vestes pretiosæ composuerant nec fulcra mollia substraverant, sed virgarum durities intexuerat, ne rigorem continentiæ blanda plumarum [1] suavitas emolliret; sed, in mortificatione carnis perseverans, Apostoli verba concinebat [2] : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne* I Cor. ix, 27. *forte aliis prædicans ipse reprobus efficiar.* Et terrenorum affectuum membra mortificans, exhibebat corpus suum hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, sciens non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in sanctis [3]. Unde, præterita relinquens et ad futura se extendens, contendebat ad bravium supernæ vocationis.

XIIII. Omni conamine in Deum proficiens quam devote Ecclesiæ suæ in augmentum cœnobia, xenodochia [4] matriculasque constituit.

35. Inter hæc exercitia virtutum, ecclesiam glorificare desiderans et servorum [5] Dei numerum multiplicare contendens, meditari cœpit ut monasteria in diœcesi sua construeret et quæ per incuriam prædecessorum (1) vel antiquitate destructa fuerant repararet. Idem quoque, desiderii sancti fervore succensus, per diversa regni Francorum loca facere moliebatur, ut, sanctorum habitaculis et monasteriorum mœnibus ubique

[1] *crt.* plurimarum. — [2] *codd.* concinnebat. — [3] nobis *E.* — [4] *codd.* xenodoxia. — [5] servum *M.*

(1) Ille procul dubio rerum Rotomagensium penitus ignarus erat, quem non puduit inferre talem incuriæ accusationem in sanctos pontifices beati Audoeni proxime antecessores Romanum videlicet, Prætextatum, Flavium, Gildardum.

Num. xxiv, 5, 6. fulgentibus, diceret: *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel; ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propter aquas.* Vere speciosa, vere pulchra sunt tabernacula spiritalis [1] Jacob et tentoria Israel, non in terra cui maledixit Dominus, habentia fundamentum, sed ad terram viventium quotidianis provectibus transmigrantia; in quibus speciosissimæ valles humilitatis frondescunt, virtutum virentia [2] sanctarum, fluentis Scripturarum irrigata, germinant et habitationis æternæ palatia de pretiosis lapidibus ædificantur, et sanctitatis gratia, Spiritus sancti flumine [3] nutrita, suavitatis odorem semper aspirat. Hac beatus Audoenus cœlestium delectatione captus tabernaculorum, non civitates quas destruit Dominus, sed cœnobia sanctorum et templa, quorum Spiritus sanctus est habitator, constituere desiderabat. Et ne religiosi votum desiderii sine fructu maneret, sanctæ voluntatis affectum studiosi operis adimplevit effectus. Hujus autem operis exordium in sedis propriæ civitate auspicatus est, in qua principalem ecclesiam (1), a prioribus quidem fabricatam, multis magnisque rebus ornavit atque ditavit. Inter cetera vero lectum ibi aureis laminis cooperuit in honorem perpetuæ virginis atque Dei genitricis Mariæ, non in quo requiesceret illa corpore, sed ut obsequio tali et monstraret [4] suæ devotionis affectum et Dei genitricis auream prædicaret virginitatem, quæ tanto castitatis meruit decore fulgere, mente simul atque corpore, ut in ea divinitatis plenitudo non solum requiesceret, verum etiam, illius de carne carnem assumens, in hominis vera perfectione usque ad nostram, id est humanam, visionem procederet. Ordinem clericorum et numero et sacris institutionibus amplificavit; xenodochia [5] constituit, quibus hospitum necessariis usibus subveniretur; matriculas quoque, in quibus pauperes et temporalis vitæ

[1] *ita codd., pro* spiritualia? — [2] *pro* vireta? *Cfr. tamen n. 40:* Virentia virtutum exempla. — [3] *pro* flamine? — [4] (et m.) *codd.* m. et. — [5] scenodochia *M.*

(1) Cuncta hæc quæ dicturus est auctor, operatus est S. Audoenus non in « principali » sed in S. Petri apostoli ecclesia, extra urbis mœnia tunc existente.

subsidiis indigentes perpetuo foverentur subsidio, ædificavit, et unde quotidianam haberent alimoniam studiosissime procuravit. Hac igitur trifaria divisione Rotomagensis ecclesiæ dividens administrationem, id est in clerum, hospites, pauperum, pupillorum seu viduarum procurationem, res Deo consecratas non usibus seculi, sed necessitatibus indigentium deservire faciebat.

36. Cœnobia quoque, sive basilicas agrarias, diligentia multa et construxit novas et restauravit antiquas, rectores atque presbyteros singulis locis præficiens qui, vita probabiles, doctrina commendabiles, plebem Dominicam ad omne opus honestum atque Deo placitum instituerent. Adeo messis evangelica per illius administrationem in diœcesi Rotomagensi sub diebus ejus fructificavit, ut omnes Galliarum parrœchias ne dicam vicerit, verum religionis exemplo ad cœlestis vitæ studium provocarit. Tantus namque monachorum et sanctimonialium numerus ad ejus institutionis normam, velut palmites in vineis Engaddi, subito enituit, ut agrum videretur illum exhibere, de quo patriarcha Isaac Jacob filio suo benedicens, ait : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Erat regio illa sicut paradi- Gen. xxvii, 27. sus Dei et sicut Ægyptus descendentibus, non in Segor, quæ justum Sodomitanas fugientem flammas non potuit salvare, quoniam sceleratorum vicinitate civitatium terræ motu frequenti periclitabatur, sed descendentibus in terram Judam, ut, humilitatis descensum sequentes, ascensum superbiæ caveant, et, venientes ad Christum et passionis [1] illius sectatores redditi, dicant, in unitate spiritus et in uno corpore Christi copulati : *Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam* Ps. cxviii, 71. *justificationes tuas,* ut sit altare Domini in medio terræ Ægypti et titulus juxta terminum ejus, ut et medietas et fines Domino exercituum fiant consecrati. Tanta religiosorum multitudo, tantus fervor religionis, tanta cœlestis gratiæ benedictio Rotomagensium fines repleverat, ut tota fere regio in religionis habitum transisse putaretur ; et neglectis

[1] *codd.* passiones.

mundi negotiis, contemptis seculi dignitatibus, futuræ vitæ contemplationi vacabant et virtutum gradus ad alta cœlorum moliebantur. Beatus autem pontifex, constitutis qui causas [rerum] ecclesiarum pro utilitatibus Deo famulantium prospicerent et disponerent, ipse, secundum apostolicam formam, prædicationi vacabat et orationi. Et hæc quidem de his quæ in ecclesiæ suæ jure fuerit operatus cœnobiis dicta sint. Nunc ad ea transeamus quæ in aliis locis, aliorum ditioni [1] subjectis, vel ipse fecit vel faciendi fuerit auctor. Ubi nobis occurrit ordine primo loquendi monasterium quod dicitur Fiscamnum (1), quod in alterius quidem possessione et ab alio constat ædificatum, verum, quoniam ipse causa constructionis extitit et ipsius auctoritate præceptoque factitatum sit, non ab re illi tribuitur cujus merito consilioque sit patratum (2). Quæ res hac [2] ratione processit.

XV. Præclari cujusdam Waningi a præsentibus translatio, reditus et cœnobii ædificatio in ejus prædio.

37. Waningus (3) quidam vir fuerat illustris potentia et opibus prædives. Hic, valitudine correptus acerrima, pene fuerat ad extrema deductus. Raptus autem in extasim, delatus est ad pœnarum regionem, ubi multa diversaque impiorum supplicia [3] contemplatus est. Reversus autem ad superos, sanctum episcopum ad se venire postulavit, utque suis meritis a morbo quo laborabat illi relevationem [4] obtineret devotione fideli supplicavit. Intuitus autem venerabilis præsul hominis fidem, non distulit agere

[1] dictioni *M.* — [2] ac *A.* — [3] *codd.* supplitio. — [4] *cet.* revelationem. —

(1) *Fécamp*, nunc portus satis frequentatus diœcesis Rotomagensis; de quo videsis L. Fallue, *Histoire de la ville et de l'abbaye de Fécamp* (*Rouen*, 1841); A. Du Moustier, *Neustria pia* (*Rothomagi*, 1663), p. 193-258. — (2) Multæ partes narrationis hic conveniunt cum fragmento a Mabillonio edito in secundo Seculo Benedictino, unde V. De Buck mutuatus est Vitam S. Childemarchæ, v. gr. " Quæ res hac ratione processit. " — (3) De eo *Act. SS.*, tom. I Januarii, p. 590-91. Recentius edita est ipsius sancti viri Vita, peroptimo procemio illustrata: *La vie de saint Vaneng, fondateur de l'abbaye de Fécamp, par le P. Christophe Labbé, précédée d'une notice historique par Michel Hardy, Fécamp, 1873.*

quod precabatur, sed orationem super eum faciens et dans benedictionem, infirmitate fugata, sanitatis reddidit incolomitatem. Atque salvatori suo gratias ut referret [1] Christo monens, locum in quo decubuerat [2] Deo delegaret monasteriumque in eo construeret hortatus est. Quod sancti viri consilium religiosum cœlestis revelatio confirmavit. Namque beata Eulalia (1) præfato viro apparuit per visum et eum monuit ut prædium in quo ægrotaverat secundum pontificis consilium Deo consecraret et habitationem sanctarum virginum faceret. Pandidit quoque quod viginti annis adhuc in seculo viveret.

38. O Deo conjunctam præsulis mentem, cujus consilium divina comprobant oracula! Quod persuadet, cœlestis prosequitur visio; quod disponit, superna justificat regula, et in cassum ne possit abire quod pontifex sanctus hortatur, sidereis nuntiis hoc ipsum intimatur. Quid mirum, quid novum, si dispositionem ejus esse divinum videmus oraculum, cujus mens [3] divinitatis exstat [4] domicilium? Ait enim Veritas : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater* Joann. xiv,23.
meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Quod dilexerat, præceptorum Christi fatetur observatio. Observavit autem præcepta; habuit in se Deum mansorem. Non igitur mirum illius si lingua consentit cum Deo, cujus mens habitatorem habet Deum; nec fieri novum conspicimus illius consilium, si cœlestis est revelatio, cujus pia, sancta, religiosa meditatio divinitatis in se commorantis est illustratio. Sermo Patris discipulis loquitur: *Non* Matth. x, 20.
enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

39. Porro post hæc rursus Waningus, de quo sermo est, cœlesti revelatione commonitus atque lætificatus, sanctum episcopum ad se venire postulat [5], illius quo [6] persuasionis compleat voluntatem. Oravit etiam pariter adesse religiosum [7] Christi sacerdotem atque abbatem Wandregisilum [8]. Hic rector erat cœnobii Fontanellæ, quod monasterium, sicut

[1] *cet.* referet. — [2] *codd.* debuerat. — [3] *codd.* mentem. — [4] *codd.* extat. — [5] (v. p.) *cet.* p. v. — [6] (ill. quo) *ita omnes excepto A, in quo* illiusque. — [7] *deest in A, cet. habent.* — [8] *ita corr. in A, M; prius* Wandreisilum, *itemque paulo inferius.*

(1) Colitur S. Eulalia, V. M. Barcinonensis, die 12 februarii; S. Eulalia, V. M. Emeritensis, 10 dec. De hac ultima loqui putamus auctorem nostrum.

gestorum libellus (1) loquitur, præfatus abbas exædificavit : cujus beatus Audoenus [1] locum ubi construxit eum [2] a principe Chlodoveo [3] impetravit, et ipsum multitudini monachorum non parvæ præficiens consecravit abbatem. Quem cum sancto episcopo vir præfatus (2) oravit adesse, ut cum eis pariter de constitutione sive ordine monasterii quod construere cupiebat disponeret. In eodem conventu rex adfuit Chlotharius [4], Chlodovei [5] junioris filius, illius miraculi famoso stupore vel maxime accitus quod in Waningo fuerat actum, quod videlicet precibus atque benedictione episcopi de limine mortis fuerat ad vitæ januam restitutus, et quod ei per excessum rapto tartareum chaos fuerat reseratum, et in morem Ezechiæ regis per cœlestem visionem vitæ illius viginti anni sunt superadditi. Hæc omnia sancti Audoeni [6] meritis et orationibus illi viro fuisse concessa mirabantur omnes ; unde ad hoc cœleste spectaculum rumor ingens primates Francorum universos et ingentem populi multitudinem convocaverat. Stupebant et rex et omnis populus inæstimabilem Dei potentiam, ineffabilem misericordiam, incommutabilem benignitatis favorem, qui tanta mortalibus munera largitur, tantum sibi famulantes glorificat atque exaltat. Sanctum Audoenum [7] prius quidem magnum et admirabilem habebant, deinceps vero apostolis [8] supparem prædicabant. Igitur opus propter quod pontifex venerat accitus, adimpletur. Monasterium dedicatur, numerus sacrarum virginum colligitur, regula vivendi disponitur, et religiosa venerabilisque virgo Hildemarcha (3) constituitur abbatissa. Sacer autem Wandregisilus [9] abbas totius ordinationis curam subiit, ut sub ejus magisterio servaretur, quod infirmior complere sexus non valebat.

40. His igitur sanctus episcopus virtutibus illustratus et

[1] Audoinus *codd., et etiam in M post corr.* — [2] *sic codd.* — [3] Hlodoveo *E.* — [4] Hlotarius *M ;* Hlodarius *E.* — [5] Clodovei *M ;* Hlodovei *E.* — [6] *ita hoc loco omnes.* — [7] *rursus* Audoinum *M.* — [8] apotolis *M.* — [9] Wandreisilus *M.*

(1) Cfr. *Act. SS.*, tom. V Julii, p. 253. Cfr. V. De Buck, num. 4 Commentarii de S. Childemara, tom. XI Oct., p. 680. — (2) Waningus scilicet. — (3) Cfr. *Act. SS.* 1° ubi de S. Waningo (tom. I Jan., loc. cit.) ; 2° ad diem 25 oct. tom. XI, p. 679 sqq. sub nomine *Childemara* vel *Childemarcha.*

talibus pietatis operibus insignitus, humilitatis arcem tenere, virtutum gradibus proficere studebat; et Ecclesiæ sibi commissæ gerens curam, verbum Dei prædicare non cessabat. Mundum contemnere, cœlum petere suadebat; temporalia relinquere, æterna desiderare, voluntates carnis frangere, spiritalia gaudia quærere monebat. Hujusmodi præceptis plebem sibi commissam semper docebat, ne de pecunia Domini sui segnis dispensator, revertente Domino, judicaretur, immo magis cum Apostolo dicere posset: *non enim* Act. xx, 27. *subterfugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Si quando cessaret [1] a prædicatione, non epulis aut poculis vacabat, aut scurrilitatibus et ineptiis secularibusve sermonibus aures admittebat, aut otio, levitati, resolutionibus indulgebat, ne quos verbo docuerat pravis exemplis destrueret et audiret a Domino : *Væ vobis, scribæ et pharisæi, quia facti estis velut sepulchra dealbata, quæ foris quidem parent pulchra, intus autem plena sunt ossibus mortuorum*, et quod per Matth. xxiii, 27. prophetam super figura arietum et hircorum Spiritus Domini comminatur : *Nonne satis erat vobis pascua bona depasci? Insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris. Et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. Et oves meæ his quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur; et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant.* Ezech. xxxiv, 18. Ergo, ne, cum virentia virtutum exempla de sanctarum Scripturarum libris depascens ore populis ministraret et cum liquidissimos sapientiæ supernæ haustus percipiens prædicando credentibus eructaret, gressibus pravæ actionis hæc confundens subjectæ plebi conculcata et cœnosa pascenda et bibenda [2] relinqueret, ac per hoc sanctitatis habitum loqui, non tenere, videretur, ab officio prædicationis quando cessabat, secretis cœlestibus interesse per contemplationem satagebat, ut, apud se commorans, Deo teste perageret quod foras egrediens aliis prædicarat. Cujus sinceritatem devotionis, orationis intentionem, sancti amoris ardorem supernæ revelationes his qui talia fuerant digni videre vel

[1] *cet.* quiesceret. — [2] *cet.* libenda.

quibus hæc divinitati placuerat revelare [1], sæpissime commendarunt. Frequentissime namque in cubili quo requiescebat lux emissa de cœlo a [2] discipulis, illo Deum rogante, visa est, angelicæ cum eo collocutiones exauditæ. Cujus enim animus Spiritus sancti lumine flammatus arcana cœlorum penetrabat, ejus etiam corporis sensus lux superna perfundebat, angelicæ visiones blandiebantur. Gratulabantur enim manifesto colloquio et aperta visione in terris visitare, cujus mentem per cœleste desiderium supernis choris semper interesse cognoscebant. Sic Paulum et Silam psallentes cœlestis lux circumfundit et, totius habitaculi spatium complens, splendoris sui radios foras usque ad oculorum comprehensionem expandit, externi quoque ut [3] cernerent quod servos Dei lux
Ps. cxxxviii, 11. in tenebris possideret. Hinc Psalmista : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis;* nec non patriarcham meridianæ lucis fulgore coruscum angelicæ frequentant visiones, quoniam caritatis pleno lumine radiantem excubiæ supernæ non relinquunt, ut, qui Deo plenus mansore discumbit, supernorum civium consortiis honoretur [4]. Sanctus [5] igitur Audoenus, apostolica sublimis gratia, patriarcharum insignis dignitate, adhuc in corpore constitutus spiritali luce perfunditur et supernis allocutionibus honoratur, ut oculata [6] veritas in eo demonstret [7] quod quibusdam fidelibus Apostolus inculcat :
Philipp. iii, 20. *Nostra,* inquiens, *conversatio in cœlis est,* et quod Salvator ad
Joann. xv, 19. apostolos. *De hoc mundo* [8] *non estis, sed ego elegi vos de mundo.* Cœlesti namque lumine qui perfunditur et cœlestium colloquio civium habitationeque perfruitur, non in mundo, sed supra mundum esse atque habitare cognoscitur. Cœlestem [9] porro civem beatum fuisse Audoenum, cum res narrata liquido fateatur, tum sequens etiam textus approbat. Quamquam sit ex superfluo paucarum rerum confessione velle probare quod omnis vita manifestissima prædicet attestatione. Sed jam nunc oratio monstret quemadmodum

[1] revelaret *A ;* revelari *cet.* — [2] ad *M.* — [3] (e. q. ut) *corr. A* ut e. q. — [4] honoratur *M.* — [5] *Hic incipit in A :* In Transl. S. Audoeni K. Febr. I Lect. — [6] *codd.* occulata. — [7] *corr. A* demonstraret. — [8] inquit *add. A.* — [9] II Lect. *A.*

locus qui nunc Crux sancti Audoeni dicitur (1), ex eventu rei nomine sumpto, fuerit ei demonstratus.

XVI. Quibus initiamentis beato viro divinitus ostensis cœnobium Crucis dictum fundatum sit.

41. Quodam [1] dum tempore diœcesim suam pastorali sollicitudine circuiret, divini verbi semina spargens credentium pectoribus et zizaniorum germina ex agro pellens Dominico, per eum de quo dicitur locum in curru sedens iter agebat. Hoc enim vehiculo, sicut fertur, utebatur, quod. ætate jam fessus, equo vehi non poterat, vel, quod verisimile putatur, de more gentis antiquo hoc agebat. Quacumque vero de causa fecerit hoc sanctus episcopus, non elationis pompa sed necessitatis humanæ subsidio fecisse credendum est. Absit enim ut ejus animam jactantiæ tumor inficeret, qui per humilitatis meritum tantæ sanctitatis titulis insignitus erat. Dum [2] igitur locum transiret eumdem, muli qui currum trahebant, subito substiterunt. Cumque eos auriga flagello ad solitum monuisset incessum nec tamen loco movere potuisset, intellexit vir Dei divino animalia nutu fixa detineri. Non ergo, ut Balaam ille quondam ariolus, avaritiæ morbo caliginatus, in arma furoris trahitur, quoniam non hujus via contraria Domino fuerat, qui non subjugali muto corripiendus extiterat, sed per quem multi mutandi fuerant a pecuali stultitia in divinæ rationis intelligentiam. Unde, superna monitus cogitatione, cor ad Deum, oculos ad cœlum erexit, viditque crucis formam amplissimo splendore desuper emicantem. Intellexit protinus quod locum sibi Dominus delegisset, in quo multos sub Christi vexillo militantes divina dignatio congregaret. Et respiciens, vidit quemdam hominem procul arantem. Cujus

[1] III Lect. *A.* — [2] IIII Lect. *A.*

(1) Cœnobium O. S. B., in diœcesi Ebroicensi, nomine primi sui abbatis sæpe vocatur " Crux sancti Leutfridi „ *(La Croix-saint-Leuffroy)*; cfr. A. Du Moustier, *Neustria pia*, p. 346-359; Vitam S. Leutfridi in *Act. SS.*, tom. IV Junii, p. 105 sqq.

apprehendens stimulum, crucis ex eo fecit effigiem, quam defigens in terra sanctorum reliquias [1] super appendit; et his titulis futuræ consecrationis initiatis, discessit. Sol autem terras cum reliquit et nocturnæ omnia tenuere tenebræ, columna ignea per totius noctis spatium in eodem loco visa est, tanto coruscans lumine ut, tenebrarum caligine dissipata, solis præsentiam exhiberet. Quod prodigium non a paucis, sed ab universis regionis illius [2] accolis fertur esse visum. Magnum [3] profecto spectaculum et præsens divini favoris indicium, quo et sancti præsulis meritum comprobaretur et futuri collegii electio divinitate fautrice commendaretur [4].

42. Si liceat supernum mysterium speculari et nova veteribus conferre, non in arcanis tantum paginis, verum etiam rebus ex tempore concessis, Testamentum novum veteri per omnia convenire deprehendimus, ut rota in rotam concurrere prophetalis visio veracissime revelavit; ut quod prius arcanum, quia futurum, præsagiebatur, nunc manifestum, quia gestum, veritatis indiciis vulgo doceatur. Gradientem per deserta populum ignea columna præcedebat, quæ et viam monstraret et noctis horrorem temperaret, ut sanctis Dei nox in diem conversa luceret. Nunc quoque columnam [5] solis majestate fulgentem designare locum conspicimus in quo sanctorum numerus pro Christi evangelio [6] congregandus erat, qui, vitæ hujus solitudinem incedens, peccatorum tenebras sanctitatis luce dimoveret et erroris caliginem non per legis umbram animadversionis igni terribilem, sed per gratiæ manifestationem, indulgentiæ serenitate clarissimam, illuminaret. Quod gratiæ serenum quia per trophæum crucis exortum est, merito pontificis obtutibus species crucis lucidissimæ ostensa columnæ radios præcessit. Apostolicis Ecclesia litteris columna et firmamentum veritatis intimatur : quod de genere dicitur, de specie quis neget sentiendum ? Apocalypsis quoque victori remunerationis hujus insigne
Apoc. iii, 12. proponit : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei.* Quibus collige tali divinitatem signo voluisse monstrare in loco illo futuros qui propter constantissimam fidei longanimitatem firmamento veritatis connecterentur et propter agonis irretractabilem cursum columna [7] fierent in templo Dei, et qui cum [8] Apostolo dicerent : *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo,* et : *Absit mihi gloriari nisi in*
Galat. vi, 14. *cruce Domini nostri Jesu Christi.*

[1] religias *M.* — [2] *codd.* illis. — [3] v Lect. *A*; Magum *M.* — [4] *Paulo superius incipit codex mutilus T (Paris. lat. 5607), in cujus primis paginis vix aliquot characterum apices legi possunt.* — [5] *cet.* columpna. — [6] *codd.* evangelium. — [7] *codd.* columpnam. — [8] Paulo *add. A.*

43. Post ejus visionis mirabile signum turbæ diversæ conditionis, utriusque sexus, universæ ætatis eo confluunt, quo devotionis fervore! prædicantes non posse incassum fieri quod tanto pontifici revelatum, quod tam divinis indiciis fuerat intimatum. Adduntur ad hæc majoris arcani mysteria, quibus electionis supernæ voluntas indubitata deprehendatur. Vota populus facit et solvit, ne devotio, de sponsione accepta, de redditione teneatur [1] obnoxia. Cœlestibus beneficiis oblationes plebis prosequuntur; languores [2] curantur, cæcis visus restituitur, surdis auditus reparatur, claudus recipit gressum, mutus eloquium, leprosus mundationem. O sedes [3] approbatione superna commendabilis, o domicilium divina dilectione magnificatum, in quo cœlorum secreta panduntur, Spiritus sancti dona distribuuntur! Non hic terreni palatii ædes auro lapidibusque pretiosis vestiuntur, sed spiritalibus divitiis et æternæ lucis majestate pectora sanctorum in superni regis habitationem adornantur [4]. Nemo tamen miretur locum divinitus electum seculi [5] fluctibus si concutiatur: et Hierusalem eligitur, et tamen a gentibus conculcatur. Non enim terram, insensibile elementum, divinitas sua ducit electione [6] dignum, sed terram inhabitans rationabile [7] animal sua inhabitatione facit esse dignum; nec parietes ligno lapideve fabricatos habere dignatur acceptos, sed corda fidelium sapientia, virtutibus decora, gratam incolit habitationem. Qua de re dum mortales divina jussa sequuntur, et locus propter eos quoque sanctificatur; quod si, vultibus aversis [8], leges Dei contempserint, impendentem vindictam cum habitatoribus habitatio simul incurrit. Igitur [9], ut dictum est, locum cœnobii Sanctæ Crucis, divinitus magnis multisque prodigiis commendatum, sanctorum multitudo cœpit inhabitare et, relictis mundi fascibus, jugum Christi suave miti cervice bajulare. Ubi beatus Leutfredus [10] ecclesiam fabricavit, quam in sanctæ Crucis honorem, cujus indicio locus

[1] *cet.* tenuatur. — [2] VI Lect. *A*; langores *M*. — [3] VII Lect. *A*. — [4] adornatur *M*. — [5] *sic in A*; *deest in cet.* — [6] electionem *M*. — [7] *corr. A* rationale. — [8] avertis *M*. — [9] VIII Lect. *A*. — [10] *ita A et M, quamquam in M prius* Leudfredus; *T et C* Leudfridus.

designatus est, atque sancti pontificis Audoeni [1] dedicavit. Ubi monachorum legio, evangelicis armis præcincta, spiritales ducit excubias et posthabitis secularibus [2], Christi vestigia sequitur dicentis : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ possides, et veni, sequere me*, ut cœlorum thesauros recipias indeficientes [3]. Hæc dicta sint [4] super revelationibus quibus Crucis domni Audoeni cœnobium ut conderetur est ostensum. Nunc dicendum quemadmodum angelico colloquio doctus est alterius ecclesiæ ut faceret ædificationem.

Luc. xviii, 18.

XVII. Qualiter per soporem apud Belcionacum [5] amoneri meruit, ibidemque mox ecclesiam sancto Stephano construi præcepit.

44. Quadam [6] die, dum [7] caperet [8] iter per parœchiam Rotomagensem, episcopali de more plebis sibi commissæ sollicitudinem agens, contigit eum ad quemdam locum eventu viæ devenisse : qui locus haud [9] procul ab alveo Sequanæ situs, vicinam habet insulam cui est Belcionaca [10] (1) vocabulum. Quo [11] cum accessisset, paululum inibi voluit quiescere, tanquam somni quiete lassi corporis defectum reparaturus, re autem vera [12] divinæ revelationis tali quiete mysterium penetraturus, ut mens, a sensibus remota corporeis, angelorum [13] visionibus frueretur. Cumque paululum membra sancto [14] sopori dedisset ac mens, speciebus exuta

[1] Audoini *M.* — [2] *ita A ; cet.* secularis, *forsan pro* seculi curis. — [3] (r. i.) *ita A ; cet.* recipiat indeficienter. — [4] *ita omnes præter A, in quo (post corr.?) legitur* sunt. — [5] *ita A pro* Belcionacam. — [6] *cet.* Quodam. — [7] (dum carperet) *cet.* carpebat. — [8] carperet *M.* — [9] *codd.* haut. — [10] *in marg. T.* : Insula prope Calidobeccum submersa. — [11] *codd.* Quod. — [12] *deest in cet.* — [13] Anglorum *A.* — [14] *cet.* sancta.

(1) Belcionaca seu Belcina (*Belcinac*), insula haud procul ab oppidulo Calidobecco in Caletis a Theodorico rege B. Condedo, monacho Fontanellensi et anachoretæ concessa ante an. 675; labentibus seculis " a rheumate maris attrita ac collapsa est " seu probabilius, ut opinamur, proximæ Sequanæ fluminis ripæ adjuncta. De qua plura scripsimus in opusculo *De la Barre ou Mascaret dans la Seine-Maritime. Rouen, 1866 (Congrès scientifique de France, session XXXII,* pp. 614 sqq.); cfr. *Act. SS.*, Octobr. tom. IX, p. 352, ac Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 862.

corporeis, spiritalibus secretis intentionis oculum inseruisset, cœlestia panduntur, et, instar Johannis, angelis declarantibus mysterorium secreta contemplatur. Suggeritur sancto pontifici, nuntiis a sede [1] superna missis, ut in quo quieverat loco basilicam in sancti Stephani protomartyris (1) honorem juberet constitui.

45. Quid prius hic admirer ignoro, sanctæ mentis puritatem an divinæ gratiæ prærogativam [2]. Ecce in itinere detentus, seculi negotiis occupatus, et quamvis ecclesiasticis, terrenis tamen sollicitudinibus implicitus erat [3] : et tot rerum facies animi statum non exagitant, tot mundanarum tempestates commotionum serenitatem mentis non obnubilant ; adeo ut, fortuito correptus somno, non secum per quietem perturbantium causarum volumina verset, sed ab omni seculi procella spiritus liber, cœlestium revelatione civium et allocutione perfruitur; et quod perfectorum aliquis vix et cum magno labore in remotissimæ solitudinis penetrabilibus promeretur, iste in publico perpetua virtute retentat. Jam vero si divinæ gratiæ prærogativam in eo libeat considerare, quid electius, quid præclarius, quid cœlesti glorificatione sublimius quam ut locus [4] in quo quieverant pontificis membra in superni regis transmigret palatium, et qui meruit præsulis sopore decorari, ulterius jam vulgaris atque communis esse non possit ? Parum est hoc ad privilegium meritorum illius prædicandum, si non etiam de terreno jure in cœleste transfundatur, et porta factus cœli, regio dedicata paradisi, angelorum deinceps et civium supernorum sit habitatio delectabilis. Nisi forte quis, ad memoriam patriarchæ Jacob nolens reducere somnium, supra fidem hujus narrationis accipiat seriem. Attamen ille, per quietem scalam videns a terris in cœlum usque erectam, locum ubi jacuerat portam esse cœli dixit, domum Dei vocitavit, terribilemque divini numinis horrore exclamavit, et, ejus quo doceret [5] excellentiam, sanctæ unctionis oleo consecravit. Habet res ista totius Ecclesiæ quidem formam [6]; sed dum

[1] (a s.) assede *M.* — [2] progativam *M.* — [3] *deest in cet.* — [4] *in cet.* locus *post* membra. — [5] *hic spatium vacuum in A, capiens unam aut duas voces.* — [6] *in marg. A :* ad magistri formam doctrinamque sacram.

(1) Nullum nos alias hujus S. Stephani capellæ vestigium repperimus. In archivis Fontanellæ seu sancti Wandregisili tantum fit mentio basilicæ B. Mariæ virginis, S. Petri apostoli et S. Walarici a B. Condedo in Belcionaca insula erectæ. — « Digitus S. Stephani protomartyris in sacram Fontanellam anno Christi 1036 allatus est per Gerardum Flaitellum, nobilem Normannum, qui tam pretiosum pignus a moriente Roberto, sexto Normannorum duce, Niceæ Bithiniæ acceperat. » Ita Alexander Breard, *Apparat. ad Hist. Fontanellæ sanctæ,* Quæst. XXII, § 34, q. 367. Cod. ms. Bibliot. urb. Rotom., Y 132.

universalitas adumbratur, quod est particulare non secluditur : nec enim membrum a totius corporis laude, sicut nec officio, separatur. Qua de re factum illud, mirabile et universalitatem amplectens, etiam hujus quod est in parte firmamentum est ; nec hujus præconio illius laus mysteriumque deponitur, sed extollitur atque roboratur. Gerebat illud totius plebis in Christum crediture et ipsius Christi figuram ; hoc vero partem Christo devotam mansuram insinuabat. Quemadmodum illud aliquid terrenum prætendere non dignabatur, sic istud quicquid geritur aperit esse cœleste : nisi quod ibi legalem forte populum terrenæ promissionis hæreditate gaudentem [1] cœlestis visio prædicabat [2], hic totum quod geritur divinum est atque supernum. Neque, si terrenis adhuc membris degentes innuuntur, secundum carnem militant aut ea quæ sunt carnis sapiunt, sed, sicut ait Doctor gentium, quorum conversatio in cœlis est.

46. Quid multa ? Surgens a somno sanctus episcopus, locum divinæ venerationis honore amplectitur et, quemadmodum acceperat in revelatione, religiosis officiis applicare festinat. Ansbertum (1), Fontanellæ monasterii patrem, evocat, ad cujus ecclesiæ possessionem locus ille pertinebat ; de constituenda basilica sollicitudinem mandat. Qui, pontificis præcepto devotissime parens, ædem sacram, non magnis quidem sumptibus, propter situm loci, eleganti tamen specie contruxit. Ubi (2) venerabilis pontifex xenodochium [3] pauperum fecit et prædium, cui vocabulum Childriacus (3), in pago Dunensi (4), sufficiens ad pauperum illic deputatorum

[1] *cet.* gaudente. — [2] *in A inversionis signum, quasi legendum* prædicabat visio. — [3] zenodochium *A ; cet.* senodochium.

(1) Non ergo reponenda est illa revelatio ante 476, quo S. Lamberto ad archiepiscopatum Lugdunensem assumpto suffectus est B. Ansbertus, Fontanellensis abbas. — (2) " In præfato Fontanellæ monasterio „ constructum refertur ab Aigrado in Vita S. Ansberti, num. 13 ; cfr. *Anal. Boll.*, tom. I, p. 185. — (3) Ubi situs sit locus ignoramus. An *Cintray* viculus diœcesis Carnotensis, qui sec. XIII vocabatur *Cintriacum* et in pullario diœcesis edito an 1736 *Saint-Ouen-de-Cintray ?* (Cfr. L. Merlet, *Diction. topogr. du départ. d'Eure-et-Loir*, p. 49). Sed iste viculus pago Dunensi vicinus tantum. Insuper triplex in Gallia occurrit " pagus Duni „ seu " Dunensis „ (Cfr. Guérard, *Provinces et pays de la France*, *Annuaire de la Soc. de l'Hist. de France*, ann. 1837, p. 91). In ipsa diœcesi Rotomagensi vallis quædam Caletensem inter et Tallogiensem pagos sita a rivulo Duni vocata est *la vallée du Dun*. Sed in hac regione nullus est viculus cujus nomen accedat ad vocem " Childriaci. „ — (4) Sequentia a cap. XVIII-XXI neque in prima, neque in secunda S. Audoeni Vita reperiuntur.

sustentationem [1] delegavit, ut justitia ejus maneret in seculum seculi et cornu ejus exaltaretur in gloria.

XVIII. Qualiter in translatione corporis beati Marculfi de capite illius meruit ammoneri divinitus.

47. Quodam autem [2] tempore, dum diocesim circuiret suam, pervenit in pagum Constantinum (1); cumque ad monasterium sancti Marculfi (2) divertisset, rogatus est a Bernuino [3] (3), ipsius monasterii patre, ut beati Marculfi corpus transferret. Qui, petitionibus ejus satisfaciens, reliquias sancti transtulit et digna cum veneratione in loco præparato constituit. Hujus autem pro laboris munere sanctæque devotionis ardore, beatus pontifex reliquias a præfato abbate de sancto corpore postulavit. Quod cum ille benignissime concessisset, venerabilis præsul caput sancti pro reliquiis cogitabat auferre. Cui talia meditanti schedula divinitus inscripta in palma ejus subito est reperta, cujus scriptura continebat ne caput sancti Marculfi ab ejus corpore separaret, sed aliunde reliquias sibi [4] sumeret undecumque de corpore vellet ipsius. Venerabilem igitur et admirandæ sanctitatis virum, cujus voluntatis desiderium litteris cœlitus missis instruit, et qualiter circa piæ devotionis obsequium debeat agere perdocetur [5] ! Non cunctandum itaque in eo [6] sanctitatis montem hunc episcopum conscendisse in quem ille conscenderat qui legem digito Dei scriptam acceperat [7] : nisi quod illic lapideæ [8] tabulæ propter idololatriæ prævaricationem confractæ sunt, hic vero propter observantiam præceptorum remunerationis gratiam [9] pro-

[1] (i. d. s.) sumptus i. d. *cet.* — [2] etiam *cet.* — [3] abernuino *A*; ab Ernuino, *M, T, C.* — [4] s. r. *M.* — [5] perdoctur *M.* — [6] eum *M.* — [7] *Hic rursus manus mutatur in E, ac refert sec. XI.* — [8] lapide *M.* — [9] gratia *codd.*

(1) Pagus Constantinus seu Constantiensis (*le Côtentin*), Normanniæ Inferioris celebris peninsula. — (2) Cœnobium Nanti seu Nantogili (*Nanteuil*) sub Hildeberto rege a B. Marculpho erectum circa 526, a fundatore suo paulo post ejus mortem vocatum est. Cfr. *Act. SS.*, tom. I Maii, p. 70 sqq., Du Moustier, *Neustria Pia*, p. 69-74. — (3) Cfr. Toustain de Billy, *Hist. eccl. du diocèse de Coutances*, tom. I, pp. 48, 49. Hanc visitationem refert in an. 660.

meretur ut, quod sancta postulaverat [1] devotio [2], et petitionis acciperet fructum et religiosæ voluntatis agnosceret modum. Sed placet in rebus etiam vilibus Christi servi considerare gratiam et superni favoris spectare benignitatem : quæ tanto magis humanæ admirationis supergreditur intellectum quanto magis in causis humilioribus constat.

XIX. Qualiter, frustrato cujusdam potentis conamine, meruit divinitus satisfactionem ex uno lapide.

48. Per eumdem pagum, cujus superius fecimus mentionem, Constantinum gradiens episcopus aspexit lapidem specie grata et honesta positione secundum sui generis qualitatem. Quem diligentius considerans, aptum dixit usibus equitantum, optavitque ut in villa suæ ditionis quadam Brisniaco (1) fuisset. Quæ verba pontificis quidam secularis [3] opibus potens et superbia tumens cum accepisset, suæ potius quam pontificis dignum arbitrans famulationi exhibendum, mox pontifice discedente famulos cum plaustro misit ut lapidem sibi deferrent. Qui domini perficientes jussum, lapidem plaustro imposuere et directo calle prospere gradientes, ad locum quo fuerat eis præceptum properabant. Verum cum ad bivium quoddam ubi duarum sese viarum disparantium altera villam petebat episcopi, altera secularis illius ad domum ducebat pervenere, ilico qui trahebant boves propriis defixi vestigiis substitere. Famuli plura boum paria [4] jungentes, onus movere non valuerunt. Tandem lassatis viribus et omni conamine frustrato, ad domum casso labore fatigati sunt reversi, plaustrum cum lapide superposito bobus adjunctis [5] relinquentes. Quod sanctus episcopus cum didicisset, in eadem de qua dictum est adhuc residens villa, famulum [6] ejusdem fundi

[1] postularat *M.* — [2] devictio *M.* — [3] secularibus *cet.* — [4] parie *M.* — [5] *ita codd., legendum est autem e contrario* disjunctis. — [6] fanculum *M.*

(1) Locus nobis incognitus; nec satis intelligimus quomodo situs in diœcesi Constantiensi fieri potuerit ditionis S. Audoeni.

quemdam ad se jubet accersiri, cui præcipit ut eat et [1] lapidem deducat. Qui cum causaretur se [2] præter duas vaccas non [3] habere, quarum debilitas tanto ponderi nequaquam sufficeret, hortatur ire nec de conficiendi operis obsequela cunctationem [4] retinere. Qui pontificis imperio parens, ad locum properat, animalia [5] plaustro jungit, tantaque facilitate [6] domum reversus est ac si nullum superimpositum [7] onus referret.

49. Miranda et obstupescenda plane omnipotentis largissima bonitas! Ecce tenuissimis in rebus et negotiis abjectissimis, quas humana fragilitas optare non audet, suorum servorum desideriun complet, et de quo apud seculi potentes agi creditur indignum, hoc immortalis potestas famulis præstare suis honestissimum censet. Ut quid hoc? Idcirco nimirum ut talibus beneficiis gratuito largitis fiduciam postulandi certissimam præbeat pro salutis æternæ perceptione. Quis enim [8] dubitabit [9] eum pro necessitatibus animæ corporisque postulata concessurum, quem videat necessitudinis nostræ superflua interdum etiam deposcita [10] gratis exhibere? Ait enim veritas præcepta sua [11] servantibus per prophetam : *Antequam me invocetis dicam vobis : ecce* Is. LXV, 24.
adsum. Et per Salomonem : *Desiderium suum justis dabitur.* Quid est Prov. X, 24.
enim in quo præceptorum Dei diligens observator desiderii sui fructu privetur, quando, et priusquam invocet, effectus postulationis adipiscitur [12]? Quid, inquam, est [13] quod fidelis devotio dubitet obtinere quibus dicitur : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis et dixeritis monti* Matth. XVII, 19.
huic : tollere et jacta te in mare, statim fiet ; Item : *Omnia possibilia* Marc. IX, 22.
sunt credenti ? Non est enim in quo sanctorum de percipiendis cunctetur [14] oratio, si non fidei titubet perseverantia; nec est in quo mens credentis atque diligentis patiatur angustias exauditionis, cujus fidei potentia quicquid voluerit adipiscendi largiatur effectum.

XX. Qualiter in ejus despectu pro eodem lapide quædam mulier multata est oculorum amissione.

50. Imposito [15] autem lapide in usus [16] ad quos vir Dei voluerat, atque pluribus dierum curriculis evolutis, mulier quædam, animi levitate permota, super eum sedere præsumpsit.

[1] at *M.* — [2] *super lin. in A ; in cet. om.* — [3] (v. n.) n. se v. *cet. codd.* — [4] contatione *E.* — [5] animalium *E.* — [6] facilitatate *A.* — [7] superimposito *E.* — [8] *om. E.* — [9] dubitavit *codd.* — [10] depocita *A ;* deposita *cet.* — [11] *om. A.* — [12] adipiscetur *M.* — [13] *sup. lin. in A ; om. cet.* — [14] confutetur *M.* — [15] composito *M.* — [16] cunetus *M.*

Quam vicinæ dum arguerent, increpantes quod super lapidem sancti Audoeni [1] fuerat ausa residere, illa procaciter respondit : *Audoenus* [2] *homo fuit sicut et ego.* Quam vocis irreverentiam ultio condigna statim subsecuta compescuit. Protinus enim oculorum orbes sedibus depulsi propriis adopertam tenebris faciem reliquerunt ; et quia lumen noluit cordis habere, ut viro sancto reverentiam daret, justissimo censuræ divinæ judicio lumina vultus amisit, et diem seculi meruit non videre, quæ [3] sanctitatis lumen insipienter despexit honorare. Sic unius pœna delinquentis multis facta est disciplina salutis : ut dum in uno præsumptionis ausus ultione manifesta coercetur, multi tribuentes honorem sancto [4] animi lapsus effugiant de contemptu. Fertur quoque quod ex quo lapis ille a sancto pontifice in eodem loco fuerit [5] positus usque tempus in illud quo gesta sunt hæc, quæ retulimus supra, mulier nulla consederit illum [6].

51. Unde credentium fides aspicere debet quanto studio, quod viventes in carne curaverant, etiam postquam transierint ad Christum servare contendant, ut illos melius vivere post mortem fideles non dubitent, quorum virtutis potentiam tam præsentem in sui contemptus injuriam experiuntur; et eo gressu mentis per pietatis vota properare contendant, ubi diligentes Deum [7] vere vivere post corporis expoliationem virtutibus attestantibus negare non possunt; atque sanctorum religiosa [8] statuta rebus etiam in parvis prævaricari non leviter ducant, quando divinitatis censuram, in his quoque quæ mortales [9] pro nihilo reputant, ultricem animadvertant. In quo pariter innuitur statuta sanctorum divinitatis esse placitum, cum transgressionis culpam tam severa puniat districtio.

Utile nec minus putamus in rebus quamvis extremis sancti præsulis pondus imperii non leviter admirari. Gestæ rei miraculum multorum testimoniis approbatur.

XXI. Qualiter inconditas voces obstrepentium ranarum fecit conticescere vi suorum verborum.

52. Quodam siquidem tempore ranarum obstrepentium

[1] Audoini *M.* — [2] Audoinus *M, E.* — [3] *codd.* qui. — [4] sanctorum *M.* — [5] (l. f.) f. l. *M.* — [6] *sup. lin. in A ; in cet. om.* — [7] *cet. cod. om.* — [8] religiose *M.* — [9] mortalis *codd.*

vox incondita non modicam sancti auribus molestiam ingerebat, et clamoribus importunis cœlestibus intentam desideriis mentem fatigabat, ac desiderii contemplationem spiritalis confundebat. Tandem inconditæ vocis offensus asperitate, murmura fracta ranarum jussionis auctoritate silentium tenere præcepit. Ad cujus imperium verbi dicto citius insuavis ille cantus obticuit ac tanquam tonitrui fragore nimio concussus conquievit. Nimirum præsulis indignationem grex ille mutus expavit et illius offensionem exitii pœnas sibi laturam pertimuit (1).

53. Non est hoc incredibile fidelibus si, quæ primis hominibus data
est, potestatem recogitent. Ait enim illis Deus : *Dominamini piscibus* Gen. I, 28.
maris et volatilibus cœli et omnibus animantibus quæ moventur super
terram. Item ad Noe et ad filios ejus post cataclysmum : *Terror* Ibid. IX, 2.
vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ [1] *et super omnes volucres cœli, cum universis quæ moventur in terra.* Quod si mutata videatur sententia, non in eis mutata est qui præcepta Dei diligendo custodiunt, sed in eis qui prævaricando contemnunt. Unde ad Israelem
per Moysen dicitur : *Si custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis* Deut. XI, 22.
et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum et ambuletis in omnibus viis ejus adhærentes ei, terrorem vestrum atque formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis.
Adhærentibus igitur Domino (sicut ait Sanctus ad eum : *Adhæsit* Ps. LXII, 9.
anima mea post te; unde vim ejus exprimens adhæsionis loquitur :
Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea) : sic ergo Ps. LXII, 2.
adhærentibus et diligentibus et ambulantibus in omnibus viis ejus (quoniam ille vere diligit qui in omnibus viis ejus ambulat, sicut
Salvator ait : *Si quis diligit me, mandata mea servabit*) et terra et Joann. XIV, 23.
omnia quæ moventur in ea subjecta sunt; nec superest aliquid quod eorum subjectum non sit ditioni, qui per sanctæ desiderium caritatis conjuncti sunt Domino Deo suo. Hinc Apostolis Dominus Christus :
Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et Luc. X, 19.
super omnem virtutem inimici. Et de viro justo scribitur : *Super aspi-* Ps. XC, 13.

[1] in terris *E.*

(1) Ex traditione populari hoc miraculum patratum est a Romano apud Deivillam *(Deville)* manerium olim archiepiscopale, Rotomago haud multum distans, de quo sæpe in *Regestro Visitationum* Odonis Rigaldi. Ibi juxta est stagnum nuncupatum *La mare de S. Romain,* in quo ranæ nec vivere posse feruntur. Cfr. Cochet, *Répert. archéolog. de la Seine-Inf.,* p. 343; Tougard, *Géogr. de la Seine-Inf., arrond. Rouen,* p. 408.

dem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Dum
enim sanctis adversaria potestas subjicienda narratur, nihil non eis
I Cor. III, 22. subjectum relinquitur. Propter quod Apostolus ad fideles: *Omnia,*
inquit, *vestra sunt.* Qua de re mirum non est si ad imperium sancti
repentium voces adquieverunt, et, illius indignationem pertimescentes,
inquietudinis molestiam represserunt. Sanctorum namque jussis
omnis creatura paret, quoniam Deum in illis commorantem expavescit. Adhuc enim primæ conditionis præceptum attendit, et dominum
sibi divinitus constitutum hominem recognoscit; et in conditoris injuriam contemnere prælatum veretur, si non prius ipse creatoris præcepta contempserit. Quod homo cum facit, non injuria debitum
creaturæ subditæ famulatum sentit sibi denegari, quando non vult
ei subditus fieri a quo meminit universo sibi subdita fuisse; et merito
quam habuerat famulam cernit aversari, cum ipse Domino aversus
non timeat existere. Sed sanctis [1] quos Deus inhabitat, ut ipse dicit:
II Cor. 6, 16. *Et ambulabo in illis et inhabitabo,* cum animalia bruta subjiciantur et
ad eorum præceptum suspensa famulentur, solus rationale animal
homo renuit subdi et eorum salutaribus monitis, ne dicam dignatur
obedire, verum tumida cordis cervice despicit et irridet. Et quoniam
ratione donatus per quam sapientiæ capax fiat, liberæ voluntatis
accepit arbitrium, ut dilectionis amore [2], non necessitate naturæ,
dominatori redderet obsequelam, propterea deterior factus voluntatis
libertate in perversis [3] abutitur actis et creatoris sui potentiam nec
amore colit, nec timore pavescit. Unde amatores mundi servos ejus
non solum contemnunt, verum odio habentes persequuntur. Idcirco
Joann. XV, 18. Salvator: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio
habuit.* Quis autem finis hos comprehendet, Sapientia per Salomonem
Prov. X, 24. non tacuit: *Quod timet impius,* inquit, *veniet super eum; desiderium
justis dabitur.* Item: *Quoniam despexistis omne consilium meum et
increpationes meas neglexistis, et ego quoque in interitu vestro ridebo,*
Prov. I, 26. *et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit.*

XXII. Romam gratia Apostolorum adiens, quæ eum frequentia comitata fuerit.

54. At sanctus episcopus, quotidianis provectibus quotidie crescens et ad majora contendens, mundum contemnebat et cœlum [4] toto mentis ardore appetebat; curas seculi postponens, supernis meditationibus insistebat; actiones rerum labentium negligens, studia vitæ perennis agitabat; ami-

[1] sanctos *codd.* — [2] amorem *cet.* — [3] proversis *M.* — [4] cœlo *M.*

citias mundi deserens, sodalitatem civium supernorum exquirebat et quorum spiritus regio poli jam susceperat eorum memorias invisere satagebat, ut quorum tumulos frequentaret in terris, illorum cœtibus in cœlo jungeretur. Christum semper et pectore complectebatur, et ore loquebatur, cum propheta dicens : *Portio mea Dominus in terra viventium.* Ps. cxli, 6. Talibus ergo desideriis votisque spiritalibus [1] inardescens, Romam pergere disponit, non ut civitatem olim caput orbis videret, sed ut apostolorum principes adiret : ut dum studet illorum pia cum devotione memoriis copulari, eorum spiritus adquirere socios mereatur. Hæc religiosi viri cum didicissent, ad eum undique confluebant, postulantes ut pro se apud Sanctorum sepulchra intercederet, suorum causas [2] votorum suis precibus Sanctorum meritis commendaret. Multi quoque auri argentique pondera non parva detulere, ut sanctus præsul illuc deferret et in eorum commendationem ad apostolorum martyrumque reliquias offerret; credentes in conspectu sanctorum acceptum iri quod tanti pontificis obsequio precibusque commendaretur, et quamvis propter suorum culpas delictorum minus fortassis oblatio probaretur digna, illius tamen meritis commendabilem fieri religiosa devotione credebant. Plurima nec non pauperibus eroganda Romanis obtulere, ut cœlestis acciperet thesaurus quod [3] Christi servus in obsequium Sanctorum fideli dispensatione distribuisset.

55. Multi etiam advenere qui comites itineris ejus esse desiderabant. Quorum de numero venerabilis abbas Sidonius (1) fuit, natione Scotus, qui monasterium construxit quod ipsius de nomine Sidonium vocitatum est (2). Religiosorum igitur virorum numero comitatus et oblationibus fidelium oneratus,

[1] voti spiritalis *M.* — [2] caritas *M.* — [3] quæ *M.*

(1) S. Sidonius Gemeticensis monachus sub S. Philiberto monasterium fundavit vocatum " Prioratum S. Sidonii " (*Le prieuré de S. Saëns*). Ibi ejus cultus vigebat ejusque reliquiæ asservabantur. Nunc tantum superest brachium feretro ingeniosi operis inclusum, quod paucis abhinc annis in urbis museum delatum est. — (2) Cfr. Du Moustier, *Neustria Pia*, p. 335-337; Cochet, *Notice hist. et archéolog. sur l'abbaye de Saint-Saëns, (Mémoires de la Société des Antiquaires de Normandie*, tom. XX, p. 442-457).

ut olim vas electionis ecclesiarum de gentibus credentium benedictiones Hierosolymam deferens, ad [1] sanctorum limina pervenit, Adeodato Romanæ sedis pontifice (1). Quis autem verbis explicare, vel quis mente comprehendere queat quo Spiritus sancti gaudio sanctorum tumulos aspexit, quo desiderii fervore lustravit, quantæ humilitatis reverentia, quantæ devotionis studio veneratus est? Ante singulorum memorias prono vultu terram sternebat; ab oculis lacrimarum flumina manans, pavimenta rigabat. Non ore verba multa faciebat, sed cordis ab imo gemitus inenarrabiles edebat. Tanta cum devotione in singulis diutissime detinebatur quasi non esset ad alias accessurus; tanto fervoris calore veniebat ad alias quasi nondum apud priores quicquam lacrimarum esset effusum. Contemplabatur enim vitæ præsentis ærumnas et cœlestis patriæ serenum; angelorum gaudia, martyrum coronas, apostolorum glorias conspiciebat. Et super hæc mentis altitudinem porrigens, Christum in dextera [2] Patris considentem, sanctæ Trinitatis lumen æternum, incommutabile, plenum vitæ et omnium gaudiorum jucunditate immortali suavissimum, fidei luminibus considerabat [3],
Cantic. I, 3. dicens cum sponsa : *Introduxit me in cubiculum suum, exultabimus et lætabimur* [4] *in te;* et : *Post te in odore unguentorum tuorum curremus.* Nec spiritalis suavitate dulcedinis poterat satiari, quoniam Spiritus sancti igne succensus per caritatis amorem ardebat. *Nescimus enim*, ait Apostolus, *quid oremus;*
Rom. VIII, 26. *sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Commendabat Ecclesiam inter seculi fluctus laborantem sponso Christo, Sanctorum suffragiis et ei supernæ Hierusalem quam incolit sanctorum frequentia et multorum milia angelorum. Commendabat plebem sibi commissam; commendabat affectus et oblationes ac vota suorum [5], quorum patronus electus fuerat ad perorandas singulorum causas et desideriorum necessitudines [6] apud præsidia sanctorum pera-

[1] a *codd.* — [2] dexteram *codd.* — [3] considerabis *M.* — [4] letabitur *M.* — [5] sanctorum *codd.* — [6] necessitudinis *E.*

(1) Præfuit a mense aprili 672 ad mensem junium 676.

gendas. Quod tantæ devotionis incensum cœlos penetrare [1] oraculum cœleste patefecit. Etenim, cum, ad confessionem sancti Petri laudes supernæ majestati reddens, inciperet : *Exultabunt sancti in gloria*, divinitus responsum est : *Lætabuntur in cubilibus suis;* ut, adhuc in corpore degens, dum gratias edit Tonanti, discat cœlitus se choris angelorum fore conjunctum. Ps. CXLIX, 5.

56. Magna profecto mentis intentio, quæ nubes superat, secreta polorum penetrat, choros angelicos intercedit, et usque ad supremi Regis arcana perrumpit. Magna supplicationis puritas, quæ angelorum concentibus comparatur. Magna devotionis dignitas, quæ supernis laudibus cœlesti responsione consimilis fore perhibetur. Mirentur alii signorum potentiam quæ per illum gratia sancti Spiritus operata est : tanta mentis puritate nil potius æstimo mirandum. Virtutes enim sæpe faciunt et reprobi, quibus dicetur in judicio : *Nescio vos;* Matth. XXV, 12. hanc mundi cordis sinceritatem sine caritatis lumine qua Deus proximusque diligitur nemo valet obtinere. Cuique sanctitatis emundationi Deus promittitur videndus : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ibid. V, 8. Quod si libeat spectari miracula : quam frequenter a sanctis gesta sunt numero non comprehenditur; quorum vero laudes supernis modulationibus prosecutæ sint grandis raritas invenitur. Solus, nisi fallor, ille qui sine peccato in mundo apparuit occursurus est ; qui cum gratias super clarificatione sua Patri referret, cœleste oraculum resultavit : *Clarificavi et iterum clarificabo.* Joann. XII, 28. Non ista dicimus ut inter merita sanctorum judicemus, sed ostendere volentes cujus puritatis ac sanctitatis iste sanctus extiterit, quandoquidem tam raros in hac gratia consortes repperimus.

XXIII. Rediens cum multorum pignoribus sanctorum, quo tripudio a cunctis excipitur.

57. Jam vero sibi commissam pecuniam quam sincere, quam liberaliter, quam religiose, qua mentis hilaritate distribuit, quis explicare possit? Altaria cumulabantur, religiosi viri munerabantur, pauperum manus replebantur. Tota civitas exultabat; et ad tanti patris visionem omnis sexus, ætas universa, dignitas omnis, omnis conditio gaudens occurrebat. Lætabantur etenim cuncti propriis mœnibus irradiasse quem totius orbis fama sanctitatis merito prædicabat. Unde in ejus

[1] penetrari *cet.*

adventum tanto ferebantur tripudio veluti conspicarentur ipsos principes apostolorum; nec illi tantum de sanctorum visitatione collatum esse, quantum sibi super tantæ sanctitatis contemplatione fuisse donatum loquebantur, quandoquidem religionis apostolicæ formam illius in facie conspiciebant eminere, et prophetarum modestiam ejus in moribus cernebant refulgere.

58. Conspectis igitur sanctorum locorum sedibus, et orationum atque laudum completis officiis, sancti Spiritus gratia repletus, cum multorum suffragiis martyrum nivosis Alpium jugis exsuperatis, Galliarum fines repetivit. Cum jam vicinus propriæ fieret diœcesi, tota civitas atque populus universus obviam procedit. Uterque ordo, canonicus atque monasticus, cum lampadibus et crucibus occurrit, et, choris compositis, laudes magna cum exultatione psallentes, suscipiunt, deducunt, subsequuntur, atque, gaudio repleti, præcedentes magno cum venerationis officio, usque ad [1] sedis propriæ consessum comitantur. Favor undique attollitur, et pro tanti patris incolumi remeatione lætum festum cunctorum pectora ducunt. Ubique sollemnis exultatio celebratur : sacerdotes gaudent, clerus tripudiat, monasticus ordo lætatur, virginalis pudor exultat, et spiritalis gaudio voti jocundantur omnes. Hujus celebritas exultationis [2] volucri fama palatii regiam penetravit ac remeasse pontificem nuntiavit. Quod ubi regalis [3] aulæ proceres ac rex ipse cognovit, mira cum exultatione gavisi sunt, et tanquam super parentis longa post exilia reversione gratulabantur. Adeo namque regi, principibus, omnibusque carus erat ut, pro merito sanctitatis et sapientiæ, illum sibi patronum cuncti parentemque ducerent.

59. Placet igitur vel magni Pompeii ex Oriente, vel Publii Scipionis ex Africa reportatos spectare triumphos et hujus sollemnitatis frequentiæ comparare. Illorum currus afflictorum captivitas pompa miserabili præcedebat; sancti vero pontificis processionem populorum cunei plaudentes anteibant. Illic togati patres senatoria dignitate comitabantur; istic sacerdotalis numerus, candidæ pacis stolis indutus, comitatu angelico gradiebatur. Illic inanis gloriæ gaudia luctus con-

[1] a *codd.* — [2] exultationibus *M.* — [3] legalis *A.*

fundebat miserorum; hic veræ festivitatem gratulationis jucunditas illuminabat universorum. Illic timor favorem, adulatio conventum præsentium multiplicabat; istic amor laudem, puritas exultationem, non præsentium solummodò, verum etiam et absentium, congeminabat. Ea namque fucata seculi gloriatio ementitis [1] adumbrat [2] imaginibus veritatis formam; penes Dei servos gloriæ permanet regnum et veræ beatitudinis habet thronum. Illa utique veluti vestigium nubis [3] præteriens et tamquam rosea pulchritudo subito marcescens in ipso statim perit exortu; hæc vero veluti croceus auroræ radius exoriens, usque ad perfecti diei splendorem crescit et deficientis lucis nescit occasum, sed in sempiterni solis procedit augmentum.

XXIV. Regni Francorum proceres, quos ab invicem dissidentes offendit, quo mentis fervore ad pacem revocavit.

60. Reversus autem beatus episcopus audivit Francorum principes, quos in pace reliquerat vadens, discordibus ab invicem animis dissidere (1). Quo cognito, non negligenter aut facile, sed, sicut scriptum est: *Qui addit sapientiam addit et dolorem*, discordiæ malum, quo subtilius vadit, eo magis [4] indoluit. Itaque, suspiriis gemituque pectus concutiens, ab oculis lacrimarum fluenta ducens, dolorem cordis veris testibus aperiebat. Totum igitur se pro pacis restitutione ad rogandum Deum convertit: siquidem, continuis corpusculum jejuniis macerans, assiduis vigiliis membra jam senio lassata fatigans, orationis instantia divinitatis præsidium implorans, obsecrabat ne civilis belli cædes fieret, ne sanguinis effusio cognatorum acies fœdaret. Quam magnos atque numerosos [5] labores, quam multas et laboriosas tribulationes pia sustinuit senectus, quantis se dedit periculis, quam multis elaboravit doloribus ut patria salutis pacem reciperet, ne populus Christi sanguine sanctificatus proprii cruoris aspersione sævientis adversarii et humana gaudentis perditione crude-

Eccl. I, 18.

[1] et mentitis *cet. codd.* — [2] adumbret *E.* — [3] nubes *codd.* — [4] malis *codd.* — [5] numeros *M.*

(1) Hic probabilius agitur de dissentionibus quæ cædem Hilderici II secutæ sunt. Etenim cap. seq. prosequitur auctor: " Post hæc Theodoricus regni Francorum sceptra sortitus est. " Itaque peregrinatio romana S. Audoeni referenda est in annum primum Adeodati pontificis (672-673).

litatem pasceret. Etenim, caritatis apostolicæ zelo succensus, aliorum valitudo sua fuerat ægritudo, aliorum scandalum suus fiebat cruciatus, et, dilectione Christi ignitus, optabat anathema fieri, quo credentis populi salutem lucrifaceret; vocem denique benignissimi pastoris áttendens, animam suam pro dominicis gregibus ponere desiderabat. Sed cœlestis clementia tantos pro pietate labores, tot pro pacis unitate fletus in cassum ire non passa est. Denique præsentis iræ vindictam removit, frameæ jam vibrantis ictum reposuit, et sacerdotis precibus censura consurgens placata serenissimæ pacis candorem indulsit, et populos, quos discordia tristis diviserat, concordia læta sub unitatis amicitiam reconciliavit.

XXV. Sanctitatis ejus privilegium quale rex attribuerit ; Guarathonis (1) quid interminaverit; impœnitentem quem vindicta corripuerit.

61. Post hæc Theodericus regni Francorum sceptra sortitus est (2), qui sanctum pontificem non minore quam prædecessores sui veneratione coluit. Quo [1] suggerente [2] concessit atque regia statuit auctoritate ut in universa diocesi, cujus primam tenebat sedem, nullus rectorem successoremque constitueret aut civitatis aut monasterii nisi per [3] illius consultum: non episcopus, non abbas, non comes, non secularis ulla potestas. Quod eum fecisse non jactantiæ typho aut dominationis fastu cognoscitur [4]. Ardebat enim ecclesiis Dei rectores pastorali dignos regimine præponi; videbat autem quam multos honoris ambitu non virtutum suffragio aspirare ad ecclesiasticæ culmen dignitatis; utque [5] perversorum studiis resisteret atque moribus sanctis pastoralis honor tribueretur, electionis hujus in omni paroechia sua fieri voluit et probator et censor. Nimirum tali commendabat affectu quod tanquam

[1] Qui *codd.* — [2] suggerenti *A.* — [3] quid *E.* — [4] cognoscit *M.* — [5] atque *M.*

(1) Ex iis quæ num. 62 *narrantur* apparet scribam errasse; scribendum est vel *Gislemaro*, vel *(Guarathonis) filio.* — (2) Nempe anno 673, secunda vice, occiso Childerico II.

fidelis famulus zelo domus Dei comedebatur. Qua de re nundinarios et turpe lucrum sectantes ex ea proturbare summo studio moliebatur.

62. Cujus quoque salutarem qui contempserat admonitionem quam severam supernæ districtionis subierit pœnam unius placet exemplo revelare. Guaratho [1], vir illuster, palatii fuerat procurator, cujus filius erat Gislemarus nomine, equidem industrius et efficax, sed animi sævitia perversisque moribus efferatus [2], qui naturæ beneficiis ingratus atque jus confundens universum, paternam pietatem scelesta [3] mente persequebatur (1). Quem sanctus episcopus monuit ne tam immane facinus patraret. Tangeret animum caritas parentis, sanguinis sui recoleret honorem, patrios respiceret affectus, genitoris viscera cogitaret. Non matri lacrimas irrogaret, non patribus dolorem, non filiis [4] opprobrium, non populis execrationem daret, non seculis triste horrendumque proverbium relinqueret. Postremo divinæ legis disciplinam subiret, quæ parentibus exhiberi decernit reverentiam; timeret [5] districtionem, quæ sempiternæ maledictionis pœna condemnat injuriatores parentum. Quod si salubriter [6] corripientis verba posthabuisset, sciret profecto [7] impietatis hujus atrocitatem non æterna [8] tantum, verum præsenti divinitus ultione feriendam. Superbus autem et immanis juvenis quoniam pie monentis dicta contempsit, quam interminatus est horrendam expertus est pœnam. Etenim genitoris non ante ab insectatione recessit quam dignitatis honore illum privaret; unde non multo post cœlesti plaga percussus, juxta viri Dei præsagium scelestam vitam terribili morte conclusit.

XXVI. Sancti viri meritum apud exteros divulgatum. Paci redintegrandæ legatus, Coloniæ muto loquelam restituit (2).

63. Post hæc inter Austrasios et eos qui Occidentis inhabita-

[1] Waratho *M.* — [2] *Iterum mutatur manus in B.* — [3] scelesti *codd.* — [4] filios *codd.* — [5] timere *A, M.* — [6] salutariter *M.* — [7] propheto *M;* propheta *E.* — [8] æternam *codd.*

(1) De hoc tumultu qui contigit anno 682 vel 683 vide Fredegarium ad an. 681. (*Rec. d. Hist. d. Gaules,* tom. II, p. 451, 452; ac p. 570). — (2) Ceteri tituli desunt in codice mutilo.

bant plagam Francos orta seditio est, et gravissimæ fomes discordiæ usque ad armorum rabiem et sanguinis effusionem fervere videbatur. Ad auferendum de medio discriminis periculum et componendæ pacis quietem, sanctus episcopus legationis subit officium. Hujus itaque ministerii cupidissimus exsecutor, ad urbem Coloniam venit. Meminerat namque scriptum : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur;* tantæ promissioni beatitudinis non indignus apparere satagens, pietatis obsequium pontificali sollicitudine perficere decertabat. Ergo ingressus civitatem, et de more sanctorum memorias veneratus, ex martyrum corporibus pignera sacra postulavit. Quibus acceptis atque magno deferens cum honore, cum jam procederet ab urbe, obvius ei quidam mutus factus est cui per undecim annorum spatium obligata lingua loquendi ministerium denegaverat; de quo fortassis evangelicum illud recitari quiverat, quod nec ipse, nec ejus parentes admiserant unde cæcitatis flagellum pateretur, sed quo famuli Christi meritum populis manifestaretur. Itaque ori ejus crucis signaculum impressit, et statim linguæ vinculum resolvit. Favor populorum attollitur et in admirationem famuli Christi stupor omnium excitatur; laudes omnipotenti acclamantur, et unius oris resolutione [1] multorum in divinæ virtutis magnificentiam ora reserantur.

Matth. v, 9.

64. Exinde composita pace (1), cujus ob causam venerat, ad Neustriam regrediens, civitatem Veredunensium advenit. Cumque ecclesiam intraret, mulier dæmone possessa vexari miserabiliter cœpit, ac, dentibus frendens, arrepto cursu, in Dei famulum velut impetum factura ferebatur. Livoris siquidem felle succensus diabolus servum Christi advenisse dolebat, a quo depulsionis suæ pœnam pertimescebat; atque, superbiæ vanitate jactatus, terroris simulacra fingebat, quibus sancto [2] præsuli timoris anxietatem injicere se posse præsumebat. Sed inflata tumoris jactantia divinæ virtutis potentiam unde putavit propulsare, inde prostrata persensit.

[1] *codd.* resolutionem. — [2] sancti *M.*

(1) Guarathonem inter et Pipinum.

Apprehenso denique capite mulieris, episcopus dæmonis sævitiam coercuit, et in virtute spiritus eum proturbans [1], sanam atque incolumem ab hostis insectatione feminam parentibus assignavit; ut tali pontifex facto psalmistæ comprobaret oraculum pronuntiantis : *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Ps. LXVII, 22. Congruo nempe propulsationis ordine, caput, quod sublato vertice superbus erexerat hostis, sancta præsulis manu corripitur; et sic dæmon ejicitur, ut unde se in altum subrexerat inde humiliatum videret, et inde prostratus in ima decideret unde sublatus ad alta tumendo contenderat. His igitur Christi miles invictus virtutum præsidiis comitatus, ad palatium revertitur, et de impetrata [2] pacis unitate, de concordiæ statuto fœdere, regem, principes, populum, certos efficiens, lætitia non parva serenat. Sed jam narrationis ordo deposcit ut ad migrationis exitum transeamus, et qualiter, sarcina corporeæ molis deposita, consummato certaminis cursu, pervenerit ad justitiæ coronam insinuemus.

65. Legationis igitur officio peracto et Francorum populis ad concordiam revocatis, dum palatinis adhuc ædibus demoraretur et candida senectus modestiæ tranquillitate, constantiæ gravitate, consilii maturitate, sapientiæ dignitate spectabilem se cunctis exhiberet et sanctitatis culmine gratiosa omnibus et admirabilis appareret atque tanquam suorum monumenta morum cordibus universorum signaret, valitudine corporis finem flagitante corripitur, anno sexto atque decimo regnante Theoderico [3] et Chrodhilde [4] regina, Waratthone [5] palatii præfecto (1), apud villam Clippiacum [6] (2), ubi cum rege [7] detinebatur. Instabat enim jam dies quo labo-

[1] perturbans *M.* — [2] deimpetratre *E.* — [3] Teoderico *A*; Thiederico *E.* — [4] Rodhilde *M*; Bilhilde *E.* — [5] Warathone *M.* — [6] Clipiacum *E.* — [7] tunc *add. M.*

(1) Utrum annus Theodorici regis sextus decimus sit annus 686, an 689, dubitatur. Regnum adeptus est primum an. 670, sed mox sede pulsus est; at anno 673 in regnum restitutus. Nobis præplacet an. 686. Nam Guaratho dignitatem pristinam recuperasse videtur anno 684, nec multo post vita functus est, eodem fere tempore, quo S. Audoenus, scilicet exeunte anno 686. Vid. Fredegarium, tom. cit. — (2) *Clichy* prope Parisios, ubi finem vitæ sortitus est B. Audoenus, unde dictus est " Capella Sancti Audoeni ", *La Chapelle-Saint-Ouen.*

ris sui [1] præmia percepturus, corporeæ corruptionis infirmitatem relicturus, ad incorruptionis perpetuæ sanitatem evaderet et immortale lumen atque beatitudinis fontem Christum, quem desiderio spiritus semper fuerat complexus, aspiceret, ac contemplabili vinctus præsentia diceret : *Omnium dulcedine gaudiorum satiatus exulto, quoniam gloriam tuam, Christe, manifesta luce patefactam* [2] *intueor.* Corporis autem molestia per dies ingravescente atque vi febrium obitus diem manifestius designante, pastor bonus, ovium sibi commissarum sollicitudinem gerens, pastori summo devotione maxima supplicat ut eas protectionis suæ munimine circumdaret, et quas sanguinis sacratissimi effusione redemerat [3] servare usque in finem suprema pietate dignaretur, eisque dispensatorem prospiceret dignum, qui non lac ovium in turpis lucri gratiam, sed salutem ob æternæ remunerationis contemplationem requireret. Regem vero precatur ut abbatem quemdam, Ansbertum nomine, sibi constituat successorem. Quod rex libenter amplexus annuit et postulata perficere [4] non distulit, certum habens esse pastoris honore dignum quem pontifex tantus delegerat præferendum, nec in electionis errare posse judicio cum qui jam profecturus assumebatur ad Christum. Commendatis autem ovibus suis Christo et successore designato, gravidam corporis sedem deserit, et comitantibus angelis anima cœlos petivit.

66. Quod ubi nuntia veri fama resonuit, mœror ingens palatium occupat. Dolent omnes, turbantur universi, luctus pectora confundit, et lacrimis ora madescunt ; omnis dignitas concutitur, omnis altitudo deponitur, omne gaudium in lamentum convertitur ; lætitia in tristitiam, jucunditas in amaritudinem commutatur ; principalis majestas a fletu non temperat et pietatis affectu regiam claritatem non recognoscit. Non quo lugendus esset de terra migrans ad cœlum, de morte pergens ad vitam, de exilio remeans ad patriam ; sed quod tanti viri carere præsentia dilectionis ardor ægre nimis ferebat. Unde populus omnis in lamentum resolvitur, quo-

[1] suis *M.* — [2] patefacta *M.* — [3] redimerat *A* ; redimeret *M.* — [4] proficere *M.*

niam paterno ab omnibus amore diligebatur. Erat enim pacem regni semper requirens, salutem patriæ studens, et ne sanguinis effusio fieret et civilis belli confusio patriam pietatem fœdaret sine fatigationis tædio insistebat.

67. Ast ille, cœlestis Hierusalem jam civis effectus, jam choris angelicis junctus, dicit : *Sicut audivimus, ita et vidimus, in civitate Dei* Ps. XLVII, 9. *nostri, in civitate virtutum* [1]. Et inter apostolicas infulas et trophæa martyrum et confessorum palmas constitutus, decantat : *Anima* Ps. CXXIII, 7. *nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Et Christo loquitur : *Post te in odorem* Cantic. I, 3. *unguentorum tuorum curremus.* Et illa contemplans gaudia quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, stupens et admirans, dicit : *Verus est sermo quem audieram in terra mea* II Paral. 9, 5-7. *de virtutibus et sapientia tua. Non credebam narrantibus, donec ipsa* [2] *venissem, et vidissent oculi mei, et probassent vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam. Vicisti famam gloria tua. Beati viri tui et beati pueri tui, qui assistunt coram te in omni tempore et audiunt sapientiam tuam.* Et exultationis gaudio repletus decantat : *Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in seculum, quoniam magnus es et laudabilis nimis, et magnitudinis gloriæ tuæ non est finis. Jocundabimur et exultabimus in te, inebriati ab ubertate domus tuæ et torrente voluptatis* [3] *tuæ potati; quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo conspicimus lumen jucunditatis, vitæ, salutis et pacis.*

68. Recepto itaque sancti præsulis spiritu in tabernacula justorum et certaminum suorum præmiis remunerato atque cœlestibus choris concinentibus laudes individuæ Trinitati sociato, rex proceresque palatii et universa plebs ad sancti reliquias corporis conveniunt, et, funeris obsequia procurantes, in feretro componunt. Quod elatum humerisque gestantes, cum magno [4] psallentio, singultu pectora quatiente [5] et lacrimis ora rigantibus deportant. Diversis clerus ordinibus præcedit, episcopalis dignitas comitatur, rex et regina præfectusque palatii et procerum cuneus omnisque plebis frequentia prosequuntur. Gaudent cuncti funeris obsequium subire et suo quisque gestamine corporis glebam vectitare, atque lucri non mediocris donum reputabat qui loculum sancti officio pietatis contingere meruisset. Hac igitur exe-

[1] (Dei-virtutum) Domini virtutum, in civitate Dei nostri *M.* — [2] ipse *M.* — — [3] volutati *M*; voluntatis *E.* — [4] (cum magno) m. c. *M.* — [5] quatiante *M, E.*

quiarum diligentia, psalmorum laudes concinendo, usque ad Isaræ [1] pontem [2] detulere, ibique noctis vigilias in divinis laudibus celebrantes magna cum devotione peregerunt. Inde regalis magnificentia palatium non sine gravi dolore repetivit.

69. Tum vero transitus ejus fama longius procurrente, episcoporum numerus non parvus est congregatus, diversorum patres monasteriorum conveniunt, sacer ordo clericorum concurrit, monachi secreta cœnobiorum relinquunt et ad sancti præsulis corpus deferendum ferventibus animis commeant; adest nihilominus illustrium virorum multitudo numerosa, civitas Rotomagus obviam tota ruit. Qui sancti corpus suscipientes, choris hinc [3] inde psallentibus, magna cum devotione deportant. Per singula qua gradiuntur loca, in occursum plebium catervæ procedunt, oppida monasteria, vici atque villæ suis habitatoribus vacuantur. Jamque civitati propinquabant : et ecce virgineus reverendo pudore chorus occurrit, viduæ procedunt, pupilli conveniunt, pauperum turbæ occurrunt. Illi pastorem deflent, isti patronum, alii tutorem illacrimant, hi procuratorem inclamant. Junguntur agmina, sociantur cœtus, et mixtis vocibus nunc psalmodiæ cantus, nunc lacrimosi questus sidera pulsant. Religiosa quidem sanctorum devotio psalmos et hymnos resonat, pauperum vero destitutio lacrimas et planctus frequentat : se desolatam [4] præsidio, auxilio nudatam, consolatore privatam lugubri voce deplorant [5]. Tali namque cum funeris obsequio prosecutus, in basilicam beati Petri apostoli (1) defertur, atque in ea cum ingenti honore tumulatur. Ubi meritorum ejus prærogativam miraculorum signis Dominus Jesus Christus commendare hodieque, sicut relationis loquitur textus (2), dignatur. Nam et cæci

[1] *codd.* Isere. — [2] pontum *M, E et cet.* — [3] hic *A*; hinc *M.* — [4] sed des. *M.* — [5] deplorans *M.*

(1) Extra urbis mœnia sita; quæ postea dicta est basilica S[ti] Audoeni : sæpius diruta ac restituta, nunc inter præcipua Galliæ monumenta jure recensetur. — (2) Unde colligitur *textum* illum antiquiorem fuisse seculo octavo medio, quo tempore ob Normannorum metum corpus S[ti] Audoeni translatum est.

lumen recipiunt, leprosi mundationem, claudi gressum [1], a dæmonio possessi salvationem. Nec tantum hæc fieri perhibentur ubi cineris ejus reliquiæ conservantur, verum et per loca multa quæ sancti præsentia illustrari meruere et quæ reliquiarum ejus memoriam pia cum veneratione custodiunt.

70. Quæ virtutum signa si rarius temporibus nostris exerceantur, non ideo præteritorum fides est abroganda vel sanctitatis ejus dignitas minor æstimanda. Quorum enim spiritus cœlestis sedes receptat, etiam cum Christo regnantes incircumscriptum lumen aspiciunt eique indissolubili caritatis amore cohærent; etiam [2] non fide tantum credunt, sed veritate [3] comprobant Christi promissionem dicentis: *Ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis*, et: *Filius non rogat pro eis, quoniam ipse Pater eos diligit.* (Joann. xvii, 22.) De his [4] igitur [5] nulla fidelium corda dubietas obtineat quod et corporeas valitudines et mentium morbos curare prævaleant; sed facta sunt hæc aliquando vel propter incredulos, ut qui verbis ad fidem non movebantur, visis miraculorum signis crederent; vel propter gratiam virtutis eorum manifestandam per quos hæc operari Spiritus sancti distributio delegebat. At nunc talia fieri vel confirmata fidei veritas non requirit vel, quod magis forsitan timendum est, nostrorum confusio peccatorum nequaquam sinit. Jesus enim in patria sua multas non potest operari virtutes propter incredulitatem illorum. Indubitata fidei tamen constantia retinendum quia quæcumque fidelis perseveransque devotio petierit apud sanctorum memorias, petitionis suæ fructu non esse fraudandam. Quod autem sanctus pontifex Audoenus [6] etiam postquam paradisi sedes adivit [7] multis miraculorum claruit signis, multarum testimonium regionum affirmat. Hoc Gallia loquitur, Hispania prædicat, Aquitania confirmat, Italia non tacet. Quanquam quantum sit hominum vel etiam provinciarum licet multarum testimonium ad veritatis divinæ comprobationem? De se namque Veritas dicit: *Ego testimonium hominum non accipio.* (Joann. v, 34.) Non indiget enim homine teste cui veritas ipsa testis existit, nec alieno fulcitur auxilio qui proprio nititur instrumento. Qua de re de potentia signorum quæ per sanctos gesta narrantur magis veritati [8] quæ per eos operata est et operatur quam hominum assertioni credamus et non cunctemur facta quæ gesta per eos perhibentur, quoniam veritatis sermo non vacillat talia contestantis: *Qui credit in me, opera quæ ego facio faciet, et majora horum faciet.* (Ibid., xiv, 12.) Hæc adversus eos qui de sanctorum virtutibus dubitare videntur, et

[1] gressus *M et cet.* — [2] *forsan legendum* et jam. — [3] *cet.* veritatem. — [4] is *M.* — [5] *vox erasa in A.* — [6] Audoinus *M.* — [7] audivit *M.* — [8] veritatem *codd.*

fidem derogare miraculis quæ per eos apud illorum memorias patrata docentur.

71. Rexit (1) autem beatus pontifex Audoenus [1] Rotomagensem ecclesiam annos tres et quadraginta, menses tres et dies decem. Nonagenarius migravit ad Christum, dominica kalendarum septembrium, qui fuit annus incarnationis Domini DCLXXVII. Ecclesia porro in qua sanctum corpus conditum est miro fertur opere constructa artificibus Gothis ab antiquissimo Hlothario [2] Francorum rege. Flavius episcopus (2) civitatis ejus sedem

[1] Audoinus *M.* — [2] Lothario *M, qui inferius habet* Hlodarii.

(1) Notæ chronologicæ in hoc numero congestæ ita inter se discordant et cum ceteris tam male conveniunt, ut nobis spernendæ omnino videantur; nec illas priori pontificis biographo referendas credimus, sed cuidam scribæ recentioris ætatis qui calculo omnia turbavit. Etenim : 1° Si reponis cum auctore ordinationem S. Audoeni in annum 635 : quadragesimus tertius episcopatus annus non concordat cum anno decimo sexto Theodorici regis neque cum anno 677, sed cum anno 678 qui est annus nonus sive sextus Theodorici. Et quomodo " nonagenarius „ tunc obiisset pontifex, qui natus dicitur anno fere vicesimo Lotharii II, " nempe Christi 604 „ ? 2° Si cum Cointio contendis Audoenum et Eligium ordinatos fuisse anno 643, annus episcopatus Audoeni quadragesimus tertius cadit in annum 686, qui est annus decimus sextus sive tertius Theodorici. Hoc admisso, vix octogenarius obiisset sanctus Audoenus. 3° Quod si cum Bollandianis (vid. comment. de S. Romano) ordinationem assignas anno 646, trium et quadraginta annorum spatium inde computans adduceris in annum 689, et sic non ante Guarathonem vita cessisset Audoenus. Adde quod litteræ dominicales nuspiam conveniunt. Ceteros chronologiæ errores prætermittimus ut pontificatum B. Flavii relatum in annum quingentesimum, licet Clotarius ille " antiquissimus rex „ Neustriæ non præfuerit nisi post 558, nec Suessionibus ante 511. Habes ergo, lector, cur parvi facias chronotaxim auctoris; cujus tamen narrationem in æstimatione habemus. Audoenum in episcopum consecratum dicimus anno 646, et nihilominus annum ejus emortualem statuimus 686, licet episcopatus anni numerentur quadraginta tantum nec dies dominica bene conveniat. Quoad primam harum difficultatum dici forte potest tres annos effluxisse inter electionem et consecrationem beati Audoeni. Verba enim " in anni spatium distulit consecrationem „ (num. 17) ita nobis intelligenda videntur ut per gradus ad sacerdotium ascendere voluerit sive post, sive ante Hispanicam peregrinationem, consumendo ex tribus annis unum ad sacros ordines suscipiendos, duos vero ad ministerium apostolicum exercendum. Ad secundam reponitur hocce modo : anno 686 dies kalendarum septembrium incidebat in feriam secundam; nocte præcedenti vita functus est Audoenus, ita die kalendarum obiisse dici potuit quo tenacius dies emortualis memoriæ inhæreret. — (2) Flavius episcopus ex multis chronographis anno 499 sedem Rotomagensem conscendisse creditur. Hodie apud Rotomagenses cultu publico gaudet, licet nunquam in Breviarium nomen ejus inscriptum fuerit. Est in finibus urbis fons dictus " Fons S. Flavii „ (*la fontaine Saint-Filleul*) qui etiam nunc a multis peregrinantibus invisitur. B. Flavius successorem habuit B. Prætextatum.

tunc gubernabat, Dominicæ incarnationis anno D [1]. In qua præfati regis Hlotharii duæ requiescunt uxores, Aldetrudis atque Bertedrudis, et Dagobertus Sigeberti [2] regis filius, quem Grimoaldus clericum fecit, Hildericus etiam rex, frater Theoderici [3], et uxor illius Bihildis [4] cum filio. Hos sanctus episcopus ibi sepelivit. In loco autem quo primum fuerat sanctus Audoenus tumulatus jacuit tribus annis et sex mensibus.

72. Post hæc placuit antistiti successori suo ut beati corpus in locum transferret editiorem, hoc est ad plagam altaris apostolorum principis orientalem, ut quorum spiritus cœlestis [5] aula consorte gloria continebat, memoriam quoque vicinitas loci non divideret. Itaque, convocata monachorum non minima multitudine atque universo ecclesiæ suæ clero, seu civitatis ipsius et totius provinciæ populo, noctem laudibus et hymnis duxit insomnem. Ubi vero sol aureus novæ lucis radios aperuit et caligine tenebrarum fugata limpidæ lucis serenum terris irradiavit, sanctum corpus a loco quo jacuerat digna cum veneratione levant, et choris psallentibus eo quo fuerat recondendum devehunt. Quod ab omni corruptione tam alienum repertum est quam fuerat ab omni noxiæ [6] pollutionis labe remotum. Virginitatis enim integritatem, quam excoluit vivens, etiam mortua caro confitetur, dum inviolati pudoris sinceritatem incorruptionis integritas commendat. Translatum est autem tertio nonas maii, die Ascensionis Domini (1). Fecit quoque super sepulchrum pontifex prædictus mausoleum, quod argento atque auro gemmisque digne satis decoravit, infra quod lectum composuit quem sanctus Audoenus auro vestiens intus ac foris diligenter exornaverat in honorem perpetuæ virginis genitricis Dei Mariæ. De quo fertur quod eum Hierosolumam disposue-

[1] quingentesimo *T.* — [2] Sigiberti *E.* — [3] Theodorici *M.* — [4] Bilhildis *M.* — [5] cœlis *codd.* — [6] noxeæ *M.*

(1) Ascensionis Dominicæ festum in tertium nonas maii non incidit ab anno 628 ad an. 707. Itaque ex errore translatio refertur simul in hunc festum diem et in annum quartum a sepultura B. Audoeni. Sextuplicem beati pontificis translationem annuatim recolebat ecclesia Rotomagensis et ipsum beati Audoeni cœnobium; in quo die quinta maii legebatur in choro sermo antiquissimus. Vid. Du Moustier, *Neustria sancta* (Biblioth. Nat. Paris., cod. ms. Lat. 10041).

rat perferendum; sed ejus sanctæ devotioni rerum status et temporis eventus obviavit.

73. Non putamus premendum fore silentio miraculum quod die translationis ejus gestum est. Venerabilis episcopus, qui corpus ejus transtulerat (1), subito tertiana typho [1] fatigari vehementissime cœpit, adeo ut, invalescente valitudine, mortis præsentiam pallidus operiretur. Voluit namque illum censura superna majoris incommodi subire laborem quo, majorem cœlestis beneficii gratiam expertus, sancti præsulis meritum eo sublimius cognosceret quo sibi per eum potioris præsidii salutem sentiret indultam. Qui cum inter missarum sollemnia graviter nimis vexaretur et turbatis ministris mortis hora præstolaretur, episcopus sancti Audoeni deplorans auxilium, sudarium quod a capite illius pro reliquiarum munere sustulerat pro medicinæ remedio sibi adhibuit. Quo facto, febris ablata est, et teste populo sanitatis incolumitas restituta. Quo postea sudario per eumdem episcopum morborum vis a pluribus est abstersa et medela collata. Qua miraculi virtute gavisus episcopus, gratias agens, in memoriam sancti Audoeni convivium omnibus qui adfuerant pauperibus magnum parari fecit. Quibus ipse ministrans, servitutis hujus obsequio magis quam corporeis dapibus epulabatur. Quibus etiam solidorum numerum non modicum distribuit. Qui festivitatis gaudio nec non liberali munificentia lætantes, Domino gratias reddidere, sanctique præsulis Audoeni memoriam recolentes, exultantibus animis sollemnia vota celebrant, eo quod ejus gratia præsentis diei lætitiam ducerent cujus benedictione, dum viveret in mundo, tristem paupertatis inopiam relevabant. Imitemur itaque hujus exempla patroni; quam ingressus est viam aspiciamus, justitiam diligamus, misericordiæ operibus invigilemus, ut talibus alarum remigiis ad superna suspensi, cujus festum celebramus in terris, gaudere cum eo mereamur in cœlis [2].

[1] *codd.* tipo. — [2] Explicit vita gloriosi confessoris Audoeni *A*.

(1) Id est S. Ansbertus, de quo supra numm. 46, 65.

INDEX
PROCESSUUM AUTHENTICORUM
BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
QUI ASSERVANTUR
IN BIBLIOTHECA NATIONALI PARISIENSI.

CONFECIT ET EDIDIT

AMEDEUS COMES DE BOURMONT.

Inter rei librariæ thesauros quibus gloriatur Bibliotheca Nationalis Parisiensis, exstat, signata H. 359. A, collectio documentorum ad servorum Dei beatificationem et canonizationem spectantium, quæ Napoleone I imperatore e romano Vaticani archivo Parisios allata, primo recepit archivum imperiale in nobili domo quondam dicta *de Soubize* constitutum. Eadem nescio quo casu, ubi anno 1815 ejus generis cimelia, quæ imperator undique bello parta Parisiis collegerat, suis quæque museis restituta fuerunt (1), ibidem neglecta remanserunt et postea in Bibliothecam nationalem sunt translata, commutatione facta cum instrumentis cœtus cleri Gallicani in eadem bibliotheca servatis.

Quanti pretii hæc sint hagiographicarum rerum studiosis nemo non videt. Continent enim inquisitiones, interrogationes, conclusiones, objectiones, summaria responsa, quibus confecti sunt processus secundum solemnes formulas, quas descripsit Benedictus XIV, a Sacrorum Rituum Congregatione instituti circa heroicas virtutes et miracula multorum venerabilium virorum ac mulierum qui præcipua vitæ sanctitate inter æquales suos emicuere. Ex his quidem non pauca typis impressa in nonnullis bibliothecis reperiuntur, sed et multa sunt manu scripta : inter quæ præcipue notandæ veniunt sententiæ decretoriæ, frequenter a cardinale qui Promotoris vices agebat vel a S. C. Præfecto concinnatæ et singulæ alterutrius subscriptione munitæ. Juvat etiam cardinalium et aliorum insignium virorum qui instrumentis conficiendis interfuerunt sigilla inspicere chartæ impressa et sæpissime subscriptionibus sive manu scriptis sive et ipsis impressis apposita; effigies quoque cælo exsculptas quibus facies ser-

(1) Cfr. de Laborde, *Les Archives de la France*, etc. (Paris, Renouard, 1867), p. 196 sqq.

vorum Dei, monumenta ipsorum cultui dicata, martyrum passiones et alia hujusmodi repræsentantur. Nec minus talium rerum curiosis delectant litteræ coloribus et alio ornatu decoræ et genus illud ornamentorum quæ vulgo appelant *culs-de-lampe;* itemque varietas chartarum quibus singulæ capsæ opertæ sunt atque volumina affabre compacta, tegumentis pergamena aut vitulina pelle vestitis ac multiplici lineamento deaurato conspicuis et plerumque alicujus Romani Pontificis vel Cardinalis scutum gentilicium exhibentibus, nonnulla etiam sericis offendicibus clausa et aliis appendicibus insignia (1). Horum voluminum pauca ex humore vel aliis casibus nonnihil detrimenti passa sunt; unum (117) post nostram recensionem compactoris scalpro læsum.

Asservantur in eadem bibliotheca inter diversas series et alia quædam ejusdem generis documenta; sed hæc non sunt authentica nec proinde tantæ auctoritatis. Itaque eadem hic recensere visum non est, sed solius seriei authenticæ supra indicatæ documenta, nominibus servorum Dei ad quos singula spectant distincta, jam referimus.

(1) Pleraque etiam adhuc tergo affixos exhibent numeros quibus notata fuerant ab archivi romani custode. Qui si adessent omnes, omnino definiri posset antiqua voluminum series; sed et nunc haud exiguas ejus partes restituere licet.

INDEX

COGNOMINUM GENTILICIORUM.

Quinzanis *Stephana de.*

Ranutius *Hieronymus.*
Realini *Bernardinus.*
Redi *Theresia Margarita.*
Regalatus *Petrus.*
Regis *Joannes Franciscus.*
Ribaudengo *Marcus Antonius.*
Ribeira *Joannes de.*
Ricciis *Catharina de.*
Rodriguez *Alphonsus.*
Ronconi *Amatus.*
Rubeis *Joannes Baptista de.*
Rukem *Jacobus.*
Rusbrochius *Joannes.*

Sabaudia *Margarita a.*
Salesius *Franciscus.*
Sanz *Petrus.*
Sarcandri *Joannes.*
Satellico *Maria Crucifixa.*
Saulius *Alexander.*
Scopelli *Joanna.*
Sfortia *Seraphina.*
Socos *Maria de.*
Solanus *Franciscus.*
Solimani *Joanna Maria Baptista.*
Solminiac *Alanus de.*
Spinula *Carolus.*

Tenderini *Joannes Franciscus.*
Terzo *Hieronymus.*
Testa *Felix.*
Thomasia *Catharina.*
Thomasius *Josephus Maria.*
Torres *Antonius de.*
Trona *Joannes Baptista.*
Turrianus *Antonius.*

Urseolus *Petrus.*
Ursina Burghesia *Maria Victoria.*
Ursinus *Adalbertus.*

Val *Dominicus de.*
Valesia *Joanna.*
Valfre *Sebastianus.*
Vanna *Joanna.*
Vannina *Catharina.*
Venimbeni *Franciscus.*
Vernatia *Baptista.*
Villani *Maria.*
Vitelli *Joannes Baptista.*

(Wyszinski) *Casimirus a S. Josepho.*

Ximenez *Franciscus.*

Zagnonis *Pudentiana de.*

INSTRUMENTUM

RECOGNITIONIS SACRARUM RELIQUIARUM

QUÆ ASSERVANTUR ET COLUNTUR

in ecclesia parochiali Sanctæ Amelbergæ

SUESTRÆ IN PAGO DIŒCESIS RUREMUNDANÆ.

Præsens documentum acceptum referimus singulari benevolentiæ Reverendi D^{ni} Gulielmi Hillen parochi ecclesiæ Suestrensis (Susteren). Cumque sanctorum quorumdam ibi ab immemoriali tempore cultorum extra regionem illam vix nomina sint cognita, adeoque facile oblivione tegeretur cultus eorum, instituti nostri esse duximus pretiosum instrumentum publici atque ecclesiastici cultus sanctis viris ac feminis exhibiti Analectis Bollandianis inserere.

In nomine Domini. Amen. — Anno a Nativitate Domini M.D.CCC.LXXXV, pontificatus sanctissimi Domini nostri Leonis Papæ XIII anno octavo, indictione decima tertia, mensis septembris die vigesima octava, nos infra scripti, Michael Willemsen, olim custos SS. Reliquiarum et vicarius ad S. Servatium Traj. ad Mosam, nunc pastor Montis S. Odiliæ, ab illustrissimo ac reverendissimo Domino Joanne Augustino Paredis, episcopo Ruræmundensi, etc., etc. specialiter delegatus, Gulielmus Hillen, pastor ecclesiæ Susterensis, Jacobus Augustinus de Rijk, professor in seminario diœcesano Harlemensi, testes ab eodem illustrissimo et reverendissimo episcopo specialiter designati ad visitandas ac recognoscendas, secundum præscriptum sacrosancti concilii Tridentini, sacras Reliquias, quæ in ecclesia quondam collegiata sancti Salvatoris, nunc parochiali sanctæ Amelbergæ Virginis in Susteren a multis retro seculis asservantur, hisce

attestamur nos debite recognovisse reliquias Sanctorum quæ hic sequuntur.

In ipsa ecclesia asservantur :

S. Amelbergæ, virginis et abbatissæ : 1° ossa insignia in feretro ligneo, laminis argenteis cœlatis perpulchre ornato et in choro honorifice exposito; 2° vertebra dorsalis in capsa pectorali vitro clausa. — Item S. Sanderboldi caput sericis involutum, expositum in altari majori. — Item S. Odegundis caput sericis involutum, expositum in altari majori. — Item S. Gregorii episcopi Ultrajectensis et confessoris : 1° ossa magna sub capsa pectorali in choro exposita; 2° ossa minora, servata ut præcedentia. — Item S. Albrici episcopi Ultrajectensis et confessoris ossa magna et minora cum parte, ut videtur, tunicæ ejusdem S. Albrici, servata sub capsa pectorali in choro exposita. — Item S. Benedictæ virginis et abbatissæ ossa majora et minora et linteo involuta pretioso cum figuris acu pictis, servata in cistula in altari laterali exposita. — Item S. Cæciliæ virginis et abbatissæ ossa diversa sericis involuta et servata in pulcherrima fiscella una cum reliquiis S. Walburgis et aliis reliquiis de pluribus sanctis in cistula in altari laterali exposita. — Item S. Gregorii episcopi Ultrajectensis et confessoris magna pars capitis servata in cistula in altari laterali exposita.

In thesauraria, vulgo *Heiligdomskamer* dicta, asservantur :

S. Gregorii episcopi Ultrajectensis et confessoris altera magna pars capitis, sericis pretiosis in modum imaginis pectoralis consutis et expletis involuta. — Item S. Albrici episcopi Ultrajectensis et confessoris caput integrum, sericis pretiosis in modum imaginis pectoralis consutis et expletis involutum. — Item S. Benedictæ virginis et abbatissæ caput integrum sericis pretiosis in modum imaginis pectoralis consutis et expletis involutum. — Item S. Cæciliæ virginis et abbatissæ caput integrum sericis pretiosis in modum imaginis pectoralis consutis et expletis involutum.

Memoratas autem reliquias, sericis vel linteis debite involutas et colligatas, sigillo illustrissimi ac reverendissimi Domini episcopi Ruræmundensis præfati ceræ hispanicæ

impresso, de ejusdem Domini mandato, provisorie munivimus, ut opportuno tempore decentius includantur. Insuper varia involucra pretiosa quibus nonnullæ ex prædictis reliquiis includebantur collegimus et linteis involuta sigillo munivimus eodem modo ut supra.

Acta sunt hæc in ædibus parochialibus ecclesiæ S. Amelbergæ Sustrensis, anno pontificatus et indictione prædictis, adhibitis etiam testibus reverendo admodum Domino G. W. van Heukelum, parocho in Jutphaus, archidiœcesis Ultrajectensis, et reverendo Domino F. A. Cremers vicario in Susteren.

Sigillum Episcopi.

M. Willemsen. G. H. Hillen. J. A. de Rijk

ut prædictæ reliquiæ publice honorentur

† J. A. Paredis Ep. Ruremundensis.

VITA INEDITA

S. MELORI MARTYRIS

IN BRITANNIA MINORI

AB ANONYMO SUPPARI, UT VIDETUR, CONSCRIPTA.

PRODIT CURA ET OPERA

R. P. DOMNI FRANCISCI PLAINE O. S. B.

Melorus, alias Melorius vel Melarius, præcipuus flos martyrum Armoricanorum, hanc provinciam natale solum habuit, in ea vixit, in ea circa annorum quindecim ætatem crudeliter trucidatus est jussu impii avunculi, ineunte seculo VIII. Sed quum, furente infestatione Normannica, sacra martyris ossa ad varia loca translata fuerint necnon et in Angliam, quo simul asportatum est aliquod apographum Vitæ ejus, ista Vita fuit illic interpolata et infeliciter deturpata. Etenim, resectis ex industria, ut videtur, pluribus personarum et locorum nominibus (v. gr. Corentini episcopi, Commori et Judoci Domnonensium comitum), ex quibus dignoscebatur vera sancti patria, retentum fuit quidquid poterat esse commune Britanniæ utrique tum insulari tum Armoricanæ. Unde postea Melorus tanquam sanctus Angliæ nativus et proprius habitus est; et ut talis recensetur ab hagiographis Anglis Joanne Tinemuthensi, Capgravio et aliis; et, quod gravius est, istorum auctoritate in eumdem errorem incurrerunt magni nominis scriptores et ipse Bollandus, qui S. Melori Vitam adulteratam in sua Collectione admisit (1).

Quæ quum ita sint, operæ pretium est, e tenebris bibliothecarum eruere eam Vitam S. Melori quæ antecellit omnes sive liturgicorum sive aliorum librorum qui de eo agunt narrationes, quæque præstat illi etiam quam hagiographus Victor De Buck, agens de S. Meliavo, patre S. Melori (2), vocavit " Acta meliora " : meliora scilicet quam quæ Bollando nota erant. Hæc " Acta meliora " a se reperta ediderat anno 1620 Augustus du Pas (3) in Historia genealogica Britanniæ Armoricanæ et rursus edidit anno 1742 Moricius (4), resectis quibusdam quæ inutilia videbantur. Nos hic textum edemus qui hæc omnia longe superat, et ita disertum ut coram eo evanescant omnes interpolationes a Capgravio et aliis vulgatæ. Apographum

(1) *Act. SS.*, tom. I Jan., p. 136 sqq. — (2) Tom. XI Oct., p. 943. — (3) Ibid. — (4) Ibid.

est Parisiense Meldis acceptum, nunc Bibliothecæ Nationalis inter codices latinos n. 13789 (1).

Quoniam tamen lacuna est in hoc apographo, cogimur initium narrationis supplere ex Legendariis Armoricanis, Anglis et Meldensibus inter se collatis et quoad summam rerum concordantibus. Prologus, si quis erat, suppleri non potest.

Scriptio quam edimus, quamvis anonyma et brevis, non est solummodo legenda liturgica, sed narratio quædam litteraria, concinnata ab auctore in litteris sacris et profanis sat versato. Is, probabiliter Armoricanus, non videtur valde remotus a S. Melori ævo : vixit enim ante tempora Nomenoii, siquidem ex una parte scribebat dum corpus sancti martyris adhuc capiti unitum servabatur in loco sepulturæ, dum contra anno 849 jam aliqua pars ejusdem corporis concessa fuerat monachis Rotonensibus (2).

Ad calcem dabimus unum ex veteribus hymnis liturgicis in honorem S. Melori compositis; qui non solum compendiose et fideliter continet omnem fere vitam sancti martyris, sed alludit etiam ad duplex miraculum de quo tacet anonymus ; et simul refert, tacente iterum anonymo, testimonia venerationis quibus rex quidam Francorum, Childebertus nomine, Melorum est prosecutus ; quæ res ad determinandam chronotaxim S. Melori multum inservire potest. Nam, ut patet, rex ille Childebertus, tertius est hujus nominis, qui ab anno 695 ad annum 711 regnavit ; ac proinde Melorus ipse paulo ante annum 710 mortem est passus.

VITA S. MELORI MARTYRIS.

1. Quidam nobilis apud transmarinos [Britannos [1]] exstitit, cui cognomen erat *Lex* vel *Regula ;* vir quidem genere regius, terra, familiis, opibus admodum opulentus. Qui quoniam juxta divinum præceptum leges utrique sexui convenienter aptabat, *Lex* vel *Regula* nominabatur (3). Is post desolationem Frixonum et Corsoldi ducis, nostram adiens [2] desertam Cornugalliam, [parata [3]] classe mare cum maximo apparatu transmisit, regnum accepit, habitavit, excoluit. Post cujus decessum Daniel filius ejus regnum tenuit ; cui successit filius Budic ; huic vero duo exstitere filii, Meliavus videlicet et Rivodius [4]. Meliavus fuit animo mansuetus, fide catholicus, ab omnique probitate morum conspicuus. Et accepit Meliavus uxorem nomine Aurillam de genere Britannorum, de patria quæ vocatur Domnonia, filiam scilicet Judoci comitis egregii (4), ex qua primo sui ducatus anno B. Melo-

[1] *deest hæc vox.* — [2] audiens *in lectionariorum apographis, sed erronee.* — [3] *deest in apogr.* — [4] Rinoltus *in apogr. Meldens. et Anglic.*

(1) Delisle, *Inventaire des mss. de Saint-Germain-des-Prés, conservés à la Bibliothèque nationale, sous les numéros 11504-14231 du fonds latin* (1868). — (2) De Courson, *Cartulaire de l'abbaye de Redon*, p. 47. — (3) Britannice *Jawn* vel Joannes, ut in aliquot apographis. — (4) Iste comes Domnonicus ducatum tenuisse nequit nisi post S. Judicaëlem seu post an. 640.

rum suscepit. Tenuit Meliavus ducatum septem annis; et infra eorumdem annorum spatia, nec pluviæ gutta in ipso regno defluxit, nec terram nix infecit, nec tellus inde proferre copiosissime fructus desiit; sed ros diutinus quadam temperie terram temperabat ut æstus caloribus non æstuaretur, verum plus solito quam in circumadjacentibus regionibus fecundaretur. Qui [Meliavus [1]] dum post patrem septem annorum curricula in regno peregisset, a fratre suo Rivodio in quodam colloquio invidiæ causa perimitur; ac sic malitia remanentium promeruit ut ille qui prodesse patriæ poterat, festine subtraheretur; ipse autem, si quodlibet commisit, per agonem martyrii purgaretur. Miracula autem ac virtutum insignia, quæ per eum Dominus operatur, patefaciunt cujus meriti vir iste exstiterit (1), etsi huic operi minime inserenda curavi.

2. Rivodius bonis omnibus exsecrandus regnum invasit ac tenuit. Qui cum se pæne cunctis exosum videret, cupiditate illectus, timens ne regno pro enormitate sceleris privaretur, unicum germani filium, Melorum nomine, jubet quærere et inventum ad se adducere. Sanctus igitur Melorus, B. Meliavi martyris filius, a Rivodio comite quæsitus reperitur, necandusque septennis curiæ præsentatur. Quem cum milites membris elegantem, serenisque obtutibus omnibus arridentem ac paternos vultus vultu exprimentem conspicerent, non passi sunt in tam exiguæ ætatis parvulum tam grande facinus perpetrare dominum suum : sed tandem vix sancto puero sola vita conceditur : nam manus dextra pesque sinister abscinduntur [ut numquam paterni juris ducatum quærere posset [1]]. Pius tamen famulorum affectus erga genitorem [Meliavum [1]] coegit filium diligere, ac ei remedium quærere, atque manum argenteam et pedem æneum ipsi fabricare. O divina virtus, quæ omnia quæcumque vis, facis : nam miro modo manu metallica ac pede æneo [utebatur [1]], siquidem quotidie crescebat manus argentea nec minus etiam pes æneus, quemadmodum solent in reliquis pueris naturalia carnis membra excrescere, quibus operari potuit et proficisci. Hoc miraculum cunctis Britanniæ optimatibus notum exstitit et populis, qui obstupescebant novitate miraculi et admiratione exultationis. Quod audiens B. Corentini summus minister (2) eum in finibus regionis suæ in cœnobio...[2] Qui ab eo nutritus et in ecclesia aliquantisper commoratus, nulli vita ac scientia moribusque exstitit secundus. Hic de virtute in virtutem proficiendo septem annis commoratur [3].

4. Cum beatissimus Melorus digne Deo laudabiliter serviens in ipsis puerilibus annis a nutritore suo, Cerialtano nomine, nutriretur, fecit per eum omnipotens Deus mirabile signum, quod silentio præterire indignum videtur. Quodam

[1] *deest in apogr.* — [2] *supple* educavit, *vel quid simile.* — [3] *Hucusque ex lectionar.; sequentia ex apogr. Parisiensi Vitæ S. Melori.*

(1) Colitur die 25 Octobr.; vide *Act. SS.*, tom. XI Octobr., p. 941-943. — (2) Agitur de vicario temporali episcopi Corisopitani, siquidem alibi vocatur *procurator pontificalis;* vid. Morice, *Preuves*, tom. I, col. 224.

enim æstivali tempore, sicut naturale est arboribus frugiferis quæque poma producere et maturescere, die quadam solemni, meridianis horis, collegit se familia nutritoris B. Melori et, exiens in sylvam per commoda loca, detulit secum multiplices nuces, edulio habiles; et fecit unusquisque massam suam de nucibus et præsentavit eas innocenti puerulo, quasi domino suo. Qui lætissimo et hilari vultu suscipiens nuces sibi deportatas, et pie eas colligens argentea manu, et mirum in modum cœpit manus illa argentea quasi reflexam habere carnem et (mirabile dictu) cœpit manum extendere et recludere quasi nativam ex ossibus, nervis, venis atque sanguine compactam pollere. Tunc vero, sicut relatum a veteranis comperimus, non modicam partem de sibi delatis nucibus, jactavit eas per apertum veretri foramen seu ostii repagulum. Quod multi videntes, quidam ridere seu flere cœperunt, quorum mens erat insana; plurimi vero convenientes et exultantes præ gaudio, immodica non cessabant Domino Jesu referre præconia, qui tam mirabiliter operari videbatur in suo parvulo, subrogando sibi postmodum martyre glorioso.

5. Nec etiam reticere debet lingua nostra quod non longe post in sua egit infantia. Cœpit namque in se mirari virtutes omnipotentis Dei, qui prope est omnibus invocantibus eum in veritate, considerans in seipso præfatum ejus miraculum. Postea vero, fixis in oratione genibus diu longeque perorans, cum præsentaneam adesse sibi divinam sensisset clementiam, accepta puerilitatis framea, quæ vulgo vocatur petraria, avolare eam fecit quasi stadio dimidio aut eo amplius, infixitque eam supra petram durissimam, quasi super ceram mollissimam. Subsequenti vero ictu jaculantis dexteræ cum retraxisset petrariam de durissima silice, virtute divina de saxo egressæ sunt aquæ largissimæ et usque in hodiernum diem fons vivus a loco illo (1) cernitur ebullire et ipsius terræ amplitudinem discursibus necessariis non cessat irrigare.

(1) Iste locus videtur idem esse ac Plebs Melori *(Meillars)* prope Pontem Crucis et Douarnenesiam in finibus Cornubiæ.

6. Hoc vero miraculo deificæ virtutis ope perpetrato, cœpit crescere ejus sancta opinio. Et exiens fama ejus et de die in diem, sicut ipse in timore Dei crescebat, crescens, Rivodii aures patrui ejus sæpissime pulsabat. Unde tactus dolore et præcavens ne in futurum paternus ei honor redderetur, vocavit Cerialtanum, nutritorem ejus, et collocutus est cum eo, dixitque ei : *Si alumnum tuum occidere volueris, ditabo te muneribus magnis, tam in diversorum pecorum multitudine quam in terris, et dabo quidquid de fastigio montis Coci* (1) *videre potueris.* Cerialtanus autem domum rediens, narravit uxori suæ quot et quanta sibi Rivodius promisisset, si alumnum suum occidere vellet. Illa vero dixit : *Vade, et prout tibi competentius videbitur, pactum hujus rei confirma.* Ille de domo sua exiens et pactum iniquitatis cum Rivodio confirmare *, mansit cum eo continua hebdomada. Nutrix vero ** adde* volens. Melori, verita ne innocens a nocentibus occideretur, interim dum conjux ejus apud Rivodium moratur, de Cornubia in Domnoniam cum alumno suo fugit, ubi ejus amita, filia Budici, cum Commoro comite, viro suo, morabatur in pago Castelli (2) quod *Bocciduus* appellatur. In adventu vero illius Commorus comes et uxor ejus cum omni familia valde lætati sunt; et congratulans adventui ejus Commorus comes, dixit ei : *Castellum istud in quo nunc habito tibi dabo; et, donec ad maturam pervenias ætatem, cum diligentia magna nutriri te faciam.*

7. Percrebuit fama et ad multorum pervenit notitiam quod beatissimus Melorus de Cornubia in Domnoniam fugisset cum nutrice sua. Quod Rivodius audiens, tristis immodice factus est, semper sibi in posterum timens. Iterum Cerialtanum accersivit et, munerum suorum promissiones replicans, de B. Melori interfectione admonebat, dicens : *Surge et velocius alumnum tuum prosequere et eum morti tradere ne cuncteris; et, eo occiso, quæcumque promisi sine cuncta-*

(1) *Mont Cuti*, ut opinatur Albertus; sed iste mons nobis ignotus, nisi sit *le Menehom* prope Corisopitum. — (2) Pagus Castelli complectebatur castrum hodiernum de Lannion et circumvicina loca, sed quale sit istud castrum Bocciduum ignoratur.

tione dabo. Fuit autem ista inter istos perversos iniquitatis conventio, ut Cerialtanus caput innocentis abscinderet et abscissum Rivodio, ejus tyrannidem sitienti, deferret; et sic promissa pro mercede iniquitatis exigeret seu reciperet. Vale igitur Rivodio faciens et iter suum accelerans, cum Justano filio suo in Domnoniam venit et B. Melorum cum nutrice sua in prædicto castello commorantem invenit.

8. Videns autem beatus Melorus nutritorem suum, et quasi alterum patrem diligens et filium ejus quasi alterum fratrem amplectens, gavisus est coram eis gaudio magno. Voluit autem memoratus puer in prima nocte adventus eorum, se omnino ut intimis suis committens et nihil de eis sinistrum sentiens, ex miro simplicitatis amore cum eis in uno lectulo quiescere. Sed nutrix ejus, eorum perversitatem metuens, ex multis indiciis quæ ventura erant conjiciens, eum prima et secunda nocte, vellet nollet, secum retinuit ac ei ne cum ipsis quiesceret omnino interdicit. In tertia vero nimiis et importunis precibus pius puer, nimiæ simplicitati deditus et eos immoderatius diligens, exorabat ut ei licentiam daret et cum eis ea nocte dormire permitteret. Nutrix autem ejus eum complexa et affectuose deosculans, ait eum benedicens : *Vade, virtuti sanctæ et individuæ Trinitatis commendo te; et quod beneplacitum Deo omnipotenti faciat de te.* Cum autem tempus quiescendi appropinquasset, devenit pius et innocens puer inter illos, patrem scilicet et filium quiescere; sed, quia Spiritus sanctus omnino deerat (eis), hi, cum omnes oppressos somno cognoscerent, insurgentes in eum quasi in agnum non repugnantem nec recalcitrantem, in silentio noctis eum jugulaverunt, et caput abscindentes et secum deferentes abscesserunt.

9. Cum vero Justanus caput sanctissimi martyris (deferret) et de castello per murum furtim egredi properaret, justo judicio Dei id permittente, de castelli muro cecidit et, fractis cervicibus, subitanea ut dignum erat morte præventus, expiravit. Et hoc miraculum in ultionem innocentis martyris omnipotens Deus primo post mortem ejus exercuit. Patrato super innocente puero tam crudeli martyrio, Cerialtanus pro

filii sui subitanea morte tristis immodice factus, sed pro commisso scelere diutius ibi immorari securum minime judicans, pretiosi martyris caput arripiens, quanto velocius potuit ab eodem castro longius recessit. Cum vero ad locum qui *Curia monialium* (1) dicitur pervenisset, tam corporis lassitudine quam pravæ conscientiæ tædio deficiens, et pene præ nimia siti moriens, sibi ipsi condolendo loquebatur, dicens : *Væ mihi, omnium miserrimo hominum et pro iniquitate commissa dignam mercedem accipienti; qui post condignam filii mortem nunc corporis lassitudine et sitis ardore deficio.* Cum autem ita sibi loqueretur et multotiens replicando se miserrimum fateretur, virtute divina purissimi caput pueri in verba humana prorumpens tali eum modo affatur : *Cerialtane, baculum quem propria manu gestas, in terra figere ne moreris, certissime sciens quod ex fossa, quam in terra baculo facies, fons aquæ viventis protinus orietur, ex quo reficieris, ut imminentem sitis mortem possis evadere.* Audiens autem Cerialtanus defuncti caput hominis profari more viventis, et tam insolito, tam mirabili, tam terribili miraculo stupefactus, quamvis pavitans, quamvis tremulus, pro imminenti tamen sitis necessitate libentissime martyri sancto obediens et baculum quem manu gestabat adnisu quo potuit in terra altius fixit. Cum autem secundum præceptum gloriosi martyris baculum suum in terra fixisset, ut mirificatum martyrem in cœlis omnipotens Deus in conspectu omnium mirificaret in terris, protinus baculus ille in pulcherrimam arborem versus, primo radicitus terræ adhæsit, postmodum vero ramos et folia produxit; et, sicut martyr prædixerat, de radice ejus fons miræ pulchritudinis et aquarum abundantium ebullivit qui, SICUT OMNIBUS IBI HABITANTIBUS IN PROMPTU EST, terram illam discursibus necessariis usque in hodiernum diem irrigare non desinit.

10. Ex quo Cerialtanus usque ad satietatem bibens et

(1) Britannice *Lan-Leanou* seu *Keran-Leanou*, id est ecclesia seu locus Monialium quo nomine indicari potest viculus parum distans a castro Carhaix et nuncupatus *Kerlean* seu *Kerleannou* ubi inveniebatur olim prioratus monialium et capella S. Meloro sacra, ut mihi testatus est anno 1878, dominus Le Men tunc custos archivi Corisopitensis nunc jam vita functus.

caput pretiosi martyris secum deferens, venit ad Rivodium et delatum caput ostendit illi. Quo viso Rivodius de ducatu suo valde securior factus, dixit ad Cerialtanum : *Surgens vade, et montis Coci verticem ascende; et, sicut tibi promisi, quascumque villas et quæcumque territoria monti adjacentia de fastigio ejus videre poteris, dabo tibi.* Cerialtanus montem conscendens et circumquaque se posse videre credens, justo Dei judicio primo utroque lumine orbatus, postea vero morte subitanea præventus interiit et caro ejus liquefacta est sicut solet liquefieri (cera) a facie ignis (1).

11. Nuntiatum est autem nobili comiti Commoro et uxori ejus quam dura et quam crudelia erga sanctum Melorum gesta fuerunt. Qui audito tam gravi nuntio, tristes facti vehementer, ut eum sepelirent venerunt. Post multos autem gemitus et dolores, post multas lacrimas, tandem aliquantulum respirantes, quærebant ab invicem ubi sepelirent eum. Et visum est bonum in oculis eorum ut in domo illa in qua martyrisatus fuerat, sepeliretur. Quod opere complentes, die sequenti, divina (ut credimus) id agente virtute, super oram sepulcri inventum est corpus. Postea vero corpus ejus levantes et ad quamdam ecclesiam deferentes, ibi eum sepelierunt. Sed, sicut prima vice evenerat, ita etiam secundo contigit, et iterum super oram sepulcri sui inventus est. Tulerunt ergo eum tertio in locum qui dicitur *Vicus Maioci* (2), et ibi sepelierunt; sed, sicut duabus vicibus ita tertio contigit, et extra sepulcrum inventus est.

12. Territi igitur et de tam mirabili miraculo stupefacti et attoniti, quidnam de pretiosi martyris corpore facerent ab invicem scrutabantur. Post diversas vero diversorum sententias, tandem divino instinctu salutari reperto consilio, in unum concordantes dixerunt : *Mittamus eum super plaustrum unum et tauros duos indomitos ad trahendum subjiciamus; et ubicumque virtus divina illum dirigere voluerit, absque ductore*

(1) In apographis lectionariorum Meldensium Rivodii mors ita narratur : Rivodius cui sanctum caput delatum fuerat, cum de ducatu securum se crederet, tertia die postquam sanctum caput vidit, morte subitanea defunctus est et caro ejus sicut cera quæ fluit a facie ignis liquefacta est. — (2) Britannice et gallice *Guimaëc* prope Morlaix et mare Britannicum.

aliquo solus evadat. Et cum hæc dicerent, factis dicta complentes, tauros indomitos et plaustrum adduxerunt, et pretiosi martyris glebam super illud posuerunt. A quo longius recedentes, divinæ virtutis effectum præstolabantur. Protinus vero plaustrum, tauris trahentibus, a loco in quo pretiosum onus susceperat, motum virtute divina, ducebatur donec in locum quem elegerat venit; ibique plaustrum immobile stetit.

13. Cum autem populis sequentibus non placebat ut in loco in quo steterat remaneret, propius accedentes et tauros ut trahant minis, clamoribus, stimulis concitantes ac (ut in tali opere consuetudo est) manus, brachia et humeros rotis, ut eas volverent, supponentes, sed ita fixum divina virtute plaustrum repererunt ut nulla vi vel virtute hominum, nulla arte vel ingenio ante vel retro aliquatenus moveri posset. Quod cum sæpius attentassent, et virtute eis resistente se in vanum laborare cognoscerent, tunc conversi ad Dominum humili voce clamabant: *Tu, Deus omnipotens, qui facis mirabilia solus, quique hodie tam mirabile spectaculum ostendisti nobis super tumulatione pretiosi martyris tui, fiat voluntas tua.* Postea vero pretiosum corpus, ponderis parvi et pretii magni, deponentes et tumulum cum diligentia componentes, sicut decebat prolem regum generosam, sicut gemmam Dei pretiosam, in loco in quo plaustrum steterat, eum honorifice sepelierunt (1) : ubi omnibus beneficia ejus præstantur affectuose eum quærentibus, USQUE IN HODIERNUM DIEM. Hic cæci illuminantur, claudi eriguntur, ægri pristinæ sanitati restituuntur.

14. Fama vero miraculorum quæ pro martyre suo Dominus operabatur, in Armorico regionis Domnoniæ et Cornubiæ et in patria Gueroci (2) ab omnibus divulgabatur, ut merito de illo in partibus illis a fidelibus diceretur : *Mirabilis Deus in sancto illo, faciens prodigia et signa multa propter*

(1) Auctor de loci nomine tacet, forte quia tunc omnibus notus erat; nunc forsan aliter se res habet. Est ergo iste locus ecclesia parochialis de *Lanmeur* prope Morlaix in diœcesi Corisopitensi. Primitus vocabatur *Lanmeur-Melar*, quod est ecclesia magna S. Melori. — (2) Hic indicatur triplex divisio Britonum in Armorica consistentium, scilicet *la Domnonie, la Cornouaille,* et *le Browerech, ou pays de Vannes.*

eum in terra nostra, pro glorioso infante in castro Bocciduo impiorum manibus martyrisato.

15. Sceleratis hominibus ut dignum erat mortuis et tormentis ut meruerant infernalibus deputatis, gloriosi martyris caput multo tempore in Cornubia fuit; et dum ibi esset, multæ dissensiones, multæ inimicitiæ, multa etiam odia inter utriusque consulatus (1) orta sunt. Tandem utriusque consulatus pontifices, religiosi viri et nobiles terræ statuerunt et jurejurando firmaverunt ut Cornubienses et Domnonienses pariter, peracto triduano jejunio, nudis pedibus sanctum martyris caput et gloriosum corpus ejus in montem *Aray* qui est in confinio utriusque consulatus (2) afferrent et alterum ab altero longe ponerent et utrique populi Dominum in commune deprecarentur ut, si sanctus martyr magis Domnoniam quam Cornubiam diligeret, caput ejus corpus suum miraculose peteret; vel, si Cornubiam magis quam Domnoniam amaret, corpus suum ad caput sine portitore veniret. Et sicut juraverunt, ita utrique populi fecerunt. Cum autem in commune omnes flexis genibus Dominum exorarent, et supplices preces cum Dominica oratione ut voluntatem suam ostenderet Deo funderent, cunctis videntibus sanctum caput de loco in quo positum fuerat, nullo tangente sed divina virtute illud regente, corpus suum petiit et, ut Deo et sancto placuerat, cum eo remansit. Domnigenæ vero non se capientes præ gaudio, multas gratias et triumphales laudes Deo et sancto martyri retulerunt et cum hymnis et laudibus ad locum ubi prius eum tauri traxerant reportaverunt et ut decebat tam gloriosum thesaurum integre cum eo honorifice sepelierunt. Cornubienses vero tristes in terram suam redierunt.

16. Postea vero multi ex utroque consulatu in montem Aray convenerunt et ibi ubi mirabile miraculum contigerat oratorium (3) in honore B. Melori construxerunt. Multi autem

(1) Id est Domnoniæ, ubi erat corpus, et Cornubiæ, ubi caput. — (2) *Montagnes d'Arez.* — (3) Videtur iste locus pertinens ad montem Aray et Cornubiæ Domnoniæque fines esse viculus *Loc-Melard-Sizun* seu ecclesia B. Melori prope Sizun, aut alius quidam vicinus *Lestremelard,* quod est curia treviæ S. Melori.

ex utroque populo misericordiam Domini et auxilium beati martyris petentes, vertente anno pridie idus Maii illuc veniebant et multas preces plurimasque oblationes Deo et sancto martyri offerebant.

17. Hæc autem bona consuetudo tamdiu in terra illa habita est donec heredes loci cujus fundus terræ erat, cupiditate victi, oblationes quæ offerebantur vi rapuerunt; et totum conventum qui ibi convenerat annualiter, turbaverunt. Nec postea ad bonam consuetudinem eum revocare potuerunt. Oratorio vero, quia non frequentabatur, vetusto obruto et ad nihilum redacto, homines qui prædictum miraculum viderant, in loco ubi corpus et in loco ubi caput martyris posita fuerant, sudes fixerunt, ut omnes posteri scirent a quanta distantia caput sanctum corpus suum petierit et quam mirabiliter illud factum fuerit. Sudes (1) vero quæ in loco illo sunt fixæ, usque in hodiernum diem *Sudes* vocantur *S. Melori.*

Pro præfato miraculo in ecclesiis ubi memoria S. Melori agitur, festivitas ejus pridie idus Maii annuatim celebratur.

(*Cetera, si quæ erant, desiderantur.*)

HYMNUS IN LAUDEM S. MELORI.

Deus, tuorum militum
Digne coronans præmium,
Ad Melori præconia
Cor tange, pande labia.

Natus in regum solio
Cucurrit via regia;
Nec a dextris elatio,
Nec a sinistris vitia.

Nescit labem virginitas,
Vel rugam conscientia,
Cui columbæ simplicitas
Cum serpentis astutia.

Piæ mentis nobilitas
Genus transcendit nobile,
Et mira morum gravitas
Cor solidavit fragile.

(1) Hodie non comparent.

Visus, mens, sensus, ratio
Stupent de Christi munere,
Cum metalli reflexio
Supplet ad opus dexteræ.

Quam insigne miraculum,
Quam cunctis prædicabile,
Quam jucundum spectaculum,
Quam visu delectabile!

Christe, sub tui militis
Militantes custodia
Fac ejus meritis
Securos inter prœlia.

Puer jactu Petrariæ
De petra potum edidit
Nec tam siti quam patriæ
Fontem perennem condidit.

Refulsit cæli claritas
Ad insontis martyrium,
Dum claræ mentis puritas
Lucis adiret gaudium.

Virtus abscissi capitis
Oranti sitim abstulit;
Visibus tamen vetitis
Iniqui mortem intulit.

Cum tot sepulchra fierent,
Nullo teneri poterat,
Donec hunc tauri traherent
Ad locum quem elegerat.

Tunc martyr votum virginis
Servavit a flagitio;
Reum concepti criminis
Divina fregit ultio.

Hildebertus, rex Franciæ,
Tot auditis virtutibus,
Locum auxit memoriæ
Melori donis pluribus.

Laxemus fibras cordium,
Trino canentes gloriam,
Qui redditurus præmium
Prius largitur gratiam. Amen.

VITA S. ROMANI

PRESBYTERI ET CONFESSORIS

apud Castrum Blaviæ (1) quiescentis.

Quam sancti Romani confessoris Vitam suppeditat nobis codex bibliothecæ regiæ Bruxellensis nº 8550-8551 (2), seculo x scriptus, eam lectoribus nostris communicare operæ pretium esse duximus. Antiquitatem enim haud spernendam præ se ferre videtur textus ille, barbarum quidem sæpe sermonem, sed firmum et sobrium redolens : quem propterea visum est fideli calamo describere, ne correctis quidem multis mendis quæ passim in hoc obviam erunt legenti. Insuper, ut comparanti patebit, narratio hæc eadem refert (præcipue in fine num. 15 et ultimi) quæ de sancto Romano asserit Gregorius Turonensis (3); quæque ipse *ex scriptis Vitæ ejus* edoctum se esse profitetur. Unde pronum satis est ut concludamus textum codicis nostri vel hæcce ipsa Vitæ scripta nobis præbere, vel saltem narrationem horum scriptorum ope non ita tardius compositam ; quod ultimum probabilius nobis videtur, præcipue ex his quæ num. 3 leguntur : *Jam perveniamus ut viri beati virtutes præclaras et admiranda miracula, quæ olim omissa, vel neglegentia scriptorum fuerant derelicta,.... pauca e pluribus in medio proferamus.* At non libet quæstionem hanc ulterius heic discutere ; quæ relinquatur integra, solvendaque in ipsis *Actis Sanctorum* ad diem 24 novembris, proprium sancti Romani diem natalem.

(1) Non *Ineine*, ut legitur in *Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde*, tom. II (1877), p. 252, perperam scilicet ex codice descriptis vocibus *in fine* quas exhibet clausula tituli *(Incipit...)* qui Vitæ præmissus est (cfr. pag. seq.). — (2) V. *Catal. codd. hagiographic. bibl. reg. Bruxell.*, Part. I, tom. II, p. 217, 10º. — (3) Lib. *De glor. confess.*, cap. XLVI (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 863) : *Habetur in hoc territorio et sanctus Romanus presbyter, quem, ut scripta Vitæ ejus edocent, Martinus noster sepulturæ locavit. Est autem sepulcrum ejus contiguum Blaviensi castello super littus amnis Garonnæ, in quo sæpius naufragio perituros virtutis suæ salvat occursu, proclamantes inter fluctus torrentis undosi : Miserere nostri, sancte Romane confessor Dei. Sed mox sedata tempestate, optato littore potiuntur. Nec fas est tamen ullum perire naufragio, qui ejus basilicam amnis de medio contemplari meruerit.*

Incipit vita sanctissimi Romani confessoris Castro Blaviæ (1), qui a beato Martino Turonensi presbyter ordinatus ac in fine sepultus est.

1. Igitur sanctissimi viri Romani, monachi atque sacerdotis, vitam Spiritu sancto annuente studio quo valeo scribere adgrediar. Sanctus etenim vir venerabilis vitæ Romanus, monachus atque sacerdos, provinciæ Affricæ oriundus fuit. A cunabulis vero sacris a Deo est electus, bonis studiis enutritus, litterarum sanctarum ab indolis adolescentiæ doctus, moribus institutus sanctis, juste et pudice vivens, norma regularis vitæ; concupierat animus tamen ejus cultui divino* mancipatus vitam derere cupiens. In monasterio cujusdam venerandi patris adfugiens, aridam quærens vitam artamque secutus est viam. Inter catervas fratrum sanctam degens vitam, ibique ab omnibus dilectus, aptus homini dilectione habebatur. Multa circa ipsum benignitas, multa caritas, patientia supra modum. Nec mirum quia vas electionis efficitur Creatoris. Juste laude dignus est prædicandus. Spiritus enim sanctus ubi vult spirat. Vas igitur quem possidet, potenti* virtute defendit et protegit. Mentem regit, corda purificat, spem lenit, et ab omni labefactione peccati custodit.

* *supra lin. pro* non *deleto in textu.*

* *ita corr., prius* potentes.

2. Beatus vero Romanus cum ad perfectam legitimamque ætatem, nec multum postea electus a fratribus, que felicibus actibus ejus videbant, et dignum eum fore credentibus, conamtes illum arcius constringi ut minister efficeretur Christi, officium diaconii imponere temptaverunt. Jam vero cultui divino mancipatus, sic sibi scalida membra circum devinxerat, ut incentivæ carnis aculeis superaret : quasi catenarum compage nexibus obligatus, seseque cotidianis cruciatibus coortabat. Erat enim pernox in vigiliis, in orationibus promptissimus, in laboribus fortis, in jejuniis strenuus, in elemosinis largus. Fratrum vero refectio ad vesperum parabatur, ille vero ebdomadis curriculo peracto percipiebat

(1) Castrum Blaviæ est hodierna civitas nomine Blaye, sex circiter leucas a Burdigala distans, septentrionem versus.

cibum. Particulam vero quam ad reficiendum animam dies singulos accipiebat, clam pauperibus erogabat. Non immemor evangelici dominici ubi dicit : “ Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua „ et alibi : “ Quamdiu fecistis uni ex minimis istis mihi fecistis. „

3. Utquid verborum corpus inmomor *, ne fastidium legentibus ingeram? Qualem se quantumque præstiterit non est nostræ facultatis evolvere. Jam perveniamus ut viri beati virtutes præclaras et admiranda miracula, quæ olim omissa, vel neglegentia scriptorum fuerant derelicta. Remotis * quoque miraculorum corpus, pauca e pluribus in medio proferamus.

* *prius* inmemor.

* *prius* remotus.

4. Una autem sabbatorum cum pro quadam necessitudine ad foris monasterii vir beatus fuisset egressus, mox etenim cæcum quemdam familiari eum pauperem penuria famis obpressum sedule devotione alimoniam postulantem invenit. Tunc vir Dei pietate solita ductus, cæcitatem illius aspiciens ejusque condolens passioni, sensitque per spiritum Domini adesse virtutem; invocatoque Christi nomine intrepide confisus signum crucis obponit et ut videndi usum reciperet oleo sancto liquoris infudit. Statim cælitus divina virtute elapsa, cæcus obtentu oculorum, palpebris abruptis cruentatisque oculis, vetusta cæcitate abjecta, lumen novum quod olim amiserat incolumis recepit. Tunc vir Dei duobus ex parte angebatur angustiis : unum videlicet, ut ab hominibus laudem non haberet vitare cupiebat; alteram vero, ne virtute divina infirmantibus fraudaretur, verebat valde. Tunc deinde clam pauperibus abire permisit obnixeque ei præcepit dicens, ut nulli umquam fateretur quod ejus interventu divinam virtutem sensisset. At ille ejus præceptionem parvi pendens concito cursu perrexit per universam provinciam, clamore quo poterat Dei virtutem, quam per beatum virum perceperat novi miraculi magnitudinem populis publice prædicabat. Celeberrimumque hoc fuit omnibus circumquaque provinciis. Proinde universa infirmantium multitudo conglobati in unum ad eum jugiter confluebant, sedule exorantes ut ejus meritis vel obtentu reciperent sanitatem.

* *cod.* ad adliud.

5. Veniamus autem ad aliud * magni miraculi sacramentum, ut audientibus sit ad profectum et legentibus sit ad mirandum. Quadam autem nocte dum defessa corpusculi membra sancti viri, substrata in pavimentum vilia stramenta, paulisper quiescerent, vox de cælo allata est dicens : *Serve meus bone et fidelis, surge velociter a loco in quo quiescis, et egredere de hac terra in qua habitas, properabisque triremum, transfretabis mare. Flante vento prospera navigatione venies ad urbem Burdegalensium civitate et percunctabis locum castri cujus vocabulum est Blavæ. Ibique invenies fanum, idoli dæmonum dedicatum, quem aucdacter in frustra dirues et in nihilum rediges, et ædificabis ibidem templum Domini dedicatum. Ego vero vocabo servum meum fidelem et sacerdotem tui similem, qui auxiliabitur tibi et in manu forti et brachio extento ero adjutor vester. Protegam vos jugiter ut abjiciatis a loco idoli legiones dæmonum seu omnibus fincmenta præstantibus et multorum animas in tartara secum trahentibus.* Tunc vir Dei somno excitatus visionem quam viderat infra pectoris suis claustra tacitus considerabat, tactus videlicet dolore cordis intrinsecus, quid vel ageret, quid ultra cogitaret diu multumque hebetatus anxius anhelabat. Confortatus quae denuo sursum ad cælum corda suspendens Dei auxilium flagitabat, totum se Domini arbitrio potestatique committens. Post hae igitur cœpto itinere, divina miseratione præeunte ad litus maris pervenit. Navemque inventam concitus ascendit, prospera navigatione peracta ad portum Narbonensium civitatis. Ibique aliquantisper moratus est. Sed quia civitas supra montem posita non potest abscondi neque accendatur lucerna ut ponatur sub modio sed supra candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt ; ita et vir beatus hic diu se latere non potuit, quia ejus habitator sancti Spiritus, qui illius præsidebat corpori mentemque regebat, ipse dux itineris, ipse quo tenderet, cuncta quæ ageret ostendebat. Inspiciebat vir sanctus vocem Domini dicentis : " Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris ". Divulgabatur etenim ejus sancta opinio per universas partes regionis illius in tantum ut frequentantium multitudinem

ferre non posset; ita ut ex vicinis regionibus multi ad eum confluentes ut sanitatem reciperent præstolabantur, statimque imposita manu singulis, ab infirmitate qua tenebantur salutem pristinam restituti, incolumes abire permittebat. Nam cum in eadem civitate pauci * temporis * spatium constitisset, quam perferendum miraculum ibidem virtus divina per virum Dei sit operata, quantum facultas ingenii valuerit, verbis explicare conabo.

6. Eodem autem tempore in eadem Narbonensium urbe erat quædam vidua *, quæ adolescentem parvulum habebat filium, qui quondam patre mortuo matri unicæ fuerat reservatus. Nam dum postea et ipse puerulus nobilitatis genere fuisset exortus, præfectoriæ dignitatis officia regia potestate consecutus et dum per pauci curriculi tempus ministerium sibi commissum alacriter ageret, quadam die febre correptus concitus pervenit ad mortem, spiritum exalante animam reddidit * Creatori. Tunc mater extincti pueri orbata a filio, mox cum lugubri lamentatione concita ad virum Dei cucurrit, cum ejulatu magno in terram ruit, genua beati viri exosculando, deprecabatur dicens : *O vir beate, age in me, unice infelice mulieri, nunc hoc quod pluribus es collatus pietate solita : quæ aliis * non denegas, mihi non deneges. Remansi orbata atque desolata, amisi filium quem unicae diligebam; præmisi mortuum quem vivere cupiebam. Heu, heu, quid ultra faciam, nescio vetula? Quid primum lugeam, quid etiam deinceps primum plangam ignoro? Conjugem quondam præmisso aut filium nuper amissum? O vir sancte, commoveantur viscera pietatis tuæ et afflictæ mentis contionis meæ pia miseratione consola. Ora enim obnixæ ad Deum, ut reddat unicum filium meum et impleat desiderium meum.* Tunc vir Dei pietate plenus, importunitatem mulieris non ferens, condolens dolori ejus, in lacrymis commotus, ad locum in quo corpus pueri exanimis jacebat, pervenit fremens infra * semetipsum, ceteris abire permissis. Tunc fessa corporis membra quæ sæpe devinxerat humo prosternitur, genua debilia, quæ camelorum more calli duritiam superpositam orandi usum habebant, præscius in terram figit, membra mortui pueri

au
* *cod.* puci.
* *prius* tempores.

* *prius* viduam.

* *prius* redididit.

* *prius* alii; *man. post.* aliis.

* fra *supra lin.*

palpatu * dignissimo tangens, diutius orabat dicens: *O misericors et miserator Domine omnium, qui animam tuam pro ovibus posuisti et animam errantem tuis humeris imposuisti, ut ad caulas ovium tuarum reduceres misericorditer revocasti; qui Lazarum quatriduanum a monumento fœtidum disruptisque institis a mortuis suscitasti, et Marthæ et Mariæ lacrymas inspexisti; ita Domine et huic viduæ lamenta pia miseratione conspice, et clamorem ejus benignus exaudi, et ad laudem vel gloriam nominis tui revoca animam pueri hujus in hoc corpusculo, ut omnes videntes magnalia tua, benedicant mirabiliter nomen gloriæ tuæ per infinita secula seculorum. Amen.* Tunc paulatim ceperunt rigida membra adolescentis agitare, facies palida roseo colore rubescere, palpebræ paulatim palpitare, oculi tenebrarum caligine obcæcati acies videndi * quam olim amiserant receperunt. Tunc puer adolescens quasi a somno excitatus excitare cœpit paulisper, quid ei accidisset ignorabat. Mox etenim sub momento temporis surgentes pariter, et * sanctus de oratione, puer de morte. Mater vero pueri ut vidit venientem quem mortuum reliquerat filium, quasi exanimis riguit, hærens humi, ubi consederat loco. At vero lassabunda ex mæstitudine *, quasi de somno evigilans, surgens tamen mœrorem vertit in gaudium: tristitia vero mutatur in lætitia: familia exultant præ gaudio. Occurrit turbæ audientes novum miraculum, exultantes pariter et dantes gloriam Deo, qui fecit magnalia in Egypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro. Hujus igitur miraculi magnitudinem circa quasque provincias cuncti audientes, confluebant jugiter ad virum Dei infirmantium multitudo, ut curarentur a diversis languoribus qua tenebantur obnoxii.

7. Per idem fere tempus cum in eadem Narbonensium urbe aliquandiu vir beatissimus moraretur, præcedebat enim cotidie venerabilem virum fama laudabilis. Audito scilicet pueri resuscitati * miraculo, concurrebat undique diversa utriusque populi multitudo. Crescebat in eo famulatrix fama, virtutum opinio; occurrebant turbæ, sanabantur infirmi. Christus gratiam quam contulerat dilatabat, tandemque

* *prius* palpata.

* *sequitur vox* Dei *sed deleta.*

* *supra lin.*

* *cod.* metstidunem.

* re *add. supra lin.*

beatus cum frequentantium multitudinem ferre non posset, sicut jam dudum admonitus fuerat per soporem *, ut locum patrium parentesque relinqueret et diversas provintias regionesque peteret, ubi fana destrueret, Christianorum ecclesias consecraret, animabus fidelium diabolica fraude seductis *, quæ ignorantiæ tenebris * fuerant cæcatæ, lumen ostenderet veritatis. Tunc subito divina processit auctoritas; quadam die beatus timore nudus, fidei fervore vestitus, a loco in quo quieverat concitus amovet, iter carpens, nescio quo tenderet ignorabat.

* *prius* saporem.

* *prius* seductas; *corr. alia man.* seductis.

* *pr.* tenebras; *al. m.* tenebris.

8. Cum autem adpropinquasset Tolosanæ * urbis territorio, nocte quadam cum fatigata ex itinere paulisper membra quiescerent, cogitatione pariter et angore animi coartatus, ut solet, accideret, somnus obrepsit. Cum repente vidit eminus per Spiritum sanctum Saturninum martyrem, Tolosensis civitatis antistem, prope adsistere, vultu placabili aspectuque decorus, stillantibus oculis atque ea habitudine corporis formam præferentem, qua in præsenti seculo visus fuerat habuisse. Sed quia in hac mortalitatis valle lacrymarum positi, corporeis oculis humana forma vultusque eorum minime invicem se aspexissent, mox tamen sancto Spiritu annuente quasi a cunabulis pariter educati fuissent, ita inter se agnita visione seseque benedictionem pro consuetudine flagitantes, propriis nominibus se vocaverunt, osculo sancto seseque dedentes. Nam cum ambo inter se sancto alloquio consertoque sermone confabularentur, vir Domini Romanus omnia quæ ei in somnis a Domino fuerant imperata vel locum quo abire deberet, sancto Saturnino per visum innotuit. Tunc vero a viro vehementer exhortatur, ut omnia quæ sibi per revelationem divinam fuerat ostensa, summopere festinaret implere.

* *prius* Tolasanæ.

9. Tamdemque vir Domini Romanus excitatus a somno, ex visione divina confortatusque valde, justo conamine iter quo cœperat feliciter nisus est adgredere. Pergens itaque alacriter pervenit ad terminum Burdegalensium civitatis constituti, ad portum opinatissimum valde Garonnæ fluminis, econtra castro suburbanæ civitatis Blaviæ. Ingressusque

* te *super lin.*

prospera navem ventorum lenitate *, familia tristis undæ prosequuntur navigium, et unde metuebant periculum navigationis adsumpserunt solatium consolationis ferebanturque in profundum inter procellas undarum proximo periculo circumdati. Obtentu sacerdotis, non viribus remigarum prospera navigatione peracta, pervenit ad locum castri, ibique propius accedens cellam sibi in eodem loco suis manibus fabricaturus accessit. Ubi dum ibidem aliquandiu moraretur, paganorum nimia multitudo, quæ ante ædes idoli profana excubia decubabant, et multa ludibria vel superstitiones vanissimas exercentes deserviebant. Quamdiu vim Dei viro intulerunt, quas cruciationes quave supplicia nulla audet narrare ratio; nam sæpe vinctis retro manibus ab imis in alto suspensum virgisque cæsum multisque affectum injuriis abinde exire cogebantur. Sed vir Domini præsidium divinitatis exoratus, confisus in Domino, quasi petra firmissima immobilis permanebat. Cum autem assidue diversorum tormentorum sustineret injurias, exprobrationibus ei indesinenter inferre tentaverunt. Ille vero patienter ferens, non immemor Domini præceptum jubentis ubi dicit: " Orate pro persequentibus et calumniantibus vobis ", exorabat pro eis dicens : *Ignosce illis Domine quia nesciunt quid faciunt.* Et cum jam multis obsecrationibus pro eis deprecaretur, expectabat tamen olim divinitus * promissum, similem sacerdotem, qui ad destruendum simulacrum adesse ei festinus occurreret. Videntes autem turbæ gentilium constantiam viri Dei, opera vero Dei et virtutes, et præclara atque admiranda miracula quæ valida manus Domini obtata * viri Dei assidue operabatur. Prædicatione beati viri admonita non minima multitudino gentilium in Dominum Jesum Christum crediderunt. Tandemque cum Christi sedule precaretur, ut adjutorem scilicet olim repromissum dirigere dignaretur, exaudita est oratio ejus.

* *prius* divinitas.

* *lege* obtentu.

10. Statimque sacer Domini Martinus, Turonicæ urbis pretiosus Domini confessor et antistes, divinitus per soporem ammonitus est ut militem Christi Dei famulum Romanum visitandi gratia adiret temptaret. Ut vero mundo clarus

redditus est dies, nec multum moratus, asellum, quo sedule sedere consueverat, stramenta jubet imponi, assumptisque * scilicet secum in commitatu sanctissimis discipulorum turmis, iter sacrum processurus adgreditur; angebat vero animo quo pergeret regione, angelo tamen Domini comite festinus perrexit. Cumque constantissime ad virum Dei gavisus pergeret, vir beatissimus Romanus, ut semper erat solitus, pernox in vigiliis, in oratione strenuus constanter persisteret, velox Dei nuntius de adventu sancti confessoris beatissimi Martini votiva gaudia deferebat. Tunc vir beatissimus concitus de oratione prosiliens percunctatur una cum populo, qui nuper crediderat, in occursum sancti antistitis Martini quamtocius occurrit et exanimes effecti ex tanti viri adventum * exsultantes ejus obviam procederent. Cum vero propius accessissent, videntes agmina discipulorum et in medio conspiciunt eminus sanctum antistitem, vultu angelico præferentem canitieque * decoratum, credentes procul dubio fore beatum virum Martinum Dei sacerdotem. Tunc deinde cum duo præclara religionis lumina se mutuo aspexissent, salutatione præmissa, benedictionem pro consuetudinem sibi invicem flagitantes, genua sancta humo fixa inhærent, ambo silenter orationem protelantes. Cum autem ab oratione surrexissent mixto gaudio cum mærore, simul nam in amplexibus ruunt. osculo sancto seseque dedentes, gratias Christo Dei Filio in commune agunt. Tunc vero cum sancto inter se conferrentur alloquio junctis meritis sancta societate conexi; post paululum cellulam sancti Romani ingressi sunt, salmodiæ decantatione et hymnorum laudibus expletis canonicarum horarum spatiis, in commune reddentes prospere peregerunt. Cum vero paulisper consisterent causam peregrinationis, a quo a * Domino per Spiritum fuerant evocati, exponunt singuli sed cum milites Christi hujus rei sacramentum nimium admirarentur, decidunt in facies, obortisque lacrymis Christum invocant in commune. Tunc vero accincti lorica fidei, signum salutis sibi imposito, aucdanter accedunt ad idolum psallentes pariter atque canentes " Omnes dii gentium dæmonia, Deus autem noster

* *cod.* asumptisque.

* *cod.* adven ntū.

* *cod.* canitiemque.

* *add. super lin.*

cœlos fecit „. Tamdemque terrorem gentilium comminationis parvipendentes, signo salutis præmisso ad scelestissimum simulacrum accedunt, intrepide fessa corporis membra in terra prosiliunt, orationes enixius ad Dominum dirigunt, baculos, quos lassabundi ad sustentandum * in manus gestabant, clipeo salutis admoniti ad idolum subponunt, ad terram in frustra dejiciunt comminutumque idolum in pulverem redigerunt. Videntes itaque infidelium gentilium turbæ servorum Dei audatiam obstupefacti, hujus rei miraculi magnitudinem mirantes pariter, atque timore percussi, non prius seditionem conati sunt excitare; sed verbo salutis audito profanas idolorum culturas relinquentes Trinitatis mysterium in commune confitentes, baptismi sacramentum receptum, Jesum Christum Dominum crediderunt.

* *manus pr.* sustendum.

11. Beatus igitur Martinus sanctissimo viro Romano, ut sacerdotii dignitatem, id est presbyterii ministerium, reciperet, pia supplicatione obtinuit. Quod ille ut ne tanti viri obsecrationibus obstinatus * repugnasset et religionibus gratiam non denegans *, imposito sibi presbyteratus officio, sacramentum ministerii dignissime persolvebat in quantum se cultui mancipaverit divino, vel qualem se quantumque præstiterit nulla nostra evolvere valet facundia, populorum gentilium turba quæ ritu sacrilego fuerat seducta, relicto gentilitatis errorem, conglobati cotidie in unum ad virum Dei confluentes ad baptismi sacramentum sedule convolantes. Deinde vero Domini sacerdotes imperant dæmonibus ab obsesso loco in quo male consederant, discedere jure dominationis quem violenter invaserant statumque relinquere præcipiunt. Nullasque deinceps profanas superstitionibus iterum appetere, ut quod usque fuerat pereuntium tetrus locus, nunc splendide efficeretur credentium salus. Tunc malignorum spirituum multitudo imperio sacerdotum resistere non valentes, profanum locum quod olim in jure dominationis valenter invaserant, fœda indicia relinquentes cursu * velocissimo abscedunt. Dedicatum Deo locum abeuntes derelinquunt, diversasque provinciarum * petere regiones. Itaque sanctus vir sacer Domini Martinus quæ sibi a Domino fue-

* *cod.* obstinatius.
" " *cod.* denegas.
* *prius* curso.
* *add. supra lin.*

rant imperata prospere omnia peracta, compositisque omnibus, devicta dæmoniorum certamina, valedicens Dei viro cum sua ut consuerat sancto comitatu ea qua venerat via sancto Spiritu duce revertitur ad urbem.

12. Sanctus itaque Romanus post abscessum summi sacerdotis beati viri Martini, quasi vir præliator constans permanens. Sed quantum gratia Domini virtutis in eum contulerit, nostra nulla valet fateri facundia. Jam cum tetra dæmoniorum agmina de profani loci habitatione teterrimo dedissent avolatu eadem simulacra destructa ecclesiæ sanctæ sanctorum nomine sunt congregatæ, et qui antea fuerat locus dæmoniorum effici valuit domus orationum. Crescebat in eo cotidie admiratio et fama summi sacerdotis, occurrebant populi, sanabantur infirmi, virtutem eximiæ publice mirabantur. Præcedebat enim beatum virum fama laudabilis *, Christus gratiam quam contulerat dilatabat. In tantum etenim cumulabantur merita sacerdotis, ut nullus fere ad eum ægrotus accessit, aut sancta ejus visitatio ad eum fuisset, qui non continuo pristinam reciperet sanitatem. Implebat autem etenim populum admiratio, et in pectoribus omnium constans fides perdurabat. Populi itaque gentilitatis pravum auctorem deserentes in sola sacerdotis dogmata respirabant, unde salubriter factum est ut quicunque gentilitatis errore, male fuerant seducti audito Christi nomine in Jesum Christum Dominum nostrum crediderunt ita ut salus ab omnibus expecta * fuissent impugnatione defensi.

13. Igitur cum jam beati viri Romani tempus vocationis in promptu adesset, exoptata illi dies festus decurreret, ut deposita corporis sarcina animam feliciter redderet Creatori, dissolutionem corporis sui imminere conspiciens viribus omnibus cœpit repente destitui. Animadvertens tamen per spiritum jam se esse de corpore migraturum, cupiens juxta Apostolum dissolvi et esse cum Christo melius, tam denique nimirum inter spem amoremque nihil penitus dubitabat. Nullamque partem se pronior inclinaverat, quia nec mori metuebat, nec vivere renitebat totumque se

* *cod.* lauadabilis.

* ti *supra lin. al. man.*

Domini committens arbitrio. Cum vero undique anceps anxius cruciaretur, non tamen a Dei opere desinebat, sed fatescentibus artubus spiritui servire cogebat. Totusque per dies noctibusque in Dei opere persistens, pernox in vigiliis, orationi jugiter incumbens, gemitusque profundo e * cordis arcana emittens, animum quoque semper cœlo intentum, exorabat enim ut sicut jam dudum sanctissimum virum Martinum ad destruendum simulacrum eidem adjutorem direxerat, et onus presbyterii vel dignitatem per ejus manuum impositionem consecrationemque sacerdotalis officia acceperat, ita etiam nunc ad obitus sui diem dignaretur dirigere, quatenus sancta anima beato viro adstante vel exorante ac ministeria persolvente, exequiarum excubias peragente, deposita sibi corporis sarcina ipse vir Domini Martinus digne traderet sepulturæ. Tunc repente sanctus Spiritus qui sanctorum corda et corpora indesinenter pie sidens custodit et regit, ejus precibus exauditis, velox nuntius ad beatum Martinum volatu velocissimo decurrit, eique per visum admonuit ut ad visitandum sanctum Dei Romanum festinus adiret. Tunc vir beatus altioris ingenii divina auctoritate admonitum se esse cognoscens ne cunctatus ob istius modi causam cum suo sancto discipulorum comitatu proficisci tamen non reluctabatur. Cumque pervenisset ad oppidum Burdegalensium civitatis ad locum castri Blaviæ, ubi vir Domini Romanus desiderantissime sancti viri præstolabatur adventum, cum primum duo egregii viri, sancti Domini sacerdotes, quasi duo luminaria præfulgentes, sese mutuo conspexissent, salutatione præmissa statimque in amplexibus ruunt, lacrymis profluentibus gratias in commune Domino referunt Creatori. Tum vero pariter in terra prosiliunt; orationem in commune ad Dominum præmissa, diuque ambo morantes siluerunt. Dumque vero discipulorum sancta collegio quid agerent viri sancti, eventum rei præstolaverunt exitum, vident paululum extendi membra viri Dei Romani et singillatim paulisper rigescere. Cum vero vir Domini Martinus usum orandi diutius imponeret moras, sanctus Romanus spiritum cælo reddens *, feliciter migravit

* *add. supra lin.*

* *cod.* re^t^dens.

ad Christum. Dominus etenim noster dum militem suum militare pugnæ certamine prævideret longa scalentia membra traxisse penuriam et artam sequens viam Christi fuisset * imitatus vestigia. Ita in exitum sanctæ animæ non longam permisit habere molestiam sed velociter voluit remunerare alumnum. Interea cum sancti viri anima egrederetur a corpore et feliciter migraret ad cælos sub oculis omnium adstantium ex hujus sancti viri ore speciosa egrediens columba, ad instar nivis candidis contecta pennis, pulcra specie, candore eximio coruscabat ac volatu alta conscendens cælos feliciter penetravit. Hoc tamen non sine admiratione factum fore videtur ut hujus sancti viri meritis hoc tamen testimonio sit adprobatum et hæc indicia demonstrarentur quæ sit gratia meritorum ut qui candidatis operibus vixit in seculo, dignissimo candore sancta ejus anima illustraretur. Itaque cum vir egregius confessor Domini Martinus ad suffragia orationum vel nota præsidia concitus surrexit, sed sancti viri examinatum corpus conspiciens, mæstus tamen pariterque gaudens convocatisque discipulorum agminibus admonet cunctis ut psalmorum decantatione * costanter insisterent et hymnorum canoribus modulatis vocibus dignis Deo persolverent exequiis. Tunc angelorum chorus occurrit, cælestis exercitus adpropinquat, sancti viri animam gaudentes excipiunt, patriarchæ nostri sinu collocantur; martyres sancti læti canentes, confessorum turba circumdatur, virgineus chorus amplectitur, exultantes pariter atque gaudentes tanti viri animam * bonorum operum præfulgentem.

* *prius* fuissed.

* *cod.* decanstatione.

* *cod.* am.

14. Igitur populorum turbæ qui nuper crediderant, audito scilicet obitum beati viri undique circumcurrunt, cum ejulatu vehementissimo gemitus emittunt. Currunt quasi exanimes, inrumpunt foris; atria reserantur præ foribus clamantes atque dicentes : *Heu heu, quid sic fecisti vir sancte? cur nos dereliquisti? quid faciemus ultra? quem quæremus patronum? cujus adiemus consilium? adquisieras enim nos in pugna militiæ * contra diabolum; extraxisti itaque nos de ore leonis cujus devoratione traditi fueramus; modo derelinques nos in acie*

* *cod.* miliæ.

certaminis ut devorati ab aliis dividamur in præda prædonibus et quis eos audacter prohibebit? O vere pastor, oves quas de faucibus bestiarum jam dudum eripueras, modo jam parati sumus in devoratione dentibus bestiarum. Sed quid ultra vos in lacrymas fletusque commoveamur? Quidve diutius occupemur? Sed nunc jam omissa paulisper plancti hujus narratione et qualiter sancti viri corpus ad sacrum tumulum exequiarum excubiis pervenerit sollemni inditione pandamus.

15. Igitur ad obsequium funeris quanta hominum incredibilis multitudo convenerit, nulla nostra valebit fari facundia. Interea cum ad suffragia sancti funeris plebs universa concurreret, et non solum ex ipso oppido verum etiam ex diversis urbibus undique circumfluentes omnes pariter advenissent, immanis multitudo obviam corpori ruit. Quanta mœrentium vox personabat! quanta præcipue qui nuper crediderant turbæ gentilium ad lamenta intonabant, plangebant pariter pastorem quem preserant, lugebant nimium patronum quem amiserant; pars vero unius populi officii funeris lugubri lamentatione circumstabat, alia vero rursus cum triumpho nobili ad astra voces emittunt. Tunc vero conspiciunt eminus jam exanimati sancti viri corpus in quadam resurrectionis gloriam et naturæ dedemutatæ carnis reformati hominis fore videbantur. Una hominum vox simul plangentium juncti choris psallentium usque ad sepulcri locum hymnorum canoribus concinentes, nobiles exequias sollemniter celebrantes, feliciter ad sancti viri tumulum perduxerunt. Tunc egregius confessor Domini Martinus, immolato Deo sacrificio, turba omnium inspectante et præconiorum voces in luctu voementius exspectantibus, apparatu sanctissimo digne præparant sepulturæ. Vir* etenim Domini Martinus stridentium voces ferre non valens motus tamen et ipse in lacrymis pia miseratione commotus concitus sindone munda sancti* corpusculum circumvolvens, dignum ut erat tradidit sepulturæ. In quo loco usque in præsens eximiæ ad tumulum virtutes exuberant, genera meritorum dilatantur. Sancti hujus choruscantes præclara miracula adcrescunt admirationem summi sacerdotis, in tantum ut anni circuli

* *cod.* virR.

* *prius* sancta.

revolutione supra omne pavimento tumuli sancti ad instar nivis quasi flores magnæ mirabiliter oriantur, odore suavissimo redolentes ibidem reperiuntur. Unde nonnulli ex fide colligentes sanitatis gratiam infirmantium multitudo a Domino crebrius perceperunt. Classes navigantium in alveo discurrentes cum procellis aquarum undarumque periculis fuerint circumdati, invocato nomine sancti viri, mox ad proximo periculo liberantur. In tantum etenim vir beatus virtute divinæ gratiæ est consecutus, ut quicumque periculo adproximante navigaturus accesserit, cum ejus sanctam basilicam conspexerit, invocato nomine sancto, a naufragio pelagi statim eripitur. Quid multa narrando perstringam? Quid diutius paginam litterarum apicibus compleamur? Virtus loquendi deficit, digiti usum scribendi marcescunt: jam cesset oratio, jam quiescat verborum objectio, ne amplius relatio sensus vestros diutius occupet. Jam vero quæ fideliter devovi, tamen et si non politis sermonibus, inquantum divina gratia suffragante valui in unum coaptavi. Obsecro vos omnes qui lecturi estis per ipsum qui gratiam remunerante sanctum virum ditavit Christum, ut orationibus vestris mihi pius det veniam, qui sancto viro Romano contulit gratiam; ipso adjuvante qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

DE RECOGNITIONE

CORPORUM SS. LAURENTII ET STEPHANI.

In *Actis Sanctorum* ad diem 10 Augusti, tom. II, p. 496, num. 56 actum est de recognitione corporum SS. Laurentii ac Stephani facta anno Domini 1447. Quum narratio ibidem edita subobscura videatur, ei substituendum duximus textum quem in codice Bruxellensi 9332-46 invenimus.

Anno Domini MCCCCXLVII in monasterio beatæ virginis Romæ quæ vocatur Ara Cœli, ubi Fratres Minores de Observantia habentur, fuit repertum sepulcrum in quo duo corpora habebantur, unum combustum et aliud non. Unde fama cucurrit per curiam quod essent corpora sanctorum martyrum Stephani et Laurentii. Qua de re summus pontifex Nicolaus quintus proprio motu in vigilia Ad vincula Petri apostoli, hoc est ultima die julii, misit quinque cardinales, videlicet cardinalem Andegavensem, De Columna, Firmanum, Græcum et Terracinum cum tribus conservatoribus et senatore urbis ad monasterium S. Laurentii extra muros Ordinis S. Benedicti ad visitandam tumbam eorum. Qui aperientes in occasu solis post Vesperas eadem die invenerunt sanctorum corpora Laurentii et Stephani cum suis dalmaticis in carne et ossibus, et maximus odor aromaticus inde exivit. Sanctus Laurentius jacuit super latus suum vertens faciem versus sanctum Stephanum. In uno latere erat combustum in alio non. Et sanctus Stephanus caruit uno brachio et videbantur adhuc in capite ejus plaga lapidum quibus lapidatus fuit, et unus eorum habuit adhuc crines in capite. Cardinalis Andegavensis accepit unum parvum monachum qui erat novem annorum et vocabatur Laurentius et posuit ipsum in sepulcro*, corpora sanctorum et dedit ei unam alapam, ut postea recordaretur. Et sic omnis ambiguitas deposita est de populo et gaudium magnum in clero. In die Sancti Petri prima augusti mane in ortu solis clauserunt sepulcrum laudantes et benedicentes Deum in sanctis suis martyribus.

* *sequuntur voces fere deletæ, forsan:* modo porrigit.

PASSIO S. MONONIS

in pago Nassoniensi in Arduenna

EREMITÆ ET MARTYRIS.

Quum de S. Monone, eremita et martyre, ad diem 18 octobris acturus erat P. Victor De Buck, duplicem præ manibus habebat Passionem, breviorem unam, alteram fusiorem. Ex quibus breviorem quidem, quam ad iniens seculum XI forte, ut ait, referendam putabat, edendam suscepit (1); fusiorem vero neglexit, quippe quæ seculo X indubie posterior, immo breviore posterior videretur. Cujus rei unum tantum argumentum attulit, nempe in fusiore Vita citari Herigeri, Lobiensis abbatis, scriptionem de *Gestis pontificum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium* (2), in breviore autem non ita. Jam vero quum validis constet testimoniis jam ante annum 980 probabilissime scripta esse ab Herigero necdum abbate hæc *Gesta* (3), fere evanescit vis unici argumenti, et aliunde requirendum unde definiatur ætas illius Passionis.

Hinc, si utramque simul Passionem consideramus, apparet nihil fere in verbis inter has uspiam esse commune (4), in rebus vero narrandis nihil præcipuum, quod parva habeat, longiori deesse, omnia communia tum re tum ordine prorsus concordare. Unde saltem probabiliter conjici potest alterutram ex altera, vel ambas ex priore aliqua manasse. Ulterius brevior videtur esse Sermo in festivitate B. Mononis, quod vel ex prologo seu exordio (num. 1) apparet; qui sermo pluribus verbis pauca refert, et ea sæpe vaga, notabili sollemnium epitheton et poeticorum florum farragine dilatata; omittit etiam quæcumque in altera habentur ad sancti vitam non ita pertinentia, ut descriptionem Hiberniæ, Pipinnorum historiam, alia. At fusior Vita longe magis monumenti historici speciem præ se fert, particularia plurima eaque fere necessaria accurate refert, quæ orator alter omisit, vel levissime

(1) *Act. SS.*, tom. VIII Oct., p. 367 sqq. — (2) Vide infra Passionem num. 3. — (3) Id solide stabilivit Rud. Koepke in præf. ad illa *Gesta* (*Mon. Germ.*, scr. tom. VII, p. 139). — (4) Excipiendos puto locos duos, alterum ubi Passio brevior (num. 3): *Cui tamen prius sedit in voto;* fusior (num. 3): *Sedit autem in animo migrantis* in iisdem narrandis habent; item brevior (num. 6): *Auditis et visis miraculorum signis, quæ ibi in testimonium sanati reliquerant infirmi,* longior vero (num. 11): *Visis vero miraculorum signis, quæ ibidem infirmi reliquerant sanati.*

attigit (1). Quod ut facilius appareat, subjicere placuit inter multa unum alterumve exemplum discrepantiæ auctorum nostrorum in eloquendis factis; postquam narravit quomodo sanctus silvam, in qua degere statuerat, emundare incœpisset, ita pergit

PASSIO BREVIOR (*num. 4*) :

Mox fama, quietis inscia, circumcirca volitans, paganos excitavit non mediocriter, ut huic Dei homini adhærerent, quorum ope simul et opere sustentatus ædiculam, divitis sæculi vacuam, sed virtute superna plenam, ædificavit.

PASSIO FUSIOR (*num. 5*) :

Cujus instantia provinciales circumquaque permoti, cœperunt sponte adesse laboranti, tamdiu ei collaborantes, donec cellam sibi cum oratorio expleret.

Idem ex alio loco clarius etiam elucescit, in quo nempe traditur quomodo divino monitu sanctus certior factus sit quem in locum migrare deberet. De qua re ita

PASSIO BREVIOR (*num. 2*) :

Huic ergo Sancto Mononi jam memorato sæpeque memorando, post vigilias nocturnales, quibus Deo serviebat velut miles invictus, membra quieti paululum resolventi, nuntius cælestis a Deo adfuit in hoc verbo : Mono, serve fidelis, cælorum possessor altissimus mandat tibi ut Galliam impiger adeas, locumque in silva, quæ Arduenna nuncupatur, diligenter perquiras, cui nomen est Fridier, quam Nassania fons leviter irrigat, ubi repausationis tuæ locum in corpore vindicabis, donec dies generalis examinis, peccatoribus terribilis, arridebit justis, tibique una tui laboris mercedem redditurus.

PASSIO FUSIOR (*num. 2*) :

Post matutinales vigilias paululum soporato angelus astitit, et quid ei agendum dispositio divina censeret, retulit, scilicet ut Arduennensem pagum indubitanter adiret, et in silva, quæ dicitur Frigdier, super fontem Nasaniam, locum suæ habitationis a Deo sibi destinatum eligeret.

Quæ omnia Vitam fusiorem, etsi non prorsus ostendunt breviore priorem esse, efficiunt tamen præ illa altera historico momento præstare. Quare eam typis edere placuit. Hujus codices manuscripti nobis præsto erant quatuor, tres adhibuimus :

B Codex Bruxellensis num. 9289, olim S. Laurentii Leodiensis, de quo in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, Part. I, tom. II, p. 296. Pars autem quæ ad calcem codicis alia manu descripta hanc Passionem continet, videtur seculi XII ineuntis.

(1) Forsan et hoc annotari utile erit, quod, quum narratur (num. 7) tempore Johannis Agni sacerdotes e vicinia procuratos esse qui in ecclesia B. Mononis sacra peragerent, fusior Passio illos ab Hoiensi ecclesia arcessitos esse dicit, brevior vero erronee addit ab Ammania etiam villa eos venisse, in qua nonnisi quinquaginta fere annos post Johannis obitum a S. Oda ecclesia constructa est.

L Codex Bruxellensis num. 9646, olim etiam S. Laurentii, seculo XII; de eo op. cit., ad codicem signatum 9645-49. Videtur codicis B apographum vel saltem ex eodem archetypo proxime derivatum, quum, paucissimis exceptis, optime inter se concordent.

W Apographum Bruxellense num. 6760, inter collectanea P. Wilthemii (in codice signato 6731-76). Acceperat illud P. Wilthem, ut ipse in margine testatur, a P. Gamans; exscripta est autem Passio ex Lectionario Nassoniensi, quod constat tum ex nota in margine initio Passionis præfixa: *Ex Ms. pergameno Lectionario in 4° ecclesiæ Nassoniensis; in quo prologus et finis deest* (1). *Item in alio Ms. Lectionario in folio ibidem habetur sed mutila;* tum ex testificatione notarii ad calcem passionis: *Collationata est præsens copia, quæ concordat de verbo ad verbum cum suo originali; quod ego infra scriptus Canonicus Ecclesiæ Sancti Mononis attestor. M. Jacobus Pontiani* (2). Vitam vero in duodecim lectiones, quarum nos divisionem infra servabimus, distributam esse indicant verba passioni præfixa : *In Octavis* (nempe sex posteriores lectiones) *et per Octavas* (sex priores) *Sancti Mononis lectiones cantari solitæ in Ecclesia Collegiata sancti Mononis Nassoniæ in Arduenna.* Discrepat in minutis rebus, at sæpissime, codex a *B, L;* insuper num. 5

(1) Unde constet finem decidisse mihi clarum non est; prologum vero et ipsum cecidisse nec video : nihil enim ad id probandum præsentia prologi seu exordii in Passione altera; neque initium Vitæ: *Igitur beatus Mono* præcedentia aliqua necessario supponit, quum non raro sic incipiant narrationes, v. g. Vita B. Germani a Venantio Fortunato scripta : *Beatus igitur Germanus.* — (2) Rogatus a nobis R. D. Couvert, decanus Nassoniensis, certiores nos fecit hunc codicem, quem neque alibi reperire quivimus, in ecclesia Nassoniaca non jam servari. Idem humanissimis litteris nonnulla de florenti etiam hodie Nassoniæ S. Mononis cultu docuit, tum nobiscum duos hymnos de eodem sancto communicavit, quos post hanc Vitam edemus. Misit etiam ad nos opusculum aliquod anno 1862 a Dno Geubel editum, cui titulus: *Nassogne et son Patron.* Continet volumen illud *Compendium* Vitæ S. Mononis, quale legebatur olim in Collegiali Nassoniensi. Opus gallice scriptum est, seculo ut videtur XVII; quamquam nihil certi de hac re definire liceat, quum frustra codicem manuscriptum quæsiverimus, ex quo hanc legendam Dnus Geubel se desumpsisse testatur. Ipse illud tantum obiter tradit codicem a variis præpositis Nassoniensibus subsignari solitum esse, inter quos reperiatur Nicolaus Bouffeux, qui anno 1726 diem obiit supremum. Ceterum nullius historici momenti est hæc legenda, utpote quæ sit mera brevioris Passionis translatio, at hæc rhetoricis amplificationibus et paræneticis, quin et historicis explicationibus exaggerata. Refertur etiam breviter historia Joannis Agni, ut in Passione fusiore; immo aliquo loco narrat scriptor S. Mononem in solitudine sua eas a diabolo passum esse insidias et molestias, quales eremitarum pater S. Antonius pertulisse traditio est. — Huic legendæ subjungit Dnus Geubel tum *Notas archeologicas de Nassonia et ejus collegiali,* tum officium S. Mononis, quale olim a canonicis Collegialis Nassoniensis recitabatur. Aliquot in locis usui nobis venit hic libellus, pro quo R. D. Decano meritas referimus gratias.

interpolationem passus est ex Passione breviore, ex qua fere ad verbum narratio de nola ferrea assumpta est.

Trium codicum integram varietatem dedimus. Quartum autem negleximus, nempe apographum Papebrochii, quod inter collectanea Bollandiana in cod. Brux. 8913-14 reperire est, quum nihil sit nisi mera exscriptio apographi Wilthemii, ut in nota Papebrochius testatur. Neque valde accuratus fuit in illo exscribendo vir doctissimus, et insuper aliquas suas emendationes tacitus subinde reposuit. Ex hoc vero apographo edidit P. Victor De Buck aliquot locos Passionis fusioris in comm. præv. ad Acta sancti Mononis, numm. 8, 11, 12.

Passio sancti Mononis martyris.

1. Igitur beatus Mono ex Scotia insula oriundus prodiit parentibus non tantum christianis, sed et [1] pro habitu ipsius [2] gentis honestioribus et [3] religiosis. Quæ insula inter Angliam et Hiberniam in Occeani [4] mari sita, cum sit lactis et mellis abundans, tum vel [5] maximam piscium et volucrum necnon variæ venationis copiam ibidem commorantibus subministrat. Non ibi noxium reptile, non serpens vivere potest; quin potius [6] pæne omnia quæ in eadem insula proveniunt, adeo contra venenum valent, ut sæpe ad experientiam hujus salubritatis de Britannia serpentes navigio illo delati mox intereant, ut terram attigerint. Tanta etiam serenitas ipsius est [7] aeris, ut vix triduo nive illic [8] durante, nemo propter hiemem fænum secet, nemo stabula jumentis fabricet [9] (1). Gens hujus insulæ, antequam mereretur divinæ cognitionis illuminationem, non solum idolatriæ [10] dedita, sed et moribus erat incomposita, quippe quam neque lex naturalis a quibusque voluntariis excessibus cohibebat, nec aliqua institutio moralis ad honestatem informabat. Jam vero divinis legibus mancipata [11], ut ubi abundaverat peccatum superabundaret gratia, indictum sibi religionis ordinem ad tantam

Num. 1. — [1] *om.* *W.* — [2] istius *W.* — [3] *om.* *W.* — [4] Oceano *W.* — [5] (tum vel) *om.* *W.* — [6] (quin pot.) quoniam *W.* — [7] (i. e.) e. i. *W.* — [8] (n. i.) i. n. *W.* — [9] (nemo st. jum. fab.) *om.* *W.* — [10] idololatriæ *W.* — [11] mancipatam *W.*

(1) Hanc Hiberniæ descriptionem totam, immo aliquando ad verbum desumpsit auctor noster ex Bedæ *Hist. Eccles. Angl.*, lib. I, cap. 1 versus finem.

studuit affectare devotionem, ut quamplures ipsius gentis non solum voluntariam pro Christo paupertatem [12] amplecterentur, sed et longinquas et [13] laboriosas peregrinationes nudi et egentes aggrederentur. Ex quibus præter multos, quos nobis abscondit vel temporum antiquitas vel regionum diversitas, per has notiores Galliarum provincias elegerunt peregrinari martyr Foillanus [14], confessores [15] quoque Furseus, Ultanus, Bertuinus, Fredegaudus [16], Eloquius, Gibrianus [17], Gobanus (1) necnon et plures, quorum nomina in cælo conscripta, in suis gestis et locis probata virtutibus vita commendat.

2. Mono, ut prædictum est, ejusdem gentis filius atque ab ineunte ætate liberalibus studiis institutus, proficientibus in eo religiosæ vitæ meritis per accessum ætatis, auctoritate pontificali diaconus est ordinatus, ejusdemque ordinis gratiam moribus condignis exsequebatur. Deliberaverat quoque et ipse olim peregrinari pro Christo; sed eandem deliberationem aliquandiu protrahens dispositioni divinæ quod mente conceperat commendabat attentius. Certabant in animo juvenis timor sui et amor Dei : timor [1] quidem, ne ab incœptis deficeret, amor vero, ut in Deo tanto devotius quanto et certius proficeret. Quia vero et [2] gratia Dei, quos prævenit, semper ad meliora provehit, suumque donum electorum suorum facit meritum, adeo præparationes cordis ejus provexit, ut intentionis illius perseverantiam perduceret usque ad martyrii coronam. Denique cum studiis bonorum operum sese ad exsequendam propositam peregrinationem exerceret, Deumque sibi ducem et comitem fieri constanter deposceret,

— [12] (p. Ch. paup.) paup. p. Ch. *W.* — [13] ac *L.* — [14] Foyllanus *W.* — [15] confessor *W.* — [16] Fredegandus *W.* — [17] Gybrianus *W.*
Num. 2. — [1] sui *add.* *W.* — [2] *om.* *W.*

(1) Colitur S. Gibrianus die 8 Maii, ad quem diem de eo actum est in *Act. SS.*, (tom. II Maii, p. 300 sqq.); Gobano vero sacer est dies Junii 20, ad quem de eo ibid., (tom. IV Jun., p. 21 sqq.) De ceteris vero hic laudatis sanctis, quorum mentio etiam in breviore Passione reperitur, videsis annot. *b, c, d, f, g, h*, ad ipsam hanc Passionem (*Act. SS.*, tom. VIII Oct., p. 368). Similiter circa facta vel nomina, quæ in utraque simul Passione occurrunt, ea quæ l. c. in annotatis vel in commentario prævio exposita sunt, hic iterare noluimus.

post matutinales vigilias paululum soporato angelus astitit, et quid ei agendum dispositio [3] divina censeret, retulit, scilicet ut Arduennensem [4] pagum indubitanter adiret, et in silva, quæ dicitur Frigdier [5], super fontem Nasaniam [6] locum suæ habitationis a Deo sibi destinatum eligeret. Mono lætificatus ex admonitione angelica, sed necdum [7] certificatus ex ea, orabat enixius ut, si a Deo hæc visio esset, iterum et tertio illi appareret. Nec distulit in longum Dominus petitionis ejus effectum; utque locum sibi semel designatum adiret, trina designavit [8] revelatione.

3. Ille jam certus eundi patriam parentesque incunctanter reliquit, abjectis omnibus suis cum ipsa etiam voluntate habendi. Sedit [1] autem in animo migrantis primum Romam adire, suæque peregrinationis intentionem suffragiis apostolorum Petri et Pauli divinæ deliberationi committere. Inter eundum jam Alpes ascensurus obviavit Johanni Tungrensium pontifici; qui ob simplicitatem et innocentiam consueverat Agnus cognominari. Et, ut aliqua per excessum inferamus mira, quæ de eo leguntur in Pontificalibus Gestis (1), cum in occulto testimonio bonæ conscientiæ placere studeret Deo soli, divina gratia disponente, mirabiliter hominibus innotuit. Nam cum angelico monitu a peregrino quodam transmarino apud civitatem ab Augusto Antonino [2] bene constructam (2) quæsitus, tandem in prædio suo Titantia [3] agriculturæ studens inveniretur, ab eo divinitus præfixum Trajectensis [4] ecclesiæ illum fore episcopum. Miratur Johannes præter omnem spem hæc sibi a peregrino asseri; baculum, quem tenebat, terræ infixit, *sicut,* inquiens, *mihi videtur perdifficile hoc lignum aridum revirescere, florere* [5], *fructificare, ita scias et hoc nullo modo effici posse.* Mox lignum aridum terræ stirpitus inhæsit, viruit, floruit et fructificavit, idque [6]

— [3] dispositione *W.* — [4] Arduensem *B, L.* — [5] Frydier *W.* — [6] uasaniam *L*; Nassaniam *W.* — [7] satis *add.* *W.* — [8] revelavit *W.*

Num. 3. — [1] venit *W.* — [2] Anthonio *W.* — [3] Tyhantia *W, recte.* — [4] *om.* *W.* — [5] et *add.* *W.* — [6] id quod in m. p. quum *W.*

(1) Nempe in Herigeri Lobbiensis *Gestis episcoporum Tungrensium,* etc., cap. 29-31 (*Mon. Germ.,* scr. tom. VII, p. 176-9). — (2) Scilicet *Hoium* (Huy).

in momento protulit quod quondam virga Aaron in una nocte procrastinavit. Audita et certificata sunt hæc apud regem Dagobertum, filium Hlotharii [7], ejusque consensu electus et raptus [8] a clero et populo Trajectensi [9], consecratus est episcopus, sancto Spiritu illi scientiam inspirante et omnia ejus opera episcopaliter dirigente. Requisitus igitur beatus [10] Mono a [11] pontifice, quis et unde esset, quidve agendum sibi proposuisset, per singula respondit; et quia satis gravaretur pro ignorantia [12] designatæ sibi solitudinis et destinatæ a Deo habitationis, ad postremum subintulit. Respondit pontifex hujus ignorantiæ curam illi [13] facillime [14] absolvendam; suæ parœchialis providentiæ esse Arduennensem pagum, quem quærebat; iret jam alacrior [15] et rediret, et pallium pontificale a Martino tunc Romanorum pontifice (1) sibi condictum, quod intermiserat Romæ ob reditum maturandum, deferendum procuraret. Locum autem a Deo illi designatum ad se revertenti promisit certius designandum, suumque illi consilium et auxilium, prout tempus et ratio exposceret, illi [16] in omnibus præbiturum. Mono hujusmodi promissis jam factus lætior Romam peraccessit, ibique per [17] sanctorum memorias sese aliquandiu exercens orationibus et vigiliis, cum his quæ in mandatis acceperat ad Johannem pontificem [18] rediit. A quo jucunde exceptus eique aliquandiu habitare [19] compulsus, diligebatur ab illo præ ceteris familiarius [20]; nimirum quia eadem in utroque flagrabat erga Deum devotio, et ex mutua conversatione cotidie proficiens incitabatur in eis virtutum æmulatio.

4. Mono tamen pro persona et loco suo erga pontificem in

— [7] Lotharii *L*, *W*. — [8] est *add.* *L*. — [9] *om.* *W*. — [10] homo *add.* *L*. — [11] dicto *add.* *W*. — [12] per ignorantiam *W*. — [13] *om.* *W*. — [14] facile *L*, *W*. — [15] alacriter *W*. — [16] *om.* *W*. — [17] *om.* *W*. — [18] episcopum *W*. — [19] cohabitare *L*, *W*. — [20] familiaribus *W*.

(1) Error aliquis hic sane latet, quum Joannes Agnus anno 646 vel saltem 647 vita functus sit, sanctus vero Martinus anno demum 649 pontificalem Romæ ascenderit cathedram. (Vide Gams, *Series Episcoporum*, pp. II et 248; Smetius in *Act. SS. Belgii*, tom. IV, p. 184 sqq.) Idem recurrit num. 7 *qui sub Martino Papa*.

humilitate propensior et ad obsequendum promptior, erga ipsos quoque contubernales suos congrua benignitate communis, secundum Apostolum studebat in bono complacere singulis, salva tamen propositi sui constantia et gravitate, cum nullius ventosam affectaret laudem, nullius indiscretam curaret vituperationem. Dilectionem Dei, qua flagrabat interius, operibus bonis prætendebat exterius, videlicet carnem spiritui subjugare, ad mundi contemptum [1] seipsum viriliter accingere, nihil in eo felicitatis appetere, nihil adversitatis formidare, a rebus caducis animum avertere, ne et ipse cogeretur cum [2] ipsis cadere [3]; sed suspensa ad Deum [4] intentione, positus adhuc in servili corpore jam quodammodo mentis fruebatur libertate. Præterea tanto benignitatis affectu erga diligentiam fraternæ dilectionis agebatur, ut singulorum vel prospera vel adversa quasi sua pensaret; necessitatibus indigentium cum pro viribus prodesset, etiam ultra vires prodesse vellet; neglecta propria paupertate, in futuro sibi pauperum patrocinia procuraret; deficiente substantia, quam tribueret, quoscumque poterat ad vias vitæ [5] verbis et exemplis provocaret.

5. Sed neque diu dissimulare sustinuit [1] antiqui [2] hostis invidia, quin evidenter proderet talem viri justi [3] conversationem omnimodo sibi esse contrariam. Unde et suscitavit ei episcopalis familiæ invidiosam insectationem, et quasi ex ratione justam detrectationem : videlicet esse liberrimæ indignationis, dominumque suum notabilem nimiæ simplicitatis, utpote [4] qui se tam unanimem tamque amicum inclinaret illi novo homini; in hoc ipso suam legitimam apud eum clientelam viluisse, jamque tale quid non eos diutius pati debere, quod [5] licet nemini eorum esset damnosum, omnibus tamen videri posset injuriosum. Hæc talis sancti viri [6] derogatio quamvis ejus laudabilis vitæ esset approbatio, ille tamen, cujus erat in cælo conscius et testis, nullomodo movebatur objectis; quin

Num. 4. — [1] contemptus *L.* — [2] cum *deest in W, spatio vacuo propter ras.* — [3] eadem *W.* — [4] dominum *L.* — [5] (vias vit.) vit. vias *L.*

Num. 5. — [1] studuit *W.* — [2] antiquus *W.* — [3] (v. j.) j. v. *W.* — [4] *om. W.* — [5] qui *W.* — [6] (s. v.) v. s. *L.*

potius, ut in augmento virtutum exerceret patientiam, Deo non placentibus pro minimo displicere curabat. Verum frequentius apud semetipsum revolvens quod sine fraterno detrimento liberius posset proficere [7] ad meritum, si olim indictæ sibi divinitus peregrinationis exsequeretur propositum, tandem detrahentium sibi linguas humiliter declinare decrevit, et designatam ab angelo solitudinem, ubi Deo secretius vacaret, constanter expetere destinavit. Suggessit pontifici non se posse jam amplius differre quod ejus benevolentia detentus satis superque distulisset [8]; tandem concederet ei missionem abeundi [9], et quod exsequendum proposuerat olim, benedictione confirmaret pontificali. Conanti se adhuc [10] retinere pontifici ille non consensit, sed perlustrata Arduennensi vastitate silvestri [11], fontem Nasaniam [12], quem quærebat, repperit [13]. Quo reperto, Deum sibi adjutorem inclamavit adesse, et toto nisu decisis silvis et evulsis vepribus et spinis, insistebat attentius eundem locum habitabilem fieri. Cujus instantia provinciales circumquaque permoti cœperunt sponte adesse laboranti, tamdiu ei [14] collaborantes, donec cellam sibi cum oratorio expleret [15].

— [7] (p. pr.) pr. p. *W.* — [8] satis que super distulisset *W.* — [9] adeundi *W.* — [10] (se a.) a. se *W.* — [11] silvestra *W.* — [12] uasaniam *L*; Nassaniam *W.* — [13] invenit *W.* — [14] et *W.* — [15] Huic operi ei sic incumbenti obtulit Christi miseratio largiflua levamen amabile, videlicet nolam ferream in præsentia a porco effossam, quæ adhuc est in sua basilica. Quo dono non parum lætificatus agnovit intrepidus pium Jesum incœpto operi benigne favere *add. W.*; *vide Passionem breviorem in* Act. SS., *tom. cit., p. 367* *.

* Hanc erutæ a porco nolæ ferreæ narratiunculam, quam rejiciebat Ghesquierus (*Act. SS. Belg.,* tom. II, p. 420, num. 4), P. Victor De Buck ut non admirabilem, ita nec improbabilem judicavit; quum præsertim de hujusmodi nola passim mentio occurrat in SS. Hibernorum Vitis. Servatur quidem etiamnum Nassoniæ una cum S. Mononis reliquiis nola aliqua a piis fidelibus argenteis laminis decorata; solet etiam repræsentari S. Mono simul cum porco, qui ore tintinnabulum gerit, ut videre est v. gr. tum in sigillo Capituli Nassoniensis, tum in lapide sculpto, qui vulgo *Tumba S. Mononis* dicitur, quique narratur unus esse servatus ex antiquo sacello in honorem S. Mononis exstructo. Arte autem hic lapis sculptus est anno 1638, quod hac constat addita inscriptione :

pIVs . F. GERARDVs EX CHAVANE
EREXIT EREMITA NASONIÆ.

(Cfr. Geubel, op. cit., pp. 39, 40, 62). Putat autem idem Dnus Geubel (ibid., p. 34) nolam

6. Exinde vir beatus vitam solitariam, quam jam olim [1] conceperat, aggressus exsequi [2], artius seipsum mancipabat divinæ contemplationi, insistens jejuniis, vigiliis et orationibus, tanto nimirum liberius quanto et secretius. Et quia per gratiam sancti Spiritus suberat illi efficacia curationum cum verbo exhortationis, ad ædificationem [3] ad se convenientium sæpissime cogebatur inquietari, cum mallet apud se latere per dulcedinem internæ quietis. Frequentabatur enim propter curationes quæ per eum fiebant non tantum a fidelibus, sed etiam ab infidelibus, qui plurimi adhuc supererant in eisdem regionibus. In quibus dum medelas corporum per ostentionem christianæ fidei ad salutem transferret animarum, non paucos ab errore gentilitatis abstractos aggregavit ecclesiæ Dei. Interea antiquus hostis humanæ salutis [4], dolens sibi deficere, quos Christo vero Deo per famulum suum videbat proficere [5], illo suo more contabescens infremuit, et ad interfectionem ejus latrones sicarios incitavit. Horum quamplures silvam Frigdier [6] pervagantes itinera commeantium obsidebant et, ut est id genus hominum, rapinis vivere et cædibus insistere gaudebant. Qui sæpius inter se cum indignatione conquesti quod in extremis finibus illius suæ silvæ [7] novus advena consedisset, qui quasi [8] sub obtentu sanctitatis frequentaretur a multis, hujusmodi virum ejusque frequentationes non convenire eorum utilitati, perspecta opportunitate illum aggredientes solum, facto impetu, super orantem irruerunt; sicque ab impiis interemptum Jesus Christus Dominus noster coronavit fidelem martyrem suum [9]. Nec mora [10]; tanti sceleris vicinos [11] circumquaque perculit [12] rumor [13]. Nam, licet non dubitarent eum jam cum Deo in cælestibus gloriari, memo-

Num. 6. — [1] (j. o.) o. l. *W.* — [2] assequi *L.* — [3] omnium *add.* *W.* — [4] contrarius *add.* *W.* — [5] (v. p.) p. v. *W.* — [6] Frideir *W.* — [7] (s. silv.) silv. s. *W.* — [8] *om.* *W.* — [9] fidelem martyrem suum beatum Mononem felici martyrio coronavit *W.* — [10] horror *add.* *W.* — [11] *om.* *W.* — [12] pertulit *W.* — [13] *om.* *W.*

hanc nihil aliud esse nisi tintinnabulum, quali utebantur rædarii gallo-romani; quum vero, teste eodem, circa Nassoniam plurimæ reperiantur horum temporum reliquiæ, mirum jam non adeo est porcum tale tintinabulum e terra eruisse.

res tamen beneficiorum, quæ per ejus optimam conversationem et doctrinam salutarem fuerant consecuti, et intimo affectu pietatis cum mærore et lacrimis satisfaciebant dolori. Convenientes ergo ad exsequias beati martyris, honesta devotione sepelierunt eum in ipso suo oratorio, in quo, dum oraret, a Deo meruerat coronari. Sed neque exinde diu latuit, quanti apud Deum haberetur meriti. Nam ad sepulchrum ejus miraculis evidenter clarescentibus, illuminabantur cæci, erigebantur claudi, curabantur dæmoniaci, multorumque beneficiorum certa assertione lætabantur sibi salutis patronum provenisse, qui eum innocenter interemptum prius doluerant occubuisse.

7. Johannes quoque episcopus, comperta amantissimi sui morte, ex affectu humanitatis mærorem exsolvit [1] interfectioni, quamvis sciret potius ei congaudendum, quem a Christo constabat jam in vita æterna coronatum; cooperantibus autem fidelibus vicinis, basilicam condecentem illi ædificavit, quam etiam consecratam in honore Beatæ Mariæ semper Virginis [2], matrem ecclesiam et ab omni exactione liberam episcopali auctoritate in provinciali synodo perpetuo esse decrevit. Et ne ex tunc deesset ibi officium sacerdotale, ab ecclesia Hoiensi ad hoc agendum sacerdotes procurantur [3], qui vicibus determinatis succedentes sibi missarum sollemnia in honorem sancti martyris Deo exsolverent [4], quousque per accessum temporis eadem ecclesia ex devotione fidelium proficiens suis stipendiis ad obsequendum sibimetipsi sufficeret. Hæc autem sacerdotalis successio in eodem loco perseveravit a tempore Johannis Tungrensium pontificis, qui sub Martino papa (1) et Dagoberto rege claruit, usque ad tempus regis Pipini tertii.

8. Primus denique hujus nominis Pipinus, ut [1] gestis Francorum invenitur (2), sub Dagoberto filio Lotharii fuit

Num. 7. — [1] ejus *add. W.* — [2] (M. s. V.) et gloriosæ semper Virginis Mariæ *W.* — [3] procuravit *W.* — [4] exhiberent *W.*
Num. 8. — [1] in *add. W.*

(1) Cfr. pag. 199, not. 1. — (2) Vide *Gesta Regum Francorum*, cap. 49-53. (Bouquet, *Rec. des hist.*, tom. II, p. 570 sqq.)

major regiæ domus, ejusque liberi fuerunt Grimoaldus et Begga et beata virgo Gertrudis ex Itta conjuge sua religiosa [2] et nobili. Grimoaldus post obitum patris, cum [3] et ipse esset major domus regiæ [4] sub Sigeberto rege, filio Dagoberti, a quodam Eleutherio duce Allemannorum [5] dolo interfectus est. Begga vero soror ejus nupta [6] duci Andegiso [7] genuit Pipinum juniorem [8], secundum hujus nominis. Ipse Ambram olim [9] castrum a Deo electum, decidente cælitus charta coram Plictrude [10], ejus legitima [11] conjuge, in qua designabatur ex eodem loco multorum animas ad cælestia regna transituras, beato Beregiso cum finibus suis disterminatum [12] legitima et rata donatione perpetuo confirmavit [13] habendum.

9. Cujus tempore, mortuo sine liberis Hildrico [1] rege, qui adhuc de stirpe Clodovei supererat, beatus Lambertus pro defensione castitatis et veritatis [2] a Dodone, Alpaidis fratre, interemptus martyr occumbere meruit, eique in episcopalem dignitatem beatus Hubertus successit. Unde et beato Beregiso probatur fuisse contemporalis, cum sub eodem principe et ipse Tungrensium pontifex claruerit, et [3] Beregisus, collato sibi castro Ambra, Andaginensem cellam fundaverit [4]. Hic etiam secundus Pipinus, legitimis liberis suis [5] ante se decedentibus, Karlum [6] cognomento Martellum, quia bellicosus [7] erat, honoris sui heredem reliquit. Qui et ipse duos filios [8] habuit, videlicet Karlomannum [9] et Pipinum, qui fuit tertius hujus nominis; e quibus Karlomannus [10], relicta militia sæculari, apud Montem Cassinum effectus est monachus.

10. Pipinus vero, licet statura permodicus, sed animo viguit præstantissimus. Hic deficiente, ut præfatum est, regia stirpe Clodovei, regnum Francorum adeptus est, primus a

— [2] (I. c. s. r.) illa religiosa conjuge sua *W.* — [3] *om. W.* — [4] (d. r.) r. d. *W.* — [5] Alemanorum *L, W.* — [6] *om. W.* — [7] Ansegiso *W.* — [8] *corr. man. pr. in B ex* minorem. — [9] *om. W.* — [10] Plectrude *W.* — [11] (e. l.) l. e. *L.* — [12] discriminatum *W.* — [13] firmavit *W.*

Num. 9. — [1] Hilderico *L*; Hyldrico *W.* — [2] (et ver.) *om. L.* — [3] beatus *add. W.* — [4] fundavit *W.* — [5] *om. W.* — [6] Kallum *B*; Karollum *W.* — [7] bellicosissimus *W.* — [8] (d. f.) f. d. *W.* — [9] Karolum magnum *W.* — [10] Karollus Magnus *W.*

papa Zacharia unctus in regem ob defensionem romanæ Ecclesiæ [1]. Qui etiam cum Haistulphum [2], Langobardorum regem, intra Papiam obsessum ad deditionem compulisset, et oppressiones quas Romanis inferebat, accepto ab eo sacramento cum obsidibus, viriliter repressisset, a Stephano papa, qui Zachariæ successerat, constitutus est defensor rerum Beati Petri, deficiente sibi defensione Constantinopolitani imperii. Hujus tertii Pipini [3] filius fuit ille famosus adhuc imperator Karolus magnus; cui in die natalis Domini apud ecclesiam beati Petri Leo papa imposuit coronam Romani imperii, acclamante populo: „Karolo [4] Augusto a Deo coronato, imperatori Romanorum [5], magno et pacifico, vita et victoria„.

11. Prædictus ergo rex Pipinus tertius, dum in venando Arduennensem [1] silvam lustraret, Deo disponente, ad ecclesiam beati Mononis devenit, eamque, ut erat vir devotæ erga Deum devotionis, oraturus intravit [2]. Visis vero [3] miraculorum signis, quæ ibidem infirmi reliquerant sanati, admiratus est meritum [4] martyris; utque ibidem relinqueret memoriam sui regalis beneficii, per pilleum, quod capite gestabat auro gemmisque decoratum, omnes decimas sui juris inter Urtam et Letiam perpetuo habendas beato Mononi tradidit, ipsumque pilleum in testimonium hujus suæ largitionis [5] in eodem loco servandum reliquit. Ex quibus decimis ipsa ecclesia partem adhuc retinet, partem pervasorum violentia et dolo se amisisse dolet.

12. Exinde, constitutis ibidem clericis, non jam conductivum [1], sed proprium cœpit habere eadem ecclesia obsequium, sub eadem constitutione perseverans a tempore prædicti regis Pipini [2] tertii [3] usque ad tempus nepotis sui Ludovici piissimi Augusti, filii videlicet Karoli magni. Cum autem idem Augustus, data sibi cælitus pace, corrigendis et

Num. 10. — [1] (r. E.) E. r. *W*. — [2] Hastulphum *W*. — [3] (t. P.) P. t. *W*. — [4] *om. L.* — [5] Karolo *add. L.*

Num. 11. — [1] Arduensem *L*. — [2] ut e. devotus vir erga Deum, devotionis causa o. i. *W*. — [3] ergo *W*. — [4] beati *add. W*. — [5] (s. l.) l. s. *W*.

Num. 12. — [1] conductitium *W*. — [2] (r. P.) P. r. *L*. — [3] *om. W*.

ampliandis rebus ecclesiasticis non solum per seipsum intenderet, sed et præsules ecclesiarum ad hoc agendum et exemplo [4] sui incitaret et imperiali edicto compelleret, Walcaudus [5], venerabilis Leodiensium pontifex, devotionis suæ studium Andaginensi cellæ applicuit, et, ut erat in honore beati Petri apostolorum principis, eam ædificiis honestavit, et prædiorum redditibus ampliavit. Cumque consilio et auctoritate Leonis papæ, præfati quoque Hludovici [6] imperatoris necnon Hildeboldi metropolitani sui Coloniensis episcopi, pro ordine clericali monachorum religionem [7] ibidem substituisset, illoque translato corpore beati Huberti circumjacentem [8] provinciam tali patrono decorasset, Nasaniensem [9] etiam ecclesiam [10] cum omnibus suis appendiciis eidem Andaginensi cœnobio legaliter traditam subjecit, et, ut erat libera ab omni exactione episcopali a tempore Johannis episcopi, in omnibus procurandam et disponendam abbati ejusdem loci synodali auctoritate perpetualiter confirmavit, unanimiter consentiente clero et senatu Leodiensi [11].

— [4] exempli *L.* — [5] Walcandus *W.* — [6] Ludovici *L, W.* — [7] (m. r.) r. m. *W.* — [8] Arduennensem *W.* — [9] uasaniensem *L;* Nassaniensem *W.*— [10] (et. e.) e. et. *W.* — [11] Explicit passio S. Mononis martiris cujus festivitas celebratur xv kl. novembris, qui requiescit in pago Arduennensi apud Nausoniam *alia manu minio depictum in L.*

HYMNI DE S. MONONE.

Appendicis loco subjicimus duos hymnos, quos a R. D. Couvert missos accepimus; siquidem præter illos duos qui leguntur in officio S. Mononis, quosque in hoc officio edidit Dnus Geubel (1), exstant in duabus Missis propriis ejusdem sancti sequentiæ rythmice conscriptæ et hymnis officii longe præstantiores. Has jam dabimus, postquam notaverimus aliquot subinde nobis incidisse dubia circa unum aliumve locum, qui rythmo minus convenire videbatur; rogatum vero R. D. Couvert certiores fecisse nos ad verbum omnia exscripta esse.

I

Sanctissimi Mononis martyris odas recolamus;
Venerantes ipsius celebre nomen gaudemus,

Concinnat hæc contio
Laudes, et devotio
Sit sincera.

A Scotia genitus
Proposuit cælitus
Relegari.
Relinquendo patriam
Dignum duxit Abraham
Imitari.

Romam adit, a Joanne,
Tungrensi[um] præsule,
Confortatur;
Ad hunc redit lætior,
De concepto certior
Gratulatur.

Ut per silvam deviam
Repperit Nassoniam,
Fabricat ecclesiam,
Ubi orat;
Cadit a sicariis,
Signis nitet variis.
Rex Pipinus prædiis
Hanc honorat.

(1) In appendice ad op. cit., p. 63-81 ; hymni autem reperiuntur pp. 63 et 75.

Ora pro populo,
Pro clero sedulo
Christi martyr, sancte Mono;
Ut tuis precibus,
Relictis omnibus,
Perfruamur cæli throno. Amen.

II

Ut cantemus Mono monet,
Lyram cordis lingua sonet;
Regem roget, nos coronet
Certantis victoria.

Hic est palmes veræ vitis,
Quis, prudens, castus, mitis;
Rebus spretis infinitis,
Exivit de Scotia.

Non mollibus se vestivit,
Fines Francorum transivit,
In Arduennæ definivit
Morari duritia.

Nassoniam instauravit;
Porca stillam ministravit,
Per quam plebem adunavit
In Dei præsentia.

Hostis loco dum privatur,
Perdit prædam, indignatur;
Sanctus martyr trucidatur
A gente sicaria.

Laureatus sic cruore,
Regem vidit in decore,
Cui servit cum tremore
Cælestis militia. Amen.

VITA ET MIRACULA
SANCTI GISLENI
Ursidungi, nunc Gislenopoli, in Hannonia
CONFESSORIS
AUCTORE RAINERO MONACHO.

Ex auctoribus, numero sex vel septem, qui antiquitus S. Gisleni vitam, merito sane et successu plurimum diverso, litteris consignare aggressi sunt, unus id felicitatis tulit, ut ejus lucubratio in pluribus ad nos codicibus sæpe exscripta pervenerit; eadem tamen, quod mireris, numquam adhuc in lucem edita. Hanc nempe Vitam, quam tertiam vocabat, a Rainero monacho confectam, neglexit Mabillonius, ut quæ videretur ætate posterior Vita secunda; quam, prima jam tunc deficiente, typis mandavit (1). Huic secundæ Vitæ aliqua forte antiquitas vindicari possit, tum ex ipsius clausula (2), tum quod locos quosdam, omnes nempe ubi de S. Gisleno simul et Autberto sermo est, exscriptos legimus in Vita S. Autberti (3), quam concinnavit Fulbertus, Carnotensis, ut videtur, episcopus (†1029), jussu seu precatu Gerardi I episcopi Cameracensis (an. 1013-1048). Mabillonium secutus est Ghesquierus noster (4), qui et ipse Vitam a Rainero conscriptam *denuo*, ut ait (5), *typis committendam non censuit:* quibus verbis alludit utique Surio, qui illam, suppresso auctoris nomine et more suo contractam et expolitam edidit, epistola tamen dedicatoria, præfatione et libro miraculorum omissis (6). Nobis vero non indigna visa est quæ integra *Analectis* nostris insereretur, addito et miraculorum libro, cujus nonnisi aliquantam partem vulgavit Mabillonius (7), subjuncto quoque officio S. Gisleni, quod in præstantissimo codice seculi XI descriptum invenimus. Cujus consilii ratio apparebit ex solutione nonnullarum quæstionum, quæ circa auctorem ejusque fetum discutiendæ veniunt. Quarum tamen accuratum examen quum longiorem tractationem exigat, illud reservandum duximus singulari disquisi-

(1) *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 788. — (2) Tom. cit., p. 796 : *Quievit siquidem ibi sancti gleba annis multis propter paganorum frequentiam* (nempe Normannorum in Hannoniam anno 881 vel etiam 898 incursionem) *et seniorum segnitiem, quousque locus* REDIIT *in eremi vastitatem.* — (3) *Act. SS. Belgii*, tom. III, p. 548 sqq. — (4) *Act. SS.*, tom. IV Oct., p. 1010 sqq. — (5) Ibid., p. 1012, num. 11. — (6) *De probatis SS. Vitis*, ad d. 9 Oct. — (7) *Act. SS. O. S. B.*, tom. cit., p. 796-800.

tioni, quæ mox in sequente *Analectorum* tomo edetur. Sufficiat nunc ipsi textui præmittere brevem elenchum codicum mss. quibus in illo vulgando usi sumus. Eum itaque vel integrum vel ex parte exhibent (præter alia subinde nonnulla documenta quæ ad rem nostram non pertinent):

1. Codex nunc bibliothecæ publicæ Montensis signatus numero 27 (221), olim cœnobii S. Gisleni, exaratus circa medium seculum XI. Continet Officium S. Gisleni, Vitam conscriptam a Rainero cum epistola ad Rathbodum, præfatione et indice capitulorum; ac librum miraculorum cum sermone prævio et capitulorum ejusdem libri indice.

2. Cod. Montensis 229 (222), olim etiam S. Gisleni, ex superiori descriptus ineunte seculo XIII. Eadem continet præter officium et libri miraculorum numm. 32-34.

3. Cod. bibliothecæ regiæ Bruxellensis 14924-34, olim S. Petri Lobbiensis. Continet tantum partem Vitæ, nimirum capp. I-XV extr., manu seculi XIV descriptam.

4. Cod. Valencenensis nunc 668 (in catalogo edito an. 1860 signatus erat num. 471, tom. II), olim S. Amandi Elnonensis, exaratus exeunte seculo XII. Continet solam Vitam, omissis reliquis quæ in cod. 1 notavimus.

5. Cod. Duacenus 500, olim cœnobii Aquicinctensis; hujus pars quæ est de S. Gisleno exarata est seculo XIV. Eadem continet quæ cod. 1, præter Officium et libri miraculorum num. 9-26 med., quos complectebatur quaternio unus vel alter pridem a codice decisus.

6. Fragmentum codicis exarati seculo XI exeunte, quod repperimus inter Collectanea Joannis Wilthemii in codice Bruxellensi 6777-6827. Continet posteriorem partem capitis XVIII Vitæ.

7. Cod. Bruxellensis 9636, olim S. Laurentii Leodiensis, exaratus seculo XII. Eadem continet quæ cod. 1, præter Officium, epistolam ad Rathbodum, indices capitulorum tum Vitæ, tum libri miraculorum, et ejusdem libri num. 25 et numm. 32-37.

8. Cod. Bruxellensis 7460, olim cœnobii S. Mariæ de Vallicellis, Ord. Cist., exaratus seculo XIII. Eadem continet quæ cod. 4.

9. Cod. Audomaropolitanus 716, tom. V, olim cœnobii S. Mariæ de Claromarisco, item Ord. Cist., ejusdem seculi XIII (1). Eadem continet quæ codex 4.

Huic elencho sequentem tabellam subjungere visum est, quo distinctius et sub uno conspectu appareat quibus codicibus quænam communia sint. Itaque

Epistola ad Rathbodum continetur in	1. 2, ... 5.
Procemium	1, 2, ... 5, .. 7.
Index capitulorum Vitæ . . .	1, 2, ... 5.
Vitæ capp. I-XV versus fin . . .	1, 2, 3, 4, 5, .. 7, 8, 9.
„ „ XV versus fin.-XVIII med.	1, 2, .. 4, 5, .. 7, 8, 9.
„ cap. XVIII pars altera . .	1, 2, .. 4, 5, 6, 7, 8, 9.

(1) De omnibus his codicibus fusius dicetur in disquisitione nostra prolixiori.

Sermo super miracula. . . .		1, 2, ... 5. .. 7.
Index capitulorum libri miraculorum.		1, 2, ... 5.
Miraculorum numm. 1-8 . . .		1, 2, ... 5. .. 7.
„ „	9-24 . . .	1, 2, ... 7.
„ „	25 . . .	1, 2.
„ „	26 init.-26 med.	1, 2, ... 7.
„ „	26 med.-32. .	1, 2, ... 5, .. 7.
„ „	32-34 . . .	1, ... 5.
„ „	35-37 . . .	1, 2, ... 5.
Officium		1.

Restat ut quæ jam olim edita sunt recenseamus.

Surius (1), ut jam dictum est, vitam politiore stylo ornavit et edidit, omissa epistola, præfatione, capitulis.

Mabillonius (2) ex libro miraculorum aliqua partim, ut suis locis indicabitur, edidit, ex codice 2, ut videtur, vel ex ejusdem apographo. Numquam autem edidit ille Vitam a Rainero scriptam, uti non recte asserit Fabricius (3).

Jacobus a Guisia numeros 5, 6, 7 miraculorum suis Annalibus ad verbum inseruit (4).

V. cl. Car. Duvivier ex codice 7 (Bruxellensi 9636) excerpta quædam vulgavit ex miraculorum numeris 1, 16 et 19 (5).

Ut vero facile agnosci posset quid ad hæc adderet editio nostra, majoribus typis adhuc inedita, jam edita minoribus expressimus; insuper ad parænetica mediis, quos dicunt, typis usi sumus. Variantes lectiones dedimus ex Mabillonio *(Mab.)* et ex Jacobo de Guisia *(J. G.)*, non vero ex Duvivier, qui codicem suum, 7 nempe, tantum exscripsit; neque etiam, ut ex re patet, Surii stylum attendimus.

Denique nec distinctione typorum rationem habendam duximus fragmentorum breviorum quæ subinde citaverunt Mabillonius in Observationibus præviis ad vitam sancti Gisleni (6), et maxime Ghesquierus noster, qui ex codice 2 tum commentario prævio de sancto Gisleno (7), tum notitiæ de SS. Lamberto et Bellirio, S. Gisleni discipulis (8), locos plures libri miraculorum passim inseruit.

Quod autem spectat ad nomina virorum et locorum quæ passim occurrunt, de his satis dictum est in Ghesquieri annotatis ad Vitam secundam (9); hæc itaque repetere visum non est.

(1) *De probatis SS. Vitis*, ad d. 9 Oct. — (2) *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 796-800. — (3) *Bibl. lat. med. et inf. æt.*, tom. VI [2], p. 46. — (4) *Annales historiæ illustrium principum Hannoniæ*, lib. x, cap. 80-85. — (5) *Recherches sur le Hainaut ancien du VII[e] au XII[e] siècle*, p. 365 sqq. — (6) Nempe partem epistolæ ad Rathbodum (Vide tom. cit., p. 789). — (7) Præsertim numeris 17, 50, 56, 63, 65, 69, 72 (*Act. SS.*, tom. IV Oct., p. 1014 sqq.). — (8) Tom. cit., p. 1038. — (9) *Act. SS.*, tom. cit.

Incipit [1] epistola Raineri [2] monachi ad domnum [3] abbatem Rathbodum [4].

Domno abbati R. [5] merito venerando et amplectendo minimus sibi subditorum frater R. [6], quod suis fidelibus repromittit omnium bonorum largitor Deus. — Terruit me, pater amantissime, vestra non contemnenda jussio, et ut vera fatear, pæne enervata est ad imperium vestrum meæ pusillanimitatis compago, ferre non valens negotium quod sub auctoritate obœdientiæ infirmo animo vestra imposuit magnitudo. Præcepistis, amantissime patrum, meæ parvitati precatu domni abbatis Simonis vitam beati Gisleni luculento [7] stylo exarare atque miracula ipsius non minus polito sermone futuris seculis dirigere. Sed quis ego aut quid ego ad hæc, qui elementa tantum cognoscere, vim vero eorum adhuc non novi dijudicare? Cum rumino non obliviscendum vestri præcepti mandatum, non recognosco meipsum, quem de pusillo vultis facere magnum [8], de malesano sensatum, de elingui rethoricum. Satius et gratius existeret mihi animo ut vestro præcepto quantum superest mihi vitæ degerem clausus in carcere cæco, quam deprimerer pondere tanto. Verum quia prudentia Dei non sine certi ratione mysterii majores ac [9] meliores imposuit capitibus nostri Ordinis, quorum præceptis oportet nos obœdire etiam [10] usque ad effusionem sanguinis, tremens et timens institi, non ut debui sed ut potui, quia nec cerebris sensus affuit ut stylus optavit, nec propriæ circumstantiæ, quæ sunt necessariæ tanto labori. Quamobrem plura desunt quæ huic opusculo inesse debuissent, sed quæ nec legendo nec videndo nec audiendo comperi, ne deprehenderer falsarius scriptor, inserere aliud non præsumpsi nisi quod in chartulis atque membranis sparsim vix repperi, præsertim cum Omnipotentis virtus, quæ semper mira operatur in sanctis suis, minime egeat astrui [11] mendaciis.

Epistola. — [1] *Epist. deest in* 3, 4; 7, 8, 9. — [2] *non* Rouneri, *ut perperam quidam legerunt; qua de re in disquisitione critica fusius agemus.* — [3] *om.* 2. — [4] in vita sancti Gisleni *add.* 2; (Incipit-Rathbodum) *om.* 5. — [5] Rathbodo 2. — [6] Rainerus 2. — [7] luculenti 2, 5. — [8] (f. m.) m. f. 2. — [9] et *supra* ac *add. man. pr.* 1. — [10] *om.* 5. — [11] construi 5.

Pauca tamen utcumque pegi, quæ auditu fidelium fratrum, quorum sacerdotalis infula et regularis cuculla dotem ad credendum mihi fecit fidei, quale est illud quod pinxi de pisce qui saltum dedit in siccum in adventu beati Amandi, sicut ab abbate Simone didici, et cætera quædam, quæ sejunctim diligens lector facile cognoscere poterit. Qualecumque sit, Domine, quod vestro jussu est exaratum, vestræ examinationis et emendationis exspectat judicium. Quod si fuerit fultum vestro favore, non avertet oculos, ut noctua a lucis splendore.

Incipit [1] procemium in vita [2] sancti Gisleni confessoris Christi[3].

In hoc tempestuoso salo positi, quamvis peccatorum pondere pressi, semper et in omni loco laudare et benedicere debemus sanctum ac venerabile nomen Dei nostri, qui ab initio seculi timentes et diligentes se in omni tribulatione spirituali consolatur consolatione cælesti. Qui quantus sit quamque [4] mirabilis, sua gratia largiente ex parte cognoscere potest humana fragilitas in sanctis suis, quos ad salutem et ad [5] fidem corroborandam credentium donavit pluere verbis, coruscare [6] miraculis et esse exemplum totius sanctitatis atque [7] intercedere pro illicitis excessibus humanæ infirmitatis. Quorum principatum tenent patriarchæ, viri religiosi et gloriosi in vita sua, patres prophetarum, quibus ostendit Deus secreta sua [8], nec non et apostolorum, quos præsciendo et prædestinando ante cuncta [9] secularia tempora divina elegit providentia in caritate non ficta, quorumque [10] doctrinis [11] fulget ecclesia ut sol et luna, martyrum fortiter pro Christi nomine certantium conservans pignera, nec non meritis confessorum stabilis et firma, eorumque salubribus doctrinis fulta [12], atque probis moribus et sacris exemplis ut lilii flori-

Procemium. — [1] *Procem. deest in* 3, 8, 9; *ejus loco invenitur in 4 prologus in Vitam secundam* (Opportunum-pandat oratio), *editus in* Act. SS., *tom. cit., p. 1030.* — [2] (in v.) vitæ 7. — [3] (Incipit-Christi) *om.* 5. — [4] quantumque 7. — [5] *om.* 7. — [6] (coruscare-sanctitatis) *om.* 7. — [7] ac 7. — [8] sua 1 *man. pr., at corr. man. post.* sui, suo. — [9] sca *add.* 5. — [10] quorum 2, 7. — [11] doctrina 2, 7. — [12] futta 1 *ante ras.*

bus pulcherrime redimita. Inter quos sanctissimus confessor Christi et sacerdos [13] Gislenus, meritis præcipuis supernis conjunctus cœtibus, ut sol fulget clarissimus, donatus a pio remuneratore, Jesu scilicet benigno, munere illo quod mortalis non vidit oculus. Cujus gesta ad laudem sui remuneratoris, quatinus tanti viri meritum superpositum [14] candelabro luceat omnibus, qui in domo Dei sunt, describere gestit animus, sed manum retrahit stolidus stylus. Ast omnipotenti Deo, cui hoc est esse quod sapere, hoc posse quod vivere, hoc velle quod facere, quia nunquam deest ei posse si affuerit velle, Scriptura testante quæ dicit : « O Domine [15] virtutum, cui [16] velle subest, cui posse », non cunctabor [17] stylum committere, quoniam illi [18] qui facit omnia quæcumque vult in cælo et in terra, non est difficile linguam imperiti disligare, cum legamus et [19] veraciter credamus quod solitus sit quando vult et quomodo vult etiam linguas infantium disertas facere, quodque est dictu mirabile, ad correptionem arioli os asinæ, quia voluit, valuit reserare. Nunc, o [20] alme Spiritus, qui quando vis et cui vis aspiras [21], inde, quæso, rorem tuum meis sensibus, ne laudem sui redemptoris [22] taceat animus, neve sub modio positus occultetur [23] Dei servus, ac ne loquatur te comite christianus unde lætetur hæreticus, de corpore Christi scissus.

Explicit prologus.

In Christi nomine [1] incipiunt capitula [2].

1. De nativitate beati viri et indole ejus laudabili.
2. Quod seculo se subtraxerit et regulari normæ subditus sit.
3. Quod revelatione angelica apostolorum adierit limina.
4. De salutari colloquio cum beato Amando habito.

— [13] (et s.) *om.* 7. — [14] super positum 1, 2. — [15] dñe *post ras.* 1. — [16] cum 5, 7 ; cui *corr. ex* cum 1. — [17] (n. c.) curabo 7. — [18] ille 7. — [19] et *add. supr. lin. man. pr.* 2. — [20] *om.* 7. — [21] inspiras 5. — [22] creatoris 5. — [23] occuletur 7.

Capitula. — [1] *Capit. desunt in* 3, 4 ; 7, 8, 9 ; (In Ch. n.) *om.* 2. — [2] (Explicit-capitula) *om.* 5.

5. De ereptione ursæ et Dagoberti regis super viro Dei inquisitione.
6. De beato viro [3] ursam insequente et aquila ducatum cælitus præbente.
7. De belua viro Dei obaudiente, et veste sacerdotali illæsa apparente [4].
8. Quod oratorium construxerit et Cellam Apostolorum vocitaverit.
9. Quod Cameracum, jubente præsule Autberto [5], adierit et ab eo digne susceptus, dignius autem remissus sit [6].
10. De muliere a partu erepta et prole divino famulatui mancipata.
11. Quod piscis e fluvio prosilierit et pedibus sanctorum palpitans occubuerit.
12. Quod vir Domini regi occurrerit et ab eo munificentia regali donatus sit.
13. De consecratione oratorii et conversione comitis Madelgarii.
14. De præfati comitis uxore monitis beati viri seculo renuntiante.
15. De Hildulfo [7] venerabili beatæ Waldedrudis [8] petitionem adimplente.
16. Quod exhortatione sanctorum [9] Aldegundis Christum elegerit sponsum.
17. Quod sacerdos Domini Amandus e mundo migraverit, et idem beatæ Aldegundi per angelum patuerit.
18. De largitione beatæ Waldedrudis et dormitione venerandi Christi sacerdotis.

— [3] Dei *add.* 2. — [4] *Abhinc vacat* 1 *usque ad secundum Vitæ verbum* (igitur), *propter folium excisum.* — [5] Auberto 5 *et sic deinceps.* — [6] sit *ita* 5; est 2; *at infra in titulo capitis IX (p. 224, 4)* sit *codd*, *etiam* 2. — [7] Hiſdulpho 2. — [8] Waldetrudis 5 *et sic deinceps.* — [9] virgo *add.* 5.

Dulcis et egregii Gisleni vita patroni
Ad laudem Domini sic incipit omnipotentis[1].

I. Venerandæ [2] igitur [3] memoriæ confessor Christi Gislenus de christianissima gente Græcorum [4] feliciter exortus a divina misericordia [5] misericorditer est electus, atque in vinea Domini ab ipsis [6] crepundiorum exordiis superna providentia destinatus est operator fidelissimus. Et quia a pueritia, Spiritus sancti gratia sibi favente, christiano nomini studuit inservire, visum est parentibus consilium esse salubre, ut sub scholares alas Athenis, ubi videbatur esse fons sapientiæ, eum relinquerent sub Christi nomine; quatinus litteris imbueretur adplene, quod est speculum vitæ. Litteris vero puer [7] traditus orabat assiduis precibus, ut in se veniret Altissimi spiritus, qui liberaret eum [8] a cunctis erroribus et faceret incedere per justitiæ gressus. Denique quia vigilans assedit sapientiæ foribus [9], ducatu sancti Spiritus meruit illam, quæ dignos se circuit quærens, invenire [10] celerius, ac quoniam ex studiis suis mundi ac recti operis deprehensus est puerulus, in laribus ipsius delicate est nutritus ; et quia [11] nobilitatis vena excellentissime claruit, tanto eam sublimius illustravit quanto et in ipso opus suum Spiritus sanctus excitavit.

II. Quod seculo se subtraxerit et regulari normæ subditus sit [1].

Disciplinis igitur liberalium artium perfecte eruditus [2], ne malitia mutaret intellectum illius [3], monente philosophia

VITA. Caput I. — [1] *Titulus deest in* 1 ; *adest in* 2, 3; INCIPIT VITA SANCTI GISLENI CONFESSORIS CHRISTI 4; INCIPIT VITA SANCTI GISLENI PRESBYTERI 7; INCIPIT VITA SANCTI GISLENI CONFESSORIS, CUJUS FESTIVITAS (FESTUM 9) EST VII IDUS OCTOBRIS 8, 9. *Titulus Vitæ cum reliquis omnibus titulis manu recenti add. in* 5; *illorum igitur in sequentibus rationem non habuimus; ceterum nihil notatu dignum continent.* — [2] *deest in* 1. — [3] *om.* 8, 9. — [4] (g. G.) G. g. 7. — [5] quæ cui vult miseretur *add.* 7, 8, 9. — [6] (ab ipsis-providentia) quam fideliter (feliciter 8) vult excolere fidelis in quo non est iniquitas Deus (D. in q. n. e. i. 8, 9) 7, 8, 9. — [7] (v. p.) p. v. 2. — [8] (l. e) e. l. 2. — [9] (s. f.) f. s. 7, 8, 9. — [10] invenit 8. — [11] (et quia-excitavit) *om.* 7, 8, 9.

Caput II. — [1] *Titulos capit. omnes om.* 7, 8, 9. — [2] est *add. al. man. in* 1. — [3] ejus 5.

matre, a seculi fluctibus est raptus, atque intra [4] claustra monasterii clausus, gratissimum portum se invenisse est lætatus. Ubi secundum regulam beati [5] Basilii aliquanto tempore degens, vigili [6] ingenio [7] explorabat quæ erant optima, atque in canistro mentis recondens quæque dulcia, omnibus fratribus erat salutis norma, præbens cunctis dulcia colloquia, ac [8] totius [9] bonitatis exempla : in fide videlicet firma, in [10] caritate non ficta, in dilectione fraterna, in humilitate sibi semper [11] hospita, in obœdientia jocunda, in larga benevolentia, in jejuniorum ac vigiliarum instantia. Interea [12] viro Dei in castris Domini præclarum cælestis militiæ insigne gestanti et spiritales nequitias invincibili virtutum robore debellanti decessit tanto labori condigna glorificatio, condigna etiam tantis meritis remuneratio. Consilium enim erat Altissimi ut quod in eum effecit gratia Spiritus sancti, palam fieret in populo Dei. Unde ut infirmorum mentibus salubris esse posset medicus, Deo omnia disponente, in quo est summa salus, feliciter ad ecclesiasticos gradus gradatim est promotus. Factus [13] ergo, Dei gratia sibi aspirante [14], inter Deum et homines medius, vinum cum oleo indebat [15] mentium vulneribus, non auferens superiorem aut inferiorem molam in pignus, quia spem de misericorde [16] patre [17] cum timore [18] divini judicii prædicabat [19] omnibus. His quippe et aliis modis nobilitatem generis excedens nobilitate mentis, cœpit pertractare [20] mente sagaci qualiter per omnia oculis placeret superni arbitri [21]. Talia siquidem tractanti nec defuit [22] gratia Christi [23] Domini condescensura quantocius sancto [24] desiderio servi sui.

— [4] inter 5. — [5] sancti 8, 9. — [6] vigiliis 5. — [7] jejunio *man. post. add. sup.* ingenio 5. — [8] *om.* 8, 9. — [9] etiam *add.* 8, 9 — [10] (in car.-fraterna) *om.* 7. — [11] (si. se.) se. si. 5. — [12] (Interea-populo Dei) His itaque armis a dextris et a sinistris circummunitus nullatenus est ab adversariis superatus, quia ad illicita perpetranda nec oculorum, nec aurium patuit aditus (auditus 8, 9) 7, 8, 9. — [13] est *add.* 7. — [14] inspirante 5. — [15] immittebat 1 *bis man. rec. intra lin.;* imprimebat 1 *man. rec. intra lin.;* infundebat 1 *man. rec. in marg.*, 2; 8, 9; medebat 5; (indebat 1 *in text.*, 3, 4, 7.) — [16] misericordiæ 8, 9. — [17] misericordia patre (*corr.* patris) 2. — [18] tremore 7. — [19] in *add.* 7. — [20] pertractari 7. — [21] *corr. ex* arbitrii 8; arbitris 2, 7. — [22] (n. d.) occurrit 7. 8, 9. — [23] (Christi-servi sui) Spiritus sancti, quæ inspiravit illius menti ut, imitatus fidem fidelis Habrahæ de terra et de cognatione sua, Domino jubente, exeuntis, Romam adiret causa orationis, ubi noverat esse principes seculi et nova (vera 8, 9) luminaria mundi (m. lumina 8, 9) 7, 8, 9. — [24] *om.* 5.

III. Quod revelatione angelica apostolorum adierit limina.

Venerabilis [1] autem sacerdos Gislenus intempestæ [2] quodam noctis silentio orationi et divinæ speculationi instabat plus solito. Cælum precibus pulsat seseque summi pastoris diligentiæ commendat. Fatiscenti autem precum instantia corpusculo somnus aliquantisper obrepsit et ipse quieti ad modicum indulsit, cum repente cælo missus adest angelus, tactuque lenissimo soporantis attigit latus, et quod majestatis imperio sit egressus mellifluæ suavitatis edocuit vocibus. Cui [3] vir sanctitate laudabilis: *Quamobrem,* inquit, *servum tuum divina vultus tui præsentia dignaris, vel quid exsequendum hortaris? Ne,* inquit, *fluctuantis mundi pelago longius immoreris aut secularibus negotiis ac si tempestate turberis. Hac tuæ patriæ reverentia posthabita apostolico triumpho celebrem Romam invisere cura; ibique devotioni tuæ quid sit credendum revelatione divina noveris aperiendum.* Jamque virum Dei cum mentis extasi somnus liquerat, et noctis tenebras oriens fulgore corusco urgebat; sed quæ oraculi cælestis monitu didicerit, nulli saltem privatorum palam esse voluit. Sicque sacerdotali, ut decebat, apparatu comitatus et de sui suorumque salute gratiæ [4] Dei confisus, susceptum nutu Dei iter attentavit; et ex hoc patriarcharum justificationi laudabiliter communicavit: cum quibus laudem et gloriam in terra viventium copiose hereditavit. Tandem Spiritus sancti

Caput III. - [1] *Deest totum caput in* 7, 8, 9; *cujus loco habent sequentia:* Percepta namque licentia abbatis ac totius congregationis cum cælesti benedictione Romam tandem attigit (pervenit 8, 9) fidei (fideli 8, 9) ardens fide et claro lucens opere. Quis enim sermo quæve lingua hominum digne valet reserare quam pia oscula liminibus ac pavimentis sanctorum studebat infigere (nunc adiens rosaria *add.* 8, 9), nunc adiens lilia cum lacrimarum flumine? Sancto igitur desiderio satiatus, divina admonitione est monitus, ut causa prædicationis gallicæ genti esset (isset *corr. in* 7) peregrinus, veraciter sciens quod in pago Hainau provisus sibi esset a Deo requietionis locus (l. r. a D. 8, 9), qui rustice vocabatur Ursgondus (Ursdongus 8, 9), in quo quia a Deo erat electus, suo labore in honore apostolorum Petri et Pauli fabricaretur domus. Qua admonitione vir sanctus recreatus, gratias agens benedixit Deum (Dominum 8, 9), qui est per (in 8, 9) secula benedictus, atque lorica fidei indutus et galea spei capitatus necnon gladio (sancti *add.* 8, 9) Spiritus accinctus, assumptis secum duobus discipulis, Lantberto (Lamberto 8, 9) videlicet cum Bellirico (Belrico 8), duce Christo partes Galliæ est aggressus. — [2] intempesto 5 *post ras.* — [3] tum 5. — [4] gratia 3, 5.

gratia ductrice Romam perveniens, et principum Ecclesiæ limina lacrimarum imbre perfundens quantis sese in conspectu Domini suspiriorum affectibus impertiri studuerit, sicut imitatione saluberrimum exstat, ita relationis humanæ experientiam superat. Sanctorum, inquam, venerabilium memoriam lustrans, nunc martyrum triumphis, ac si rosei nectaris aspergine, animam oblectat, nunc spiritali confessorum militiæ velut exsultantibus in convalle liliis communicat.

Cernere erat lacrimas sancto spiramine fusas;
Qualia mente gerat tellus madefacta revelat.

Quamobrem sponsionis angelicæ non immemor, aulæ cælestis jánitor, cum posteræ lucis occasu et ipse ætherea sede sese inclinat, et virum Dei apostolicæ præsentiæ gratia lætificat.

Fatur et imperii quæ sunt [5] mandata superni:

Est pagus, confinio Galliarum contiguus, qui præterlabenti ab amne Hainau [6] vocabulum exstat sortitus, et in eo locus beatitudini tuæ supernæ dignationis munere provisus. Ab ursa quidem illuc cum [7] catulis reperta vocabuli originem ducit; ideoque incolarum placito Ursidungus nomen accepit. Ubi nostri nominis oratorio eleganter constructo [8], nec non et fratris mei Pauli patrociniis venerabiliter consecrato, postquam tot animarum gemmas ornamentis cælestibus inserendas præmiseris, et ipse excursi laboris felici consummatione lætaberis, atque divinitatis plenitudine cum angelis in sempiternum gloriaberis. Vir autem Domini pro tantis futurorum indiciis Deo grates et laudes referens, et ex comitum turba duos [9] tantum, Lantbertum [10] videlicet [11] et Bellirium secum retinens, nudus et seculi transfuga, Domini salvatoris imitatum perrexit vestigia, Galliarumque divertit confinia.

— [5] sint 4, 5. — [6] Hanoia 2. — [7] illu::cū 4 *ex corr.* — [8] (e. c.) c. e. 5. — [9] *om.* 2. [10] Lambertum 5 *et sic deinceps.* — [11] *om.* 2.

IV. De salutari colloquio cum beato Amando habito.

Cum [1] vero lustraret sacra monasteria, castella et oppida, pervenit ad aures illius de amantissimo confessore Christi Amando volitans fama, quæ ita ejus sacris virtutibus [2] reficiebat audientium corda, ut odore virtutum illius [3] sancta Ecclesia [4] referta quasi inter [5] paradisicolas jam videretur esse constituta. Unde quia similis similem quærere, et cum sancto sanctus solitus est [6] esse, beatus Gislenus orabat Dominum cum [7] humillima prece quatinus ejusdem [8] sancti colloquio mereretur satiari [9]; cujus vultum haud aliter sitiebat quam cervum fons aquæ oblectat [10]. Mellifluo tandem ejus potitus colloquio [11], ac causis itineris expositis, salubri æque [12] fultus consilio benedictionem suscepit a sancto episcopo, sicque [13], superveniente tempore nocturno, sanctum Gislenum perlustrantem Hainau [14] pagum [15] ex [16] divino oraculo mons, qui vocatur Castrilocus, excepit hospitio. Æstimans vero sanctus quod esset locus sibi a Deo promissus, cœpit exstirpare quæque arbusta radicitus, cupiens ibi ædificare templum quod esset aptum Christo servientibus.

V. De ereptione ursæ et Dagoberti regis super viro Dei inquisitione.

Eodem [1] tempore venationis oblectamine Bracbantus [2] Dagoberti regis præsentia videbatur gaudere, cujus odorissequi canes dum quadam die, tubis venatorum incitantibus, immanem ferocemque persequerentur ursam, accidit ut illa informis belua fugiens, ante cultoris eremi veniret præsentiam, et quasi defensionis gratia sub sancti viri tunica, quæ for-

Caput. IV. — [1] dum 5; 7, 8, 9. — [4] (e. s. v.) s. v. e. 5. — [3] ejus 7. — [4] (s. E.) E. s. 7. — [5] intra 8, 9. — [6] *om.* 8, 9. — [7] *om.* 7, 8, 9. — [8] ejus 7. — [9] *Abhinc, deficiente altero folio, vacat* 1 (cujus vultum — *Cap. V* ut ita dicam); satiare 7. — [10] (f. a. o.) fontem aquæ 7, 8, 9. — [11] alloquio 7. — [12] *om.* 7, 8, 9. — [13] et sic 7, 8, 9. — [14] Hanoiam 2. — [15] *om.* 7, 8, 9. — [16] cum 7, 8, 9.

Caput V. — [1] (Eodem-quadam die) Eo (eodem 8, 9) tempore Dagobertus rex, qui totius regni Francorum potenter tenebat monarchiam, venationis gratia pro tempore Bracbanti (Brabanti 8, 9) inhabitabat provinciam. Quodam (quadam 8, 9) namque die, dum odoriferi (odorissequi 8, 9) canes 7, 8, 9. — [2] brachantus 5.

tuitu propter opus in ramis cujusdam arboris erat suspensa, lassabunda et, ut ita dicam, fatigata [3] collocaret membra. Videres igitur bestiam quasi septam munitione quietam jacere, canes vero a longe stare, nec ausos latratum dare; sed blandimento tantum caudæ sua videbantur repetere. Quo pro [4] facto venatores plura falsa commentantes [5], ira [6] permoti ab illa solitudine blasphemiæ et contumeliæ verbis sanctum virum proturbare [7] laborabant cum discipulis, dicentes, quod essent periti artibus magicis et ideo jure darentur perditioni judicio regis. Quanta [8] in rerum natura controversia! Ecce rationi mortalium bestia sensibilitate quadam participat: et e diverso insensibilitatem naturæ rationis condicio sibi vendicat. At sanctissimus confessor Christi Gislenus, lenitati et mansuetudini semper amicus, nil verbis calumniæ motus, verba patientiæ reddidit furentibus: *Superni Regis*, inquit, *viribus* [9] *et auctoritate sto; et ideo minas terreni regis non timeo.* Interea præfatus rex venatores pedetentim secutus, supervenit cum suis familiaribus; atque hujus rei causam audiens, ita sanctum virum est adorsus: *Quis* [10] *et unde, vel* [11] *cujus actione* [12], *qui canes nostros non timuisti nescimus qua arte* [13] *annullare?* — *Cum sim,* inquit, *Athenis* [14] *nutritus, scire potes quod sum* [15] *Græcus, vocabulo etiam* [16] *Gislenus; et quia vere sum christianus, nulli* [17] *noceo meis artibus* [18] *nec bona concupisco alterius, quia solum diligo Deum, cui sacerdos deservio quamvis indignus.* Intelligens ergo rex quod vir sanctus totus esset angelicus, relicta fera acceptaque benedictione a tanto sacerdote, reversus est cum suis omnibus benedicens Deum, qui semper est mirabilis in suis fidelibus.

— [3] *ab hoc verbo rursum incipit* 1. — [4] *om.* 7, 8, 9. — [5] (p. f. c.) mendacii semper amatores 7, 8, 9. — [6] ita 3. — [7] perturbare 5; 7, 8, 9. — [8] (Quanta-vendicat) *om.* 7, 8, 9. — [9] (R. i. v.) i. v. R. 5; i. R. v. 8, 9; ait R. v. 7. — [10] es *add.* 7. — [11] et 8, 9. — [12] actionis 7, 9; es actionis 8. — [13] (n. q. a.) incarminando 7, 8, 9. — [14] (i. A.) A. i. 8, 9. — [15] sim 7. — [16] (v. e.) vocorque 7, 8, 9. — [17] nullis 4. — [18] incarminationibus 7, 8, 9.

VI[1]. De beato viro ursam insequente, et aquila ducatum cælitus præbente.

Sancto igitur Gisleno cœpto operi[2] insistente, surrexit fera de loco ubi quieverat prospere[3], acceptaque[4] sportella cum sacris vestibus, unde solitus erat missas celebrare, pedetentim cœpit ire. Videns autem sanctus hoc factum mirabile valde tulit moleste; sed nesciens quid posset[5] facere, solito more totum se[6] convertit ad Deum cum oratione, sicque institit[7] ore : *Domine Deus, omnium bonorum largitor, si est tuæ majestati*[8] *acceptum, quod tibi servio, qui fuisti dator et ipse sis redditor.* His dictis cum desideraret, baculo accepto, post bestiam currere, quamvis ignoraret[9] quorsum posset tendere, ecce adest aquila cælitus missa ducatum præbens viæ; quæ nunc remigio alarum suarum aera[10] secans, nunc subinde reexspectans, ita ducebat sanctum per condevia recto itinere, ut liquido cognosceres non fortuitu illam advenisse sed sancti viri oratione. Transacta autem solitudine, pervenerunt in campum, ubi invenerunt pastores gregum, qui referunt se vidisse beluam[11] ferentem quoddam vestimentum[12], insuper ostendunt ei locum dumosum et valde condensum, quem propter ursam, quæ ibidem catulos suos solita erat nutrire, incolæ vocabant quasi ethimoloice Ursidongum.

VII. De belua viro Dei obaudiente, et veste sacerdotali illæsa apparente.

Quo audito vir sanctus properanter venit ad locum[1] et lustrando dumetum inter brachia tandem catulorum[2] repperit vestimentum Deo conservante immaculatum; sicque ejus

Caput VI. — [1] V[a] 1; *notandum enim quod, licet in elencho capitulorum duodeviginti numeri totidem capitulis præfigantur, in ipsa Vita tamen ita distribuuntur numeri, ut non duodeviginti, sed duodecim tantum, per modum duodecim lectionum, totidem partibus anteponantur; quod semel indicasse sufficiat.* — [2] opere 7. — [3] *om.* 4. — [4] et accepta 7, 8, 9. — [5] possit 8, 9. — [6] (t. se) se t. 3. — [7] inquit 8, 9. — [8] (t. m.) m. t. 8, 9. — [9] (q. i.) sed ignorabat, utpote nescius viæ 7, 8, 9. — [10] aerem 7. — [11] (se v. b.) se v. feram 8, 9; feram se v. 7. — [12] (q. v.) v. q. 8, 9.

Caput VII. — [1] (p. v. ad l.) v. ad l. p. 5. — [2] (t. c.) c. t. 7.

anima magnificans Dominum, et spiritus exsultans in Deo salutari benedixit nomen illius [3] quod est sanctum, qui perduxisset eum recto itinere ad locum sibi a se præelectum. Deinde præcepit bestiæ ex Christi nomine ut alias tendens, sine alicujus læsione latibulum prospiceret sibi aptum cum omni festinatione. Quæ dicto citius sancti viri præceptis paruit atque in eodem loco ultra [4] nusquam comparuit. Res mira, quam operatur in sanctis suis divinæ majestatis omnipotentia. Præcepto servi Dei obœdit bestia ferocissima; nos vero, qui debemus esse [5] munda et rationabilia [6] animalia, adimplere recusamus Creatoris [7] et Redemptoris nostri mandata. Qua in re considerandum est quod tunc sunt [8] bruta et irrationabilia subdita hominum [9] præceptis, quando ille qui ad imaginem Dei est conditus non aberrat a via veritatis.

VIII. Quod oratorium construxerit et Cellam apostolorum vocitaverit.

His ita transactis sanctus vir congaudens tam præsago initio sui operis benedixit Deum ex totis præcordiis, qui usque in finem seculi secundum suum promissum adest [1] fidelibus suis. Deinde cœpit locum sibi a Deo ostensum mundare ac sic, quia fervens erat Christi amore, secundum quod fuerat cælitus sibimet [2] monstratum, templum nominibus apostolorum Petri et Pauli insignitum ibidem [3] construere, mutatoque nomine Cellam Apostolorum nominari voluit tam latino quam rustico sermone. In qua videlicet cella secum habitans [4], qualiter humanam laudem fugiendo [5] celaverit se mundo et vixerit Deo, mortalis mens [6] per omnia non valet referre, cum tamen sit clarius luce, quod atterens corpus suum fame et [7] frigore semper vixerit in cilicio et cinere, sciens quod per multas tribulationes oportet Christianum in regnum Dei introire. Unde quia omnium virtutum flore

— [3] ejus 7. — [4] *om.* 7. — [5] (d. e.) e. d. 3, 4, 5; 7, 8, 9. — [6] (m. et r.) r. et m. 7. — [7] salvatoris 7. — [8] *om.* 8, 9. — [9] sunt *add.* 8, 9.

Caput VIII. — [1] (sec. s. p. a.) a. sec. s. p. 7. — [2] sibi 8, 9. — [3] *om.* 5. — [4] (s. h.) h. s. 7, 8, 9. — [5] (h. l. f.) f. h. l. 5. — [6] spes 3. — [7] *om.* 8, 9.

videbatur [8] decoratus, visitabatur a pluribus qui ejus sacris instituti moribus Dominum magnificabant in suis operibus.

IX. Quod Cameracum, jubente præsule Autberto, adierit, et ab eo digne susceptus, dignius autem [1] remissus sit.

Qua [2] tempestate Cameracensis ecclesia Autberto præsule gaudebat, et tanti viri meritis in cælum usque tendebat; cujus fidei ac si columnæ lucis innitebatur, in qua etiam fidelium populus spe et caritate fundabatur. Qui [3] compertis viri Dei [4] virtutibus, mandavit ut ad se veniret [5] quantocius [6], volens probare, utpote vere catholicus, si esset ex Deo [7] spiritus [8]. Qui pontificali decreto humiliter se subdens ire perrexit Cameracum adiens. Cum autem appropinquasset villæ, quam incolæ Resinum vocant rustice, nocte cæruleo amicta peplo superveniente, susceptus est hospitio cum omni caritate a quodam ingenuo paupere, qui deprecatus est sanctum virum humillime ut in revertendo idem hospitium dignaretur inhabitare. Cum autem [9] pervenisset ante episcopum, monitus est ut exponeret [10] sui generis suæque peregrinationis modum. At ille prore pauca loquens: *Natione,* inquit, *sum Græcus* [11], *dignitate christianus, religione vero* [12] *monachus atque sacerdotum minimus; partesque Galliæ aggressus inhabitare desidero locellum, qui antea vocabatur Ursidongus, ibique in honore apostolorum Petri et Pauli oratorium ædificare cupio, secundum quod mihi ostensum est divinitus* [13]. *Quod ut fieret juxta tui oris sententiam, decreveram equidem licentiæ et consilii gratia* [14] *tuam expetere* [15] *misericordiam; sed tua prudentia prævenit* [16] *meam ignaviam.* Beatus vero Autbertus prospiciens florere in sancto viro ornamentum totius sanctitatis ac [17] religiositatis, sacris recreatum verbis atque fultum

— [8] (f. v.) v. f. 7.

Caput IX. — [1] *om.* 2. — [2] (Qua-virtutibus) Quod comperiens sanctus Autbertus, Cameracensis episcopus 7, 8, 9. — [3] hic 1 *post ras. man. rec.* — [4] (v. D.) D. v. 5. — [5] (ut ad se v.) ad se venire 7. — [6] quam citius 5. — [7] (e. ex D.) ex D. e. 8, 9. — [8] *om.* 8, 9. — [9] (C. a.) C. ergo 3, 4, 5; 8, 9; cumque 7. — [10] exponere 9. — [11] (s. G.) G. s. 7. — [12] vere 7. — [13] cælitus 8, 9. — [14] gratiam 2. — [15] expectare 7. — [16] (pru. præ.) præ. pru. 7. — [17] atque 7.

munere supernæ benedictionis dat eum abire, ut expleret monita supernæ jussionis.

X. De muliere a partu erepta et prole divino famulatui mancipata.

Sanctus autem [1] vir per omnia catholicus, benedictione episcopali donatus, solitudinem sibi dilectam adire desiderans, reversus est quantocius [2]; sed quia in prædicta villa supervenit ei nocturnum tempus, hospitandi gratia extemplo a præfato hospite præparata est [3] nitida domus. Quo discumbente, ecce projicit se hospes ad vestigia sancti viri orans cum [4] humillima prece ut pro sua conjuge dignaretur Dei misericordiam interpellare, quæ ob difficultatem partus jam videbatur morti vicina esse. A quo fidelis hospes id responsi [5] accepit cum prophetica voce : *Expelle, o homo, mæstitiam a corde, quia uxor reddita* [6] *vitæ gaudium tibi duplicat puerulo jam* [7] *vagiente*. Quo audito vir fidelis non quasi [8] incredulus propheticæ responsionis [9] celerrime cucurrit ubi paulo ante [10] dimissa erat mulier [11] pæne exanimis, atque ita inveniens ut prædixerat vates veritatis, reversus est ad hominem Dei, laudans Dominum in excelsis. Qui iterum prosternens se sancti viri pedibus deprecatus est cum [12] humillimis precibus, quatinus puerulus sibi a Deo datus suo ministerio suisque sacris orationibus [13] pro nomine Christi [14] fieret christianus, ac sacro chrismate perfusus sacroque baptismate regeneratus suus mereretur esse filiolus. Facto itaque mane, non distulit mens sancti viri, quæ die noctuque [15] salutem animarum sitiebat, adimplere quod mens devota studuit postulare. Quibus spiritualis pater spiritualiter expletis, celeri gressu cum compatre maturavit ire ad locum dilectæ solitudinis. Videns vero compater quod ille locus aptus esset Christo famulantibus, cupiens mercari æterna pro tempora-

Caput X. — [1] igitur Gislenus 7, 8, 9. — [2] quam citius 5. — [3] sibi *add.* 7, 8, 9. — [4] eum 5. — [5] (id r.) tale responsum 7. — [6] est *add.* 2. — [7] (p. j.) j. p. 7. — [8] (n. q.) q. n. 7. — [9] *ita prius etiam* 1, *at ex corr.* responsioni. — [10] *om.* 8, 9. — [11] (d. e. m.) m. d. e. 7. — [12] eum 5. — [13] (s. o.) o. s. 7. — [14] (n. Ch.) Ch. n. 7. — [15] ac nocte 8, 9.

libus, quidquid alodii sui juris in Resino habere videbatur, tradidit gloriosis terræ principibus, sicque domum reversus vitam mutavit [16] in melius.

XI. Quod piscis e fluvio prosilierit et pedibus sanctorum palpitans occubuerit.

Per idem autem tempus cum beatus confessor Amandus amabilis Deo et hominibus, quem [1], ut legitur in vita ipsius, cogente Dagoberto rege ac pontificibus, per triennium fere invitum [2] tenuit Trajectensis [3] episcopatus [4], de eodem episcopio reverteretur, zelo Dei, ut quondam Elias, zelatus, contigit ut visitandi et consolandi gratia adiret locum, quem incolebat sanctus Gislenus. A quo vir sanctus cum honorifice esset, utpote [5] episcopus, susceptus, more solito mentes fidelium qui aderant recreabat documentis [6] salubribus [7], inflammans eas igne sancti Spiritus. Qui imbuti pabulo sanæ doctrinæ, ac accensi geminæ dilectionis ardore, ditati insuper cælesti benedictione deducunt sanctum episcopum tendentem ad Helnone. Qui cum deduceretur [8], cœpit super hoc angustari [9] beatus Gislenus, quod servus Dei carnali cibo redibat impastus, qui escam animæ ministrasset sibi suisque omnibus. Cum igitur versaret se in omnes partes, et [10] ad servitium tanti pontificis non adeo invenirentur læti claustri parietes, jamque super hoc [11] videretur humillime [12] prætendere excusationis [13] preces, stantibus illis propter [14] Hainæ [15] fluvium, ubi parati remiges [16] exspectabant sanctum virum, ecce piscis non parvi corporis, quem vocant lucium, dans saltum projicit se [17] in siccum [18]; qui palpitans videbatur quasi annuntiare : “ Ecce quam bonum

— [16] (v. m.) m. v. 7.

Caput XI. — [1] qui 1 *ex corr.* — [2] invitus 1 *ex corr.* — [3] Trejectensis 3, 5. — [4] episcopatum 1 *ex corr.* — [5] *ita prius etiam* 1, *at post ras.* ut; (utp. ep.) *om.* 2. — [6] monitis 7. — [7] salutaribus 2; 8, 9. — [8] duceretur 8, 9. — [9] angustiari 7, 8, 9. — [10] (et-parietes) et pæne vacuæ invenirentur arces 7, 8, 9. — [11] (s. h.) *om.* 7, 8, 9. — [12] *om.* 7, 8, 9. — [13] (præt. e.) e. præt. 7. — [14] *ita man. pr., at corr.* prope *in* 1, 2. — [15] haine 5; hacne 7; hagne 8, 9. — [16] (p. r.) r. p. 8, 9. — [17] (p. se) projecit se 4; projecit 8, 9; prosilit 7. — [18] medium 7.

et quam jucundum fratres cum caritate habitare [19] in unum." Qua de causa inter sanctos viros pia oritur contentio [20] quia beatus Gislenus hoc Dei donum [21] dabat meritis beati Amandi, sanctus vero episcopus nihilominus pii sacerdotis Gisleni precibus [22]. Unde fratres gratias superno largitori referentes, sub nomine caritatis sanctum episcopum ad claustra reducunt gratulantes, atque hymnum Deo dicentes; cum caritate et reverentia sumunt cibum unanimes; hymnis deinde dictis, colloquuntur de cælestibus beneficiis, et sic dantes invicem oscula [23] pacis commendant se sub potestate [24] sanctæ Trinitatis.

XII. Quod vir Domini regi occurrerit et ab eo munificentia regali donatus sit.

His ita peractis [1] miraculorum patrator Amandus Helnonenses [2] fratres revisit; sanctus vero [3] cœpto operi morem [4] gessit [5]. Dum vero templum quod cœperat perficere operando desideraret, contigit ut præfatus rex Dagobertus iter illius cellæ contiguum carperet. Quod cum audisset vir sanctus, sciens se subdi debere regi quasi præcellenti, sumpto evangelio cum thymiamate [6] occurrit ei [7] obvius; quo [8], ut regalem decebat excellentiam venerabiliter salutato, versiculum hunc vir [9] beatissimus ex prophetico induxit oraculo : *Domine, salvum fac regem, et exaudi eum quacumque die te fideli mente* [10] *invocaverit; fiatque pax in virtute sui* [11] *itineris, et abundantia in turribus suis.* At ille clementer eum resalutans: *Sacerdotes tui, Domine,* inquit [12], *induantur* [13] *justitia, et sancti tui exsultent.* Sicque dans illi pacis osculum, petivit [14] ut pro suis sceleribus pium [15] interpellaret Dominum. Comperiens itaque [16] rex in operibus manuum beati viri [17] Dominum ma-

— [19] (f. c. c. h.) h. f. 7, 8, 9. — [20] contemptio 5. — [21] (D. d.) d. D. 8, 9. — [22] (p. s. G. pr.) pr. sancti G. 7, 8, 9. — [23] osculum 8, 9. — [24] custodia 5.

Caput XII. — [1] patratis 7; transactis 5. — [2] helconenses 7. — [3] Gislenus *add.* 7, 8, 9. — [4] more 3. — [5] (m. g.) institit 7; insistit 8, 9. — [6] tiamiamate 2. — [7] *om.* 7. — [8] (Quo-oraculo) atque salutans eum ita infit ocius 7, 8, 9. — [9] *om.* 3. — [10] (te f. m.) f. m. te 7. — [11] tui 5. — [12] (D. i.) i. D. 7. — [13] (inq. ind.) ind. inq. 2. — [14] petunt 5. — [15] *om.* 7. — [16] (C. i.) Denique audiens 7, 8, 9. — [17] (b. v.) illius 7, 8, 9.

gnificari[18], divina tactus inspiratione[19] Hornutum atque Ursidongum Christo et servo suo[20] cum omnibus appendiciis[21] delegavit, et donativum testamento regali stipulandum perpetuo dictavit[22]. Peracta deinde tam sollemni traditione, rex cœpto itineri institit cum pace. Sacerdos quoque Christi Gislenus regalibus beneficiis solatiatus[23], servitio Christi instabat ardentius: gratias illi referens qui suo moderamine prosperatur suorum fidelium actus.

XIII. De consecratione oratorii et conversione comitis Madelgarii[1].

Cum[2] non post multum oratorium, quod divina admonitione fideliter est inchoatum, feliciter[3] esset peractum, deprecatione beati[4] Gisleni a sanctissimis Christi[5] episcopis, Autberto videlicet atque Amando[6] cum maximo cleri plebisque tripudio in honore[7] Apostolorum ecclesiastico more[8] decentissime est dedicatum. Completa siquidem dedicatione, populo vero pasto prædicatione nec non corroborato in fide, donato[9] insuper episcopali benedictione, unusquisque rediit[10] ad[11] sua cum pace, laudans Deum[12] corde et ore[13]. Inter quos quidam comes nobilis nomine Malgerus[14], prædicantibus episcopis divina inspiratione compunctus, fallaci mundo renuntiato cum suis actibus[15], capite est tonsus præfati[16] Cameracensis episcopi[17] manibus, ac quia crucem Domini tollendo vestigiaque illius sequendo, mundo volebat esse mortuus, in Alto Monte sub regulari habitu est reclusus, quem, Dei gratia illum[18] præveniente et subsequente, immaculatum servavit fine tenus.

— [18] magnificare 7, 8, 9. — [19] dedit *add.* 7; dedit ei *add.* 8, 9. — [20] (Ch. et s. s.) *om.* 7, 8, 9. — [21] (appendiciis-institit) quæ videbantur ad se pertinere. His patratis rex regali traditione abiit viam suam (gaudens *add.* 7) 7, 8, 9. — [22] ditavit 2. — [23] consolatus 2; solatus *corr. ex* solatiatus 4.

Caput XIII. — [1] Maldegarii 2. — [2] Dum 5. — [3] fideliter 2, 4, 5. — [4] sancti 3, 4, 5; 7, 8, 9. — [5] *om.* 7. — [6] (Au. v. a. Am.) Am. v. a. Au. 7. — [7] beatorum *add.* 7. — [8] (e. m.) *om.* 7, 8, 9. — [9] data 5; 7, 8, 9; donata 4 *ex corr. man. post.* — [10] redit 7. — [11] in 7. — [12] (c. p. l. D.) l. D. c. p. 7, 8, 9. — [13] (c. et o.) *om.* 7, 8, 9. — [14] *ita etiam* 2; Madelgarius 3 *ex corr. rec.* — [15] omnibus 8, 9. — [16] *om.* 7, 8, 9. — [17] (C. e.) e. C. 5. — [18] *om.* 7.

XIV. De præfati comitis uxore monitis beati viri seculo renuntiante.

Uxore vero illius caste in seculari habitu degente, ac [1] proles et prædia strenue gubernante, beatus Gislenus monitus est divina voce quatinus visitaret illam Dei ex parte, diligenterque erudiret ex his quæ pertinent ad salutem animæ : docens fluxus seculi [2] calcare, mundum relinquere, ac solum Christi vultum adamare; quem [3] diligere et ejus præceptis obœdire vere est vivere. Qui, ut impiger Christi minister, exsequens mandata sibi divinitus data [4], sitienti animæ sufficientissime propinavit æternæ vitæ pocula, quibus famula Christi Waldedrudis [5] feliciter debriata totam se præparavit ad bene agendum ut Christi vernula. Sed quia [6] deerat sibi conveniens cella, ubi regulariter vivendo maceraret [7] sui [8] corporis membra, circa frequens ministerium erat sollicita, turbabaturque erga plurima, ut quondam illa evangelica Martha. Unde nocte [9] quadam per visum beneficio cælesti exhilarari, quodque sibi [10] intranti ecclesiam [11] in villa Busuto sitam [12] blande leniterque daretur calix vini cum fragmine panis a beato Gaugerico videre [13] promeruit, atque tanti præsulis exhortatione saluberrima in hunc modum usa exstitit : *Age quod agis, operare quod operaris : quia placent Deo* [14] *opera tua et nobis.* Qua visione famula Christi non mediocriter refocillata, cum desideraret semper et ubique adimplere summi pastoris præcepta, orabat cum omni mentis instantia ut, aspirante sibi sancti Spiritus [15] gratia, illo præclaro [16] calice mereretur debriari ejus [17] sitiens anima, de quo cælesti sponso loquitur psalmista : « Calix tuus, inquiens [18], inebrians [19] quam præ-

Caput. XIV. — [1] et 7. — [2] (f. s.) s. f. 8, 9. — [3] (quem-vivere) in quem concupiscunt angeli sancti (s. a. 8, 9) semper inspicere (prospicere 8, 9) 7, 8, 9. — [4] facta 5. — [5] Waldetrudis 4, 5; 8, 9 *et sic deinceps.* — [6] quoniam 7. — [8] (v. m.) macerando domaret 7, 8, 9. — [8] *om.* 8, 9. — [9] (nocte-quodque) visum est ei in visu quod 7, 8, 9. — [10] *om.* 2. — [11] (i. e.) *om.* 1, 2, 3, 4, 5. — [12] sita 7, 8, 9 (*Cfr.* Act. SS., *tom. cit., p. 1033, num. 10 :* vidit... quasi intraret ecclesiam quæ est in villa Buxuto). — [13] (videre-exstitit) a quo etiam ex famine sacro recreabatur hoc modo 7, 8, 9. — [14] (p. D.) D. p. 8, 9. — [15] (s. S.) S. s. 7. — [16] claro 8, 9. — [17] *om.* 7. — [18] *om.* 7, 8, 9. — [19] *om.* 5.

clarus est. „ Tali namque animo prædicta sancta fervens in Dei [20] obsequio [21] eamdem visionem manifestavit seminatori cælestis verbi beato Gisleno, audire volens [22] conjecturam [23] ex sancti præsulis responso. Intelligens autem sanctus vir relationem tam præclaræ visionis, ut prudens medicus et per omnia fidelis, pro poculo sanitatis non satis adhuc firmæ menti et quasi de visione glorianti statim propinat ita inquiens verbum salutis : *Quia in visu audisti quod placeres Deo, oportet ut omnia tui corporis membra cælesti subdantur sponso, ejusque solam pulchritudinem amplectendo, vilescant oculis tuis ea quæ sunt in* [24] *mundo, quatinus membra carnis mortificando, membrum de corpore Christi esse merearis, spiritu ambulando. Unde ut vivens* [25] *videaris mortua, quæ supersunt tibi temporalia bona pauperes et peregrini recondant* [26] *in illa cælesti patria, quatinus, vocante te novissima tuba, audire merearis voce dominica : " Euge* [27]*, fidelis vernula : quia non infidelis fuisti in pauca, statuam te super* [28] *multa. Atque ut* [29] *hujus rei vera suscipias insignia, ad gaudia nostra perintra ". Tunc cum glorificatione justorum* [30] *gaudio pleno atque perfecto cuncta recipies centuplicata, quæ in præsenti pro nomine Domini visa* [31] *es expendisse parva* [32]. *Quocirca nec pes nec manus cesset a bono* [33] *opere, quia aderit fidus remunerator, qui secundum suum* [34] *laborem propriam mercedem reddet singulis retributionis in tempore* [35]. Qua visionis resolutione mens Deo devotæ [36] feminæ [37] accensa totamque [38] se convertens ad Deum sic est prolocuta : *Fiat misericordia tua, Domine, ut consoletur me secundum eloquium servi tui, veniantque super me miserationes tuæ* [39] *et vivam; et ut lex tua sit meditatio mea, fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.* Deinde prosternens se sancti viri pedibus orabat [40] cum humillimis precibus quatinus provideretur sibi locus, qui esset aptus

— [20] (f. i. D.) D. f. i. 2. — [21] servitio 8, 9. — [22] quid *add. hic codd. omnes ; at in* 1 *erasum est, in* 4 *deletum.* — [23] (conj.-responsio) præsagaret sancti viri responsio 7, 8, 9. — [24] *om.* 7. — [25] *om.* 2. — [26] recordentur 8. — [27] serve *add. et delet* 4. — [28] supra 8, 9. — [29] (A. ut) Utque 7, 8, 9. — [30] (c. g. j.) gaudens ancilla Christi 7; g. a. 8, 9. — [31] jussa 3. — [32] simpla 7, 8, 9. — [33] (c. a b.) a. b. c. 8, 9. — [34] sui 5. — [35] (r. in t.) in t. r. 7, 8, 9. — [36] devota 7, 8, 9. — [37] *om.* 7, 8, 9. — [38] totam 7, 8, 9. — [39] (s. me m. t.) m. t. s. me 5. — [40] oravit 8, 9.

Christo famulantibus. Venerabilis autem sacerdos [41] ostendit ei locum silvosum, quem vocant [42] Montem Castrilocum, dicens prophetica voce illum ante [43] secularia tempora beatæ Waldedrudi a Deo esse provisum, ubi, ut erat sibi cælitus ostensum, sua institutione irent animæ sanctæ de virtute in virtutem, ut videri posset Deus deorum in Sion [44].

XV. De Hildulpho venerabili beatæ Waldedrudis petitionem adimplenti.

Placuit ergo beatæ Waldedrudi locus, et [1] pro ostensione ipsius Christo et servo suo in gratiarum mansit actionibus. Sed quia non erant arbusta quæque stirpata radicitus, orabat flexis genibus ut divina clementia suis aspiraret conatibus. Denique quia totis præcordiis portum desiderabat monasterii, consilio eximii patris Gisleni ad quemdam præclarum virum nomine Hildulfum legationem misit, orans ut [2] tam pro nomine Domini quam pro amore animæ suæ neptis, quæ illi erat sociata causa conjugii [3], in prædicto monte suo labore suisque sumptibus construeret cellulam sibi, quatinus ibi sobrietate semper comite vivens Christo, mortua videretur mundo, faciem sui Creatoris quamvis adhuc per speculum [4], ut ait Apostolus, die noctuque cernendo pedesque [5] Domini lacrymis rigando, exsistere posset [6] imitatrix [7] illius [8] felicis Mariæ feliciter quondam electæ a Domino. Audiens igitur hujusmodi petitionem vir venerandus magnificavit Dominum totis animi viribus, qui respexisset [9] humilitatem ancillæ suæ [10], ut misericors et pius [11]. Deinde [12] adiit locum cum summa festinatione cupiens mandata adimplere; sed quia videbatur locus alterius juris esse, paululum retracta est manus ab opere. Unde vir venerandus, facta conventione,

— [41] (V. a. s.) Tunc beatus Gislenus 7, 8, 9. — [42] vocavit 8, 9. — [43] cuncta *add.* 7, 8, 9. — [44] (D. d. in S.) in S. D. d. 7, 8, 9.

Caput XV. — [1] (et-actionibus) *om.* 7, 8, 9. — [2] *om.* 8, 9. — [3] (e. s. ca. co.) s. e. conjugio 7. — [4] (a. p. s.) p. s. a. et (in *add.* 9) ænigmate 7, 8, 9. — [5] pedes 5; (pedesque-posset) *om.* 8, 9. — [6] (e. p.) *om.* 7. — [7] existens *add.* 7, 8, 9 — [8] (im. il.) il. m. 5. — [9] respexit 7. — [10] (h. a. s.) a. s. h. 8, 9. — [11] justus 7, 8, 9. — [12] denique 7.

locum emit a possessoribus absque ulla pretii retardatione [13]: sicque celerrime facta est famulæ Christi [14] domus [15] ingenti præcellens [16] culmine. Quam cum vidisset famula Christi esse nimiæ [17] altitudinis, nil pretiosi quærens in solitudine hujus carceris, abhorruit culmen terrenæ habitationis, recogitans fabricatorem omnium ad tempus requievisse in angustia præsepis. Cujus humilitatem supernus artifex attendens, nocte insecuta, flantibus fortiter austris, domum illam evertit, patenter fidelibus suis [18] ostendens quod sua vernula Waldedrudis sibi placeret ut ovis argumentosa suo nomini deserviens. Celeri igitur fama vulgante, pervenit ad aures præscripti viri Hildulfi domum illam cecidisse opusque [19] suum et impensas tam cito perisse, quæ studuerat pro amore Dei non sine parva intentione peragere. Qua de causa subtristis effectus, suspicatus est quod fuisset tali opere indignus [20]. Tandem ergo [21] in se reversus, et [22] ruinæ causam a venerando sacerdote edoctus, meritis videlicet [23] beatæ feminæ et nutu divino rem peractam [24] cælitus, remeavit ad locum festinantissime atque gratia Dei in omnibus sibi favente, juxta quod ostensum ei [25] fuerat, humiliorem domum fabricari fecit [26] in montis latere simulque oratorium in sanctorum apostolorum [27] Petri et Pauli honore [28]. Ubi cum sequacibus famula Christi degens caste atque humillime, orabat illum, qui neminem vult perire sed potius ad viam veritatis perducere, ut secundum misericordiam suam [29] dignaretur illam vivificare, quatinus testimonia oris sui posset custodire. Et quia justitiam dilexit, ac Dominum in simplicitate cordis quærere studuit, invenire eum meruit in quo speravit et credidit. Tenendo ergo illum [30] firma fide, ut liberius posset [31] tenere, ipsius gratia inspirante, qui dat fidelibus suis benedictionem suæ gratiæ, sanctoque Gisleno exhortante [32], Cameracum maturavit

— [13] retractatione 7. — [14] (f. Ch.) *om.* 7, 8, 9. — [15] nitens *add.* 7, 8, 9. — [16] *om.* 7, 8, 9. — [17] (e. n.) n. e. 8, 9. — [18] (f. s.) s. f. 5. — [19] opus 8, 9. — [20] infelix 8, 9. — [21] (T. e.) verum ubi 7, 8, 9. — [22] (et-edoctus) cognovit, sancto Gisleno docente, quod 7, 8, 9. — [23] (videlicet-cælitus) sanctæ Domini factum esset voluntate 7, 8, 9. — [24] esse *add.* 5. — [25] (o. ei) ei o. 5. — [26] (fa. fe.) fe. fa. 5; 8, 9. — [27] *om.* 7. — [28] *Cum hoc verbo desinit* 3 — [29] (m. s.) s. m. 7. — [30] *om.* 7. — [31] possit 9. — [32] adhortante 7.

adire atque benedicente sancto Autberto pontifice, sacro induta est velamine, quod est signum innocentis vitæ. Quæ quamdiu advixit, virtutibus sacris vitam decoravit, suasque sequaces fluxus seculi calcare docuit, atque omnibus norma salutis et speculum sanctitatis fuit.

XVI. Quod exhortatione sanctorum Aldegundis virgo Christum elegerit sponsum.

His ita transactis, venerandus Domini sacerdos [1] Gislenus, operator in vinea Domini assiduus, semina divini verbi indebat hominum mentibus, optans omnes [2] similes sui exsistere [3], ut egregius [4] gentium doctor [5], in fide et veritate [6]. Et quoniam arguendo, obsecrando, increpando desiderabat omnes mundo abstrahere et Christo adquirere, opus faciens evangelistæ, verbum divinum prædicabat opportune, importune. Hujus rei gratia obtulit [7] Deo in excelsis precum libamina, quatinus suæ sationi incrementum daret Deus, quia potens est et sanctum nomen ejus. Quocirca, quia salus animarum suum semper erat sitire, [8] beatam Waldedrudem saluberrima [9] aggressus est admonitione, quatinus memor Scripturæ dicentis: „ Qui audit, dicat: veni „, sororem suam Aldegundem studeret Deo lucrari sacri [10] verbi famine, immo [11] et filias suas [12] Aldetrudem scilicet ac Madelbertam [13] agno [14] illi consecrare, qui est candidus vellere innocentiæ, rubicundus passione, electus ex millibus, sanctorum Ecclesia testante. Et quia in meliorandi gratia nulla fit mora, statim ut adest divina misericordia, sancta Waldedrude suggerente et sanctissimo patre Gisleno docente, totam se confert in Dei famulatum Aldegundis, Christi virguncula, pie et caste in cœnobio Malbodiensi [15], quod ei contigerat ex parentibus sorte hereditaria, serviens dilecto suo, qui pasci-

Caput XVI. — [1] (v. D. s.) sanctus 7, 8, 9. — [2] (op. om.) om. op. 7. — [3] fore 7. — [4] *om.* 7, 8, 9. — [5] apostolus 7, 8, 9. — [6] (in f. et v.) *om.* 7, 8, 9. — [7] (obtulit-libamina) orabat cum humillimis precibus 7, 8, 9. — [8] visus est *add.* 7; visum est *add.* 8, 9. — [9] (salub.-admonitione) monere 7, 8, 9. — [10] sacro 7. — [11] *om.* 7, 8, 9. — [12] (et f. s.) suasque f. 7, 8, 9. — [13] Madelbergam 2; Maldebertam 8, 9. — [14] *om.* 7, 8, 9. — [15] Malbodiense 7.

tur inter misericordiæ, mansuetudinis et castimoniæ lilia. Ibi [16] itaque ædificato oratorio, aliarumque officinarum habitaculo [17], sub umbra dilecti, quam [18] desideraverat, sedit, fructusque illius dulces in gutture sensit, eamque [19] amore sui [20] languidam [21] in cellam vinariam [22] introduxit, sicque [23] in ea [24] caritatem ordinavit. His quippe et aliis modis divina misericordia disponente de die in diem ad meliora conscendens [25], omnibus qui in domo Dei sunt videbatur esse lucerna ardens et lucens. Post hæc incidit sanctæ virgini cogitatio ut caritatis gratia sororem suam visitaret in Monte Castriloco. Quæ cum vidisset sororem suam plurimis hujus vitæ necessariis indigere, ejus condolens inopiæ [26], deprecata est ut secum [27] in castro Malbodii dignaretur commanere, ubi major [28] copia tam familiæ quam et totius boni videbatur inesse. At beata Waldedrudis, cui Christus erat vivere [29] et mori lucrum : *Hæc,* inquit, *soror, requies mea in seculum seculi hic; habitabo, quoniam, divina misericordia disponente, eam elegi. Qui enim cum fidelibus suis promisit se manere usque in finem seculi, non patietur me aliqua inopia periclitari : præsertim cum idipsum testetur sententia psalmigraphi* [30] *qui dicit : " se senuisse, nec justum derelictum vidisse, nec semen ejus panem quæsisse ". Unde reddat tibi, gratissima soror, largitor totius boni* [31] *præmium æternæ beatitudinis pro beneficio tuæ caritatis, atque revertens via pacis et salutis videre merearis bona Jerusalem cælestis, fidelemque Deum qui non patitur suos super id quod possunt tentari, sed cum tentatione facit etiam proventum ut possint sustinere; facie ad faciem intueri, ejusque inter amplexus versari, cui fidem* [32] *integerrimæ virginitatis servare disposuisti.* Plura sane de cælestibus disciplinis proloquentes, in Christi amorem suas accendunt mentes, et sic Aldegundis sacra virgo, Christo comitante [33] et [34] benedictione cælesti, ad cœnobium redit [35] Malbodii.

— [16] ibique 2. — [17] (a. o. h.) aliisque habitaculis necessariis 7, 8, 9. — [18] *ita etiam* 1 *man. pr. ; at corr. man. post.* quem. — [19] ac quia ejus (illius 8, 9) 7, 8, 9. — [20] (a. s.) s. amoris 5. — [21] (s. l.) languit 7, 8, 9. — [22] rex *add.* 7, 8, 9. — [23] atque 7, 8, 9. — [24] se 7, 8, 9. — [25] transcendens 2. — [26] (e. c. i.) c. e. i. 7. — [27] *om.* 8, 9. — [28] majori 8; major *corr. ex* majori 9. — [29] (Ch. e. v.) v. Ch. e. 7. — [30] psalmographi 8 *ex corr.;* psalmogravi 9 — [31] bonitatis 5. — [32] fidelem 5. — [33] (Ch. c.) Christi se c. 7; Christi c. se 8, 9. — [34] *om.* 7, 8, 9. — [35] rediit 7.

XVII. Quod sacerdos Domini Amandus e mundo migraverit, et idem beatæ Aldegundi per angelum patuerit.

Eodem tempore pretiosus Christi confessor Amandus, miraculorum operator egregius, cursu vitæ peracto fideliter, omnium bonorum fructu repletus, feliciter migravit ad Christum angelicis [1] manibus deductus, atque gratanter a Jesu benigno susceptus: cum quo [2] vivit perenni gloria coronatus [3]. In ipsa siquidem qua beatus transiit hora [4], dum nocte dominica beata Aldegundis vigiliis et hymnis in ecclesia Malbodiensis cœnobii ante altare sanctæ Mariæ [5] incubaret [6] humillima, in extasi mentis elevata, et ab angelo per amœna jucundæ habitationis deducta, vidit senem virum cygneo capite reverendum, sacerdotalibus et præclaris vestibus indutum, baculum manu tenentem, ad superna transire, turbamque copiosam albatorum ante et post eum iter habere. Cumque requisita, quis esset? nescire se [7] diceret, angelus Domini ita ei refert: *Amabilis Deo Amandus a seculo migravit; et quia pontifex in vita dignus exstitit, seque ipsum bonæ voluntatis obsequio atque sanctarum virtutum* [8] *exercitio divinæ majestati sacrificavit, tam gloriosus nunc ad gaudia sui Domini* [9] *pertransit* [10]. *Turbam* [11] *autem quam vides albatorum hi sunt* [12], *qui per instantiam prædicationis ipsius* [13] *ad exemplum tanti magistri feliciter informati, digni Deo et sanctorum, in cælestibus claritati judicantur adscribi. Quibus pro eo quod pastor extitit idoneus, in regno sanctorum* [14] *et terra viventium* [15], *princeps anteibit* [16] *omnimodis gratiosus.* Quam visionem nulli puellarum secum commanentium voluit referre : sed, missa celeriter legatione, mandavit sancto Gisleno ut cum beata Waldedrude non dedignaretur ad se visitationis gratia venire. Illis autem venientibus, occurrit obviam sancta virgo [17] in loco, qui dicitur Meinrivus atque mutuo

Caput XVII. — [1] *corr. man. rec. ex* angelis 4. — [2] ipso 7, 8, 9. — [3] laureatus 7. — [4] (q. b. t. h.) h. q. b. t. 8, 9. — [5] (s. M.) sanctissimæ matris Domini 8, 9. — [6] *ita etiam* 1 *man. pr., corr. man. post.* incumberet. — [7] (n. se) se n. 2. — [8] (s. v.) v. s. 8, 9. — [9] (g. s. D.) s. D. g. 7; g. D. s. 8, 9. — [10] pertransiit 8, 9. — [11] turba 7, 8, 9. — [12] *om.* 8, 9. — [13] illius 7. — [14] (r. s.) s. r. 8, 9. — [15] super eos *add.* 7, 8, 9. — [16] apparebit 7, 8, 9. — [17] (o. s. v.) eis beata (sancta 8, 9) virgo obvia 7, 8, 9.

se cum caritate salutantes, de cælestibus referebant quæque dulcia, Deo gratias agentes. Inter quæ Aldegundis virgo Deo amabilis sancto Gisleno, qui videbatur esse sacrarium Spiritus sancti, refert modum suæ visionis, patienter exspectans oraculum tanti vatis. Qui alta trahens [18] suspiria cordis [19], sciens pium esse gaudere Amando, et pium esse flere Amandum, sanctæ [20] virgini hujuscemodi [21] reddidit vir sanctus consultum : *Quia et* [22] *transitum et remunerationem tanti pontificis meruisti, virgo Christi, videre, in uno ictu oculorum duo dignata est* [23] *clementia divinæ pietatis* [24] *ostendere, ut sine intermissione sudores bonæ actionis studeas in cælum recondere, et recondendo veraciter credas* [25] *in proximo præmium illud* [26] *a fideli remuneratore te suscepturam esse, quod nec mortalis oculus videre, nec auris audire, nec in cor hominis valuit ascendere. Unde ne videaris in vanum currere aut cucurrisse, omni custodia stude cor tuum servare, unde vita videtur* [27] *procedere, sciens quod cito coronaberis corona gloriæ. Quod si ante exitum vitæ caro afflicta fuerit aliqua infirmitate, Deo gratias semper age; qui quos diligit vult corrigere, atque omnem filium quem recipit flagellare.* Perseverante igitur die noctuque [28] beata Aldegunde in servitio Dei, visus est morbus cancri in dextera mamilla ejus [29] suboriri, qui vehementer affligens teneritudinem suæ carnis, ita purgabat animam a sordibus cunctis ut purgatur aurum in camino ardenti [30]. Quæ tamen semper Deo gratias agens, patienterque ut quondam sanctus Job omnia sustinens, mentes fidelium [31] ad bene agendum accendebat [32], se ipsam in omnibus exemplum bonorum operum præbens.

— [18] cordis 7. — [19] cordis *fere deletum* 7. — [20] sacræ 7, 8, 9. — [21] (huj.-consultum) ita reddit consonans atque utile verbum 7 ; ita reddidit utile verbum 8, 9. — [22] *om.* 7. — [23] tibi *add.* 8, 9. — [24] tibi *add.* 7. — [25] (v. c.) c. v. 7 ; per patientiam expectando *add.* 7, 8, 9. — [26] (p. i.) i. p. 5. — [27] videatur 8, 9. — [28] (d. n.) *om.* 8, 9. — [29] *om.* 8, 9. — [30] (p. a. in c. a.) fornax metallum auri 7, 8, 9. — [31] (m. f.) f. m. 7. — [32] incendebat 8, 9.

XVIII. De largitione beatæ Waldedrudis et dormitione venerandi Christi sacerdotis [1].

Interea sacerdos [2] Domini Gislenus cum beata Waldedrude unde venerant revertentes, nomen Domini, quod est benedictum in secula, benedicunt, de misericordiis ipsius colloquentes. Cum autem ad villam, quam vocant Framereias, pervenissent, illicque parum resedissent, sancta Waldedrudis [3] sollicita revolvens [4] mente, quod lumen elemosinæ incendium peccati valet exstinguere, quamdam partem [5] ejusdem villæ pro nomine Domini tradidit beato Gisleno cum legali traditione. Sicque festinantes ad propria, et [6] divinæ caritatis inflammati copia, quosque sibi subditos [7] geminæ dilectionis ardore reddebant fervidos [8]. Quis enim sermo, quæve lingua hominum valet referre quali caritate hortarentur se invicem nunc verbis, nunc scriptis : ad meliora conscendere, spirituales filios educare, lapsos de faucibus antiqui hostis eripere, et ereptos clypeo dominicæ protectionis defendere, atque defensos, comitante se [9] gratia Christi [10], ad superna levare? Cum vero curva [11] senecta et iter longum jam prohiberent ultra progressum [12], communi consilio statuerunt ut in villa Quaternione ædificaretur sub sancti Quintini martyris [13] honore oratorium, ubi pro tempore caritatis causa convenientes repararent animi statum, colloquentes [14] de cælestibus secundum sancti Spiritus donum. Facto itaque [15] a beata Waldedrude oratorio ad hoc, tradidit illud, utpote sui juris alodium, gloriosis terræ principibus [16] Petro et Paulo, ut esset pauperum refectio, audire cupiens in die magni examinis sermone dominico: “ Quam diu fecisti uni ex minimis meis, mihi fecisti; ideoque [17] in dextera Patris sedem promeruisti „. In eodem siquidem orato-

Caput XVIII. — [1] confessoris Gisleni 2. — [2] sanctus vir 7, 8, 9. — [3] Waldrudis 7. — [4] (s. r.) recogitans 7, 8, 9. — [5] pertem 2. — [6] (et-copia) fervente in eis caritate 7, 8, 9. — [7] accendebant *add.* 7, 8, 9. — [8] (r. f.) *om.* 7, 8, 9. — [9] *om.* 7. — [10] (g. Ch.) Ch. g. 7. — [11] cuncta 5. — [12] (u. p.) visendi modum 7, 8, 9. — [13] (Q. m.) m. Q. 4, 5; 7, 8, 9. — [14] convenientis 8 *ultimis litteris supra ras.;* convenientes 9. — [15] (f. i.) factoque 2; facta autem 7. — [16] (t. p.) p. t. 5. — [17] (ideoque-promeruisti) prudenti sat consilio 7, 8, 9.

rio, multis sacris [18] collationibus [19] frequenter habitis, non jam vere videbantur loqui de terrenis, sed quasi facie ad faciem vultum cernerent sui Creatoris, sic conferebant de divinis. Denique cum reverterentur ad propria, ut prudens apes quæque florum dulcia fert ad alvearia, sic deferebant ad sua claustra quæque virtutum germina, unde pascerentur fidelium corda. His et aliis modis fidelis servus et prudens Gislenus, quem constituerat super familiam suam Dominus [20], plures introducebat in ovile dominicum, ut daret illis in tempore [21] tritici mensuram largis manibus, mente retinens quod beatus est ille [22] servus quem invenerit vigilantem cum venerit [23] dominus. Et quia assiduus et pervigil [24] inventus est in mandatis Domini [25], calcare meruit caput serpentis antiqui, atque omnium vitiorum fallacis mundi. Unde et ara et sacerdos effectus, corpus suum exhibuit divinæ majestati hostiam vivam, sanctam, Deoque placentem, expurgatis omnibus veteribus, atque novum hominem indutus, ut probaret quæ sit voluntas Dei bona et bene placens et perfecta, seipsum reformavit in novitate sensus, sciens se ad hoc vocatum [26], ut benedictionem hereditate possideret cælitus. Quocirca ut vitam quam diligebat, mereretur invenire, diesque bonos videre [27], secundum Apostoli præceptum omni tempore suæ vitæ [28] linguam studuit a malo coercere nolens dolum ex labiis [29] proferre; sed magis declinando malum, pacem semper studebat inquirere, eamque sequi tota [30] mente, præbens universis, quos contemplantur oculi Domini, exemplum omnis justitiæ, quatinus Dominum Christum [31] sanctificaret in suo corde. Talia siquidem operando, bonus odor Christi effectus est in omni loco, replens nares fidelium odore virtutum quasi ex aromate contuso. Cum igitur nardus ejus [32] ita videretur omnibus fraglare [33] sancta et

— [18] satis 7. — [19] collocutionibus 8, 9. — [20] (sup. f. s. D.) D. sup. f. s. 5. — [21] (in t.) *om.* 7. — [22] *om.* 8, 9. — [23] *corr. ex* invenerit 1. — [24] (et p.) vigilator 7, 8, 9. — [25] (i. e. in m. D.) in m. D. i. e. 8, 9. — [26] vocatum esse 7; e. v. 8, 9. — [27] *ab hoc verbo incipit* 6. — [28] (s. v.) v. s. 2. — [29] suis *add.* 8, 9. — [30] totam 7. — [31] (D. Ch.) Ch. D. 6, 8, 9. — [32] (n. e.) sua n. 7; n. sua 6, 8, 9. — [33] fragrare 1 *ex corr.;* flagrare 2, 4.

immaculata hostia Christi [34] Gislenus, ipsi altari jam videbatur appropinquare; unde et indicat suis [35] resolutionem sui corporis [36] imminere. Qui circumstantes ac dolorem cordis fletu oculorum ostentantes [37], sic ex corde ad Deum proclamant [38] unanimes: *Defende tua pietate ab insidiis antiqui hostis* [39] *nos, Domine Jesu Christe, quos relinquis destitutos* [40] *pastore tantæ* [41] *justitiæ.* Illis autem ejulantibus, sacerdos [42] Domini Eucharistiæ mysterio munitus febre est correptus, ac omnium odore virtutum repletus inter discipulorum expiravit manus, atque congaudentibus sibi supernis cœtibus, angelorum obsequiis ad cælos est evectus. Sicque stola beatæ immortalitatis donatus [43] cum illo vivit gratiosus, cui in præsenti servire studuit [44] indefessus. Cujus beatas exsequias et qui aderant [45] multisque [46] ex partibus confluxerant fratres [47] more fidelium [48] prosequentes, corpusculum [49] ipsius in ecclesia beatissimorum [50] apostolorum Petri et Pauli, quam ipse construxerat, recondunt, et [51] debiti honoris reverentiam impertiri non desinunt: ubi ejus sacris [52] meritis debiles variis infirmitatibus detenti sanitatem recipiunt, omnipotenti Deo gratias agentes; cui cum æterno Patre et Spiritu sancto [53] nunc [54] et semper jure debentur et grates et laudes [55].

Explicit egregii Gisleni vita patroni [56].

Incipit [1] sermo super miracula ipsius [2].

1. Novit, carissimi, dilectio vestra, quos per puræ [3] fidei sacramenta et sacræ regenerationis baptisma Domino generavit [4] sancta mater

— [34] (h. Ch.) Ch. h. 7. — [35] *om.* 5. — [36] (r. s. c.) s. c. r. 5. — [37] promentes 6, 7, 8, 9. — [38] (ad D. p.) p. ad D. 7. — [39] inimici 7. — [40] tanto *add.* 8, 9. — [41] tantæ *om.* 8, 9. — [42] *om.* 5. — [43] indutus 7. — [44] (se. st.) st. se. 7. — [45] fratres *add. at del.* 5. — [46] multis 2. — [47] *om.* 5. — [48] (m. f.) f. m. 7. — [49] corpus 7. — [50] om. 7. — [51] (et-desinunt) mirabiliter tractantes 7; venerabilius tractantes 8, 9; venerabi 6 *in quo, quia inferius folium resectum est, lacuna est usque* vivit (*vide annot.* 53). — [52] (e. s.) s. e. 2. — [53] cum quibus vivit per immortalia secula seculorum. Amen. *add.* 7; vivit per immortalia secula seculorum. Amen. 6. — [54] (nunc-laudes) *om.* 6; est laus, honor et gloria per immortalia secula seculorum. Amen. 8, 9. — [55] per infinita seculorum secula *add.* 2. — [56] *ita* 6; (Expl.-patr.) *om.* 1, 4, 5, 7. 9; EXPLICIT (DE *add.* 2) VITA SANCTI GISLENI CONFESSORIS 2, 8.

SERMO. Num. 1. — [1] *Sermo deest in* 3, 4, 6, 8, 9. — [2] (Incipit-ipsius) *om.* 1; SERMO IN FESTIVITATE BEATI GISLENI LEGENDUS DE ELEVATIONE ET CLARITATE MIRACULORUM EJUS 7. — [3] (per pu.) perpetuæ 2. — [4] regeneravit 7.

Ecclesia, quod verbo Domini, ut canit psalmista: " Firmata sunt cuncta cæli terræque creata, „ affirmante idipsum Evangelista, qui attestatur nihil sine ipso [5] factum esse in rerum omnium massa. Unde non immerito persolvunt ei jubilationis laudem cælestia et terrestria, sensibilia sive insensibilia, quia " ipse dixit et sunt facta [6]: ipse mandavit et sunt creata „. Quod brevi concludens psalmista verbo: " Omnis spiritus, inquit, laudet Dominum „ tempore et ordine suo. Ergo si omnis spiritus in eo quod est debitas Deo reddit laudes [7], quas [8] laudum putatis gratiarumve actiones [9], dilectissimi [10], conditori nostro sumus debitores [11], cujus sapientia nos [12] ad laudem sui sancti nominis, ceteris [13] animantium creaturis formavit sensibiliores, ac vultu, quo in sublime erecto cælum dedit tueri, elegantiores; cujusque sola misericordia reformatum est corpus humilitatis nostræ [14], configuratum corpori claritatis suæ, ut nos immortalitatis suæ donaret [15] esse participes? Jure igitur ab eorum ore, quos sancta mater per fidem Domino generat Ecclesia, numquam recedit laus divina: quia indignum valde est ut illius laudem [16] taceat lingua, in quo vivit, movetur et esse habet humana vita, cujusque sola clementia fidelis et devota Deo anima sperat se percepturam æterna præmia. Qua de re nos admonens psalmista: " Benedicam, inquit [17], Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo „; et, " Benedic anima mea Domino „.

2. Quocirca, dilectissimi, qui gratia puræ dilectionis ad solemnitatem hujus sanctissimi [1] patris nostri confluxistis, quique fideli mente retinetis admonitionem psalmistæ dicentis: " Laudate Dominum in sanctis ejus, „ et vos [2] laudantes invocate Dominum, patrem totius consolationis, suppliciter obsecrantes [3] ut purget conscientias vestras sordibus cunctis, quatinus conscientia mundi, devotione summi, fide firmi, caritate igniti, digne mereamini offerre ei hostiam debitæ jubilationis. Illi quidem [4] jure debetur honor, gloria, laus et jubilatio in seculis æternis, cujus clementia sancta illustratur et sustentatur Ecclesia, cujusque [5] cotidianis sanctorum [6] miraculis atque suffragiis gloriatur innixa [7]; cujus magnalia, quæ ad declaranda sanctorum suorum merita salutem semper operantur in medio nostræ terræ, merito amplectenda sunt et prædicanda cum omni aviditate: quia ad corroboranda credentium corda saluberrimum valde exstat [8] ore incessanter ruminare, quod oportet mente jugiter retinere. Est quippe crementum

— [5] (n. s. i) s. i. n. 5. — [6] (s. f.) f. s. 2. — [7] grates 5. — [8] quod 7. — [9] (p. g. a.) *om.* 7. — [10] putatis *add.* 7. — [11] (c. n. s. d.) s. conditoris nostri d. 7. — [12] conditi sumus 7. — [13] (ceteris-formavit) terrenarum rerum creaturis 7. — [14] (h. n.) n. h. 7. — [15] faceret 7. — [16] carnalis *add.* 7. — [17] ait 7.

Num. 2. — [1] sancti 5, 7. — [2] (et v.) *om.* 7. — [3] postulantes 7. — [4] (I. q.) quoniam illi 7. — [5] *om.* 7. — [6] suorum *add.* 7. — [7] (g. i.) *om.* 7. — [8] (s. v. e.) non minimum est salubre 7.

perfectorum, recreatio flebilium, consolatio mærentium, conversio peccantium merita venerari sanctorum, et forma [9] recensere [10] gesta eorum: quia perfecti quique exemplis animati [11] venerabilium patrum ad altiorem conantur [12] conscendere gradum; flebiles et mærentes [13] limina lustrantes sanctorum cum munere orationum et flumine lacrimarum, optatæ consolationis gaudent se reportare effectum; peccator vero videns vota, gemitus et suspiria fidelium [14], etiam si, diabolo instigante, qui semper mortes quærit animarum, deliberavit animo eligere desperationis interitum [15], divina miserante clementia, cui super peccatore converso non minimum est gaudii [16], exemplo compunctus bonorum, citius recurrit ad salubris pœnitentiæ [17] remedium.

3. Proinde, dilectissimi, quia dignum est et justum in sanctis suis glorificare Dominum [1], quod, ut arbitramur, filiis sanctæ Ecclesiæ valde exstat proficuum, non credimus nos repugnare contra christianæ fidei [2] propositum, si debitum confessionis et laudis Domino persolventes famulatum, aliquid vel strictim vobis loqui tentaverimus, prout concesserit posse sancti Spiritus donum, de sacratissima patris nostri revelatione [3] et elevatione nec non et splendore miraculorum, quæ ipse, qui mirabilis semper apparet in sanctis suis, mirabiliter operari dignatus est per sacrum ejus meritum; quoniam quidquid honesti vel justi prædicatur de sudoribus militantium, laus est procul dubio regis milites ducentis in prælium. Unde constat luce clarius quod, sicut lætatur laudabilis miles [4] in procinctu belli positus [5] se evasisse diversos telorum ictus, ita nihilominus rex gaudet invictissimus, quando cum laudibus fortis suorum recolitur militum [6] triumphus. Et sicut felix dicitur miles qui feliciter meruit pugnare, ac fortiter pugnando hostem prosternere; ita nimirum mirabilis categorizatur [7] rex [8] qui in certando militem armavit armis perseverantiæ. Denique quantum proficit militibus ad gloriam, singulos eorum pro meritis donari a rege corona immarcessibili, tantum crescit remuneratori ad decus et laudem remuneratos laudari.

4. Quocirca quia beatus pater Christique sacerdos [1] Gislenus noscitur miles Regi [2] regum exstitisse probatissimus, perseveranter vigilando in mandatis ejus, ac viriliter certando contra aereos potesta-

— [9] fortia 7. — [10] recenseri 7. — [11] (p. q. e. a.) perfectus e. animatus 7. — [12] conatur 7. — [13] (f. et m.) flebilis et mærens 7. — [14] flebilium 2. — [15] campum 7. — [16] gaudium 7. — [17] (c. rec. ad s. p.) frequenter ad s. p. rec. 7.

Num. 3. — [1] Deum 7. — [2] filiæ 7. — [3] relatione 7. — [4] (læt. laud. m.) laud. m. læt. 7. — [5] positum 7. — [6] (r. m.) meritum r. 5. — [7] *ita* 1 *ante ras.;* predicatur 1 *post ras. man. rec.*, 2; categorisatur 5; cathegorizatur 7. *Cfr. Mirac., num. 8 in fin.* — [8] (m. c. r.) c. r. m. 7.

Num. 4. — [1] (p. Ch. s.) *om.* 7. — [2] regis 7.

tum incursus [3], non absurdum [4] videtur Dominum Regem, mundum vincentem in suis militibus, humili mente venerari et [5] piis laudibus attestari [6], quatinus et in servo suo magnificetur omnipotens [7] Dominus, et fidelis servus, quem super familiam suam constituit, ad tempus candelabro superpositus luceat omnibus qui in domo Dei [8] sunt fidelibus. Sed quia stella a stella differt in [9] claritate, et iste sanctissimus [10] sacerdos legitur fuisse venerandus tam merito quam et nomine, quorum sanctorum meritis potissimum sit coæquandus divinæ tantum est notitiæ; quamvis [11] tanta sit præditus sanctitate, ut nulla ratione per omnia sermo humanæ facundiæ sicut est valeat explicare. Hic itaque dum iter ageret in eremo hujus vastæ solitudinis, manna pastus dominici corporis, ac refectus poculo viventis aquæ fluentisque [12] de firma petra virga crucis percussa sive hasta militis, fugientibus Israelitis de horrificis hujus Ægypti tenebris, ac vere renuntiantibus pompis cum injusto dominio superbi Pharaonis, columna exstitit bene operando clarissimæ lucis, præbens calcando caput antiqui serpentis [13] ducatum viæ sine offendiculo erroris omnibus pervenire desiderantibus ad patriam promissæ hereditatis. Unde quia a recti itineris tramite nec in dexteram, nec in sinistram declinavit gressus, terræque viventium explorator fuit cautissimus et fidelissimus, vero Moysi obœdiens in omnibus, ne periret cum murmurantibus, ac propter ignitorum serpentium morsus oculum mentis semper habens [14] ad typicum serpentem in crucis exaltatum cornibus, in quo, ut ait Petrus apostolus [15], „ neque peccati venenum neque dolus est inventus, „ pervenit ad terram pacis repromissam Christi fidelibus [16]. Ad ostendendam insuper [17] tam felicis terræ fecunditatem suis sequacibus, portare meruit botrum non jam eum quem phalanga impositum in humeris Calep tulit Cenezeus, sed potius illum, qui veniens de Edom vestimenta tinctus, pro omnibus torcular calcavit solus.

5. Illum igitur brachiis puræ dilectionis amplexus glorificando et laudando die noctuque in pectore gessit, mundo cum concupiscentiis suis crucifixus, cantans cum Apostolo : „ mihi vivere et mori lucrum solus est Christus [1]. „ Et quia optabat dissolvi et esse cum Christo, totis nisibus orabat assiduis precibus, quo animam ejus educeret de angustia carceris hujus [2]; pro cantu, ut turtur solivaga et gemebunda, assiduos cum lacrimis edens gemitus, sciens non esse hic [3] manentem civitatem cælestia ad purum quærentibus. Quapropter ut liberius confiteri posset Domino omnibus horis, corpus suum macerabat,

— [3] (a. p. i.) ærias potestates armis virtutum munitus 7. — [4] esse *add.* 2. — [5] cum 7. — [6] *om.* 7. — [7] *om.* 5. — [8] *om.* 5. — [9] a 2. — [10] sanctus 7. — [11] quatinus 2. — [12] fluentis 7. — [13] (a. s.) s. a. 7; a. hostis 2. — [14] habuit 7. — [15] *om.* 7. — [16] atque *add.* 7. — [17] *om.* 7.

Num. 5. — [1] Christo 2. — [2] (a. c. h.) c. a. h. 7. — [3] (n. e. h.) h. n. e. 7.

castigans et in servitutem redigens diversis modis, ne forte aliis prædicando[4] reprobus videretur in suis documentis. Hæc vero die noctuque revolvens mente, omni custodia cor suum, unde videtur vita procedere, haud aliter[5] studebat servare, quam potens domina omnes angulos domus suæ, ne forte ostiaria triticum purgans, hoc est custodia mentis virtutes a vitiis segregans, obdormiret, cœpto intermisso opere, atque minus caute custodiendo animum, ad perimendum[6] malignis spiritibus iter panderet non sine periculo animæ. Hujuscemodi[7] ergo insistens vigiliis caute observabat omnes aditus suæ civitatis, proturbans[8] sacris[9] orationibus, velut ictu fulminis[10], non tantum a se sed a sibi subditis omnes dolos et astutias antiqui hostis : et[11] ascendendo de virtute in virtutem cotidianis crementis gratiosior apparebat divinæ majestati omnibus horis, cujus oculi super justos, et aures ejus in preces eorum, quos novit sibi[12] tribulati cordis offerre sacrificium et devotum humiliati spiritus obsequium.

6. Cujus rei gratia, fugatis omnibus inimici cum visco fallendi insidiis, ipso miserante qui secundum suum promissum semper adest suis, non solum consolationibus[1] fruebatur angelicis, verum etiam in contemplatione suspensus supernæ dulcedinis[2] ipsis, ut ita dictum sit[3], angelorum frequenter interesse videbatur choris. Qua dulcedine spiritus servi[4] Dei recreatus, ad se rediens lætus, et velut apes paradisi depasta flores, alvearia fratrum revisens, totus mellifluus omnes hortabatur nec mortale sonans, ut gustarent quam suavis est Dominus : affirmans quod absque dubio sit beatus, qui omni spe in ipso est confisus. His igitur et[5] aliis quam plurimis sacris exhortationibus omnes monens, pluresque Christo juvante de faucibus vecti[6] et tortuosi Leviathan extrahens et ad superna transmittens, lampadem non sine liquamine pinguis et puri olei prudentissime concinnabat, ut virgo sapiens[7], succinctusque lumbos[8] occurrere gestiebat Domino a nuptiis revertenti cum[9] lampade fulgenti[10].

7. Qua de re collaudabant multi sapientiam ejus, quæ non delebitur in seculum; quoniam talentum sibi creditum ratum duxit reportare Domino cum usuris fidelibus duplicatum. Sicque[1] vinculis carnis absolutus, jure angelicis obsequiis ad cælos est evectus[2]: quoniam in[3] hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione et aviditate

— [4] ipse *add.* 7. — [5] (h. a.) laudabiliter 2, 5. — [6] (an. ad p.) ad p. an. 7. — [7] hujusmodi 7. — [8] perturbans 5. — [9] sanctis 7. — [10] fluminis 7. — [11] ac 7. — [12] (sibi-obsequium) secundum se corde tribulatos, regente spiritu humilitatis conscientiam puræ mentis 7.

Num. 6. — [1] (n. s. c.) c. n. s. 7. — [2] dilectionis 5. — [3] (d. s.) dixerim 7. — [4] viri 7. — [5] atque 7. — [6] vecti 1 *man. pr.*, 2, 5; vectis 1 *man. post.*, 7; (Cfr. Isaiam, XXVII, 1; quem locum auctor perperam intellexit.) — [7] prudens 2. — [8] lumbis 7. — [9] *om.* 7. — [10] fulgens 7.

Num. 7. — [1] quocirca 7. — [2] vectus 7. — [3] ab 5.

in illa æterna patria est conversatus. Unde digne in memoriam hominum est factus, quia ad gaudium[4] transeuntem angelorum pro fidei et lenitatis puritate sanctum fecit illum Dominus. Et quoniam omni curriculo suæ peregrinationis vitam petiit sibi a Deo dari, pro temporalibus coronam modo sortitur perennem cum filiis Dei. Quapropter non recedet memoria ejus, sed nomen ejus requiretur a generatione in generationem cunctis diebus; quoniam beatus quem ad hoc elegit Dominus, ut sui atrii habitator esset assiduus[5], semen suæ bonæ actionis reliquit terram incolentibus, atque junctus sanctorum cœtibus fulget a vero sole illuminatus, ut sol meridiano fervore conspicuus, dulcisonis personans concentibus : “ Beatus populus, cujus est Dominus Deus ejus „. Ideo lucerna ipsius non exstinguetur, sed fulgebit in perpetuum; quia, sicut ante nos est cantatum, “ Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum, et[6] Dominus illorum regnat in æternum. „ Sanctorum igitur, ut paulo superius prælibatum est, junctus consortio, stolaque beatæ immortalitatis donatus a Deo, cum longanimi spe resurgendi ipsius requiescit caro, modicum sustinens tempus, præcipiente sermone divino, donec impleatur numerus fratrum et conservorum ejus tempore novissimo, quando binis indutus stolis gaudio gaudebit[7] pleno atque perfecto.

8. Sepultus sane est in basilica beatissimorum[1] apostolorum Petri et Pauli debito fidelium more, ut prælibatum est, quamvis vili dictamine, in textu suæ vitæ[2]; ubi per plurima quiescens annorum curricula, sed non cum veneratione debita, videbatur plerisque quod nullius momenti ante æquissimi judicis obtutus ejus præclara forent merita. Sed qui novit qui sunt ejus, ista diu manere non est passus, malens vitam servi sui ad exemplum dare fidelibus ac suffragia orationum ejus præstare quærentibus, quam delitescendo quasi sopitam manere diutius[3]. Supernæ, inquam[4], dispositionis jam poscebat tempus ut, qui[5] pro meritis junctus erat in astris[6] Sanctorum cœtibus, bonus odor etiam in terris fieret Deo et hominibus.

Explicit sermo [7].

Incipiunt [1] capitula super miracula sancti Gisleni.

1. De quodam cæco visum recipiente et viri Dei merito circumquaque clarescente. De revelatione viri Dei super elevatione corporis sui.

— [4] gaudia 5. — [5] (h. e. a.) a. e. h. 5. — [6] quoniam 7. — [7] replebit 7.

Num. 8. — [1] beatorum 5. — [2] (s. v.) v. s. 5. — [3] qui *add.* 7. — [4] *om.* 7. — [5] *om.* 5. — [6] (j. e. in a.) in a. j. e. 7. — [7] (E. s.) *om.* 7.

Capitula Mirac. — [1] *Capit. desunt in* 3, 4, 6, 7, 8, 9.

2. De reliquiis sancti a Malbodiensibus furtim sublatis, sed revelatione divina patefactis.
3. De Fredelaio quodam cæco meritis beati viri illuminato.
4. Quod quædam paralytica sancti viri meritis mortem sibi a Deo [2] optaverit et impetrare promeruerit.
5. De quodam cæco ad præsentiam sancti luce donato.
6. De quodam puero surdo pii patris suffragiis auditui restituto.
7. Quod quidam Haimericus interventu sancti oculorum lumen sit adeptus [3].
8. Quod quædam juvencula debilis et infirma a sancto sit mirabiliter curata.
9. Quod sanctus duci Gisleberto [4] in somnis apparuerit et ab eo scutum unum ad protegendum suum habitaculum petierit.
10. De muliere quadam contracta meritis beati viri mirabiliter iterato sanata et flamma repulsa.
11. Quod ad puteum sancti cuidam Dominico oculi sint restituti.

Finiunt capitula.

Incipiunt [1] miracula quæ [2] per sanctum virtus operata est divina.

I. De quodam cæco visum recipiente et viri Dei merito circumquaque clarescente [3].

1 [4]. Unde [5] cum disponeret superna clementia ut præclara confessoris sui [6] merita, quæ putabantur quasi nulla, hominibus fierent manifesta, et locus qui carebat servitute condigna, utpote perrara habens unius tantummodo presbyteri servitia, recalesceret virtute pristina, ea tempestate qua Henricus rex Franciæ, Saxoniæ, Germaniæque gerebat sceptra, et Gislebertus ducatum regebat [7] Franciæ cum omni diligentia, quidam vir rusticus nomine Berherus [8], ex pago Bracbantensi [9], de villa Tithelrode [10] vocitata, cui [11] lumen oculorum [12] nox clauserat

— [2] Domino 2. — [3] (s. a.) a. s. 2. — [4] Giliberto 5.

MIRACULA. Caput I. Num. 1. — [1] *Mirac. desunt in* 3, 4, 6, 8, 9. — [2] (Incipiunt-divina) *om.* 7. — [2] (quæ-divina) *om.* 2. — [3] *Titulos omnes om.* 7. — [4] *Edit. apud Duvivier, op. cit., p. 365-6.* — [5] Deinde 5. — [6] (c. s.) s. c. 5. — [7] *om.* 2. — [8] Bernerus 2, 5. — [9] bracbatensi 7; bracanthensi 5. — [10] Tietrode 7. — [11] quia 7. — [12] ejus *add.* 7.

intempesta, monetur in somnis voce divina quatinus recuperandæ salutis gratia locum adeat quo requiescunt sæpe dicti patris membra. Qui somno excussus ac de visione lætus, arrepto baculo et data uxori [13] manu, corde credulus cœpit currere offendens pedibus. Sed quia unius diei itinere ad locum quo tendebat pervenire non [14] sinebat longior via, in villa [15], quam Baldurnum [16] vocat [17] rusticana [18] lingua, requiem ei præstitit [19] nox soporifera. Ubi dum requiesceret fatigataque membra somno repararet, visum est ei, antequam gallus profundæ noctis pervigil alas excuteret, ut campanas supra memoratæ Cellæ audiret. Unde cum festinatione de stratu, quamvis hospite multum prohibente, surgens, atque ad matutinas, quas putabat sonuisse, pervenire se posse credens, summa cum celeritate pervolat, duce præeunte, ad orationis locum, neminem intus inveniens. Cum vero lustraret omnes monasterii aditus, nullusque sibi pateret ingressus, tandem substitit in loco, quamvis nescius, ubi tempore Halitgarii [20] episcopi et Elefantis [21] abbatis pro dedicatione ecclesiæ ab ipso [22] abbate excellentiori culmine fabricatæ sacrosanctum collocatum fuerat corpus [23]. Lucernis itaque, quas pro devotione secum detulerat, accensis, pernox tamdiu incumbit orationi [24] cum lacrimis donec aurora, relinquens [25] croceum [26] cubile Titonis, in lucem prorumperet fugatis tenebris. Et ecce aurora rubescente, ipse cujus [27] est salus, repente dat cæco benedictionem [28] suæ gratiæ: omnesque ab oculis ejus noxiæ decidunt membranulæ, nec non fugantur diutinæ noctis nubeculæ; ac luminibus fotis [29] gutta purissimæ aquæ, pupillarum vena depulsa [30] gaudet se illustratum solari orbe videns clare omnia aperta [31] oculorum acie. Atque hujus rei [32] gratia, laudans toto corde solem justitiæ, qui meritis servi sui se in tenebris sedentem dignatus est [33] visitare auferendo speciem mortis horrendæ, sanctum salutat Gislenum, non sine gratiarum actione. Rediensque [34] domum incolumis, cum optata salute [35] vixit [36] per plura [37] curricula annorum [38], prosperitate sibi favente, plurimis [39] existens exemplum bonorum operum, divina misericordia se subsequente.

2 [1]. Denique divina pietas, quæ justum suum dum adviveret duxit per vias rectas, ac pro meritis ostenderat quæ esset regni Dei claritas, insuper, ne videretur in vanum cucurisse, coronam gloriæ dederat, ne deesset illi æterna felicitas, gentes de remotis terrarum spatiis adducit diversas, quæ, prout divinitus sibi ostensum esse fatebantur, incolis loci

— [13] uxoris 5 *man. pr.*, 7. — [14] (p. n.) n. p. 7. — [15] villam 7. — [16] Baldurnium 7. — [17] vocitat 7. — [18] rustica 7. — [19] (ei p.) p. ei 5. — [20] Haligarii 5; Halitcharii 7. — [21] Elevantis 7. — [22] *om.* 7. — [23] (col. f. cor.) f. cor. col. 5. — [24] (i. o.) o. i. 2. — [25] (relinquens-Titonis) *prius deletum, signis delendi postea ablatis in* 1; *om.* 2, 5. — [26] (r. c.) c. linquens 7. — [27] cui 7. — [28] beneficia 5. — [29] *ita* 5, 7, 2 *corr.;* foris 2 *prius;* fontis 1 *post corr.* (*Cfr.* Act. SS., *tom. cit., p. 1035:* eosdem leniter attactos fovit [aqua]. — [30] (p. v. d.) *om.* 7. — [31] clara 7. — [32] *om.* 5. — [33] esset 7. — [34] rediens 7. — [35] luce 7. — [36] vixitque 7. — [37] plurima 7. — [38] (c. a.) a. c. 7. — [39] multis 7.

Num. 2. — [1] *Editum ex parte apud Mab., op. cit., p. 796, num. 1.*

prædicabant quæ sanctissimi patris Gisleni foret sanctitas : affirmantes magnum esse commanentium vicinorum nefas [2], quod sepulchri tamdiu teneret obscuritas quem suæ gloriæ consortem gauderet habere unanimis sanctorum societas. Talia siquidem plurimis adventantium referentibus nullus pæne auditorum ad hæc inclinabat auditus. Et [3] quamvis priscis temporibus a loci primoribus tam ædificiis quam institutis regularibus, nec non etiam luce sapientiæ ac [4] scientiæ, non minimum fuisset locus [5] decoratus, paulatim [6] tamen per incuriam cultus et veneratio ipsius decessit, usque dum deprecatione ac jussione Karoli regis abbas Elefans, tunc temporis [7] multarum abbatiarum rector opinatissimus et regularis normæ [8] servantissimus, in meliorem statum eum [9] omnimodis reparavit [10]. Nec [11] sic quidem [12] satanæ invidia cessit, verum amplius malignitatis fomite exarsit; nec destitit quousque hostili piratarum incursu ac si quodam incendio intra Gallias grassaretur, unde præscriptus locus cum multis aliis in vastissimam solitudinem redigeretur. Emortuis [13] interim ubiubi divinæ legis cultoribus, in quibus ardor caritatis et disciplinæ suis flagrabat [14] temporibus, justitia terris excedens per sudos cælorum tractus erat incedens. Qua in re liquido notatur nostræ offensionis culpa, quæ ex merito propriæ actionis impiorum paganorum Dei judicio cæditur virga. Cum enim scriptum sit : *Pax multa diligentibus legem tuam* [15], *Domine: et non est illis scandalum,* patet profecto quia qui legis mandata custodiunt, contra omnia adversa salvi fiunt; quoniam qui opera Dei semper faciunt, in Deo semper possunt. Unde inquit [16] psalmista : *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion; non commovebitur in æternum.* At contra qui Deum in suis operibus ignorant, justo judicio a Deo [17] ignorantur, dicente Scriptura : *Qui ignorat ignorabitur,* ut ab ignorantibus factorem [18] suum etiam in præsenti disperdantur et pereant; quia æquum est ut per quæ peccat legis transgressor, per hæc torqueatur peccator. Et quamvis divina clementia dissimulare videatur iram justæ ultionis propter pœnitentiæ recursum — judex enim est [19]

— [2] (v. n.) n. v. 5. — [3] quia 7. — [4] et *Mab.* — [5] (f. l.) l. Cellensis f. *Mab.* — [6] (paulatim-dum) et his paululum per incuriam decrescentibus 7. — [7] (a. E. tu. te.) ab abbate Elephante, qui fuerat 7. — [8] vitæ 7. — [9] cum 5. — [10] (e. o. r.) fuisset o. reparatus 7. — [11] (nec-redigeretur) *om.* 7. — [12] (s. q.) siquidem 5. — [13] (Emortuis-incedens) Tamen emortuis tunc temporis non tantum illic, sed et multis aliis in locis divinæ legis cultoribus, ardore karitatis et disciplinæ ferventibus, justitia *(supra lin., in lin.* custodia *expunctum)* de terris, petendo pennis virtutum sudos cælorum tractus, rursum fit locus præscriptus in vastissimam solitudinem, paganis infra Galliam peccatis populi cum impiissima vastatione irruentibus 7. — [14] *ita et* 1 *post ras. man. rec.;* fraglabat 5. — [15] (l. t.) nomen tuum 5. — [16] *om.* 7. — [17] (j. a. D.) a Domino j. 7. — [18] creatorem 7. — [19] *om.* 7.

justus et ultor patiens, nec lætatur in perditione morientium, — tamen nulli dubium quod nil peccatorum remanebit inultum, si non fuerit in præsenti abolitum per condignum pœnitentiæ fructum. Quem quia nonnulli divitiis affluentes facere recusant [20], in stercore suo magis putrescere eligentes, ideo non tantum regni Dei fiunt [21] exsortes, verum etiam bonorum temporalium quibus illiciuntur [22] exheredes. Inde accidit, sicut antiquorum erudimur scriptis et nostris temporibus oculorum indiciis, quod et in regum filiis, et in multis aliis minoris dignitatis, peccatis patrum exigentibus, paternæ hereditatis fiunt exheredationes. Sed [23] et in irreligiosis [24] etiam cœnobitis non solum asperæ invectiones, verum et [25] inhonestæ de claustro [26] expulsiones, ut juxta dominici sermonis comminationes, qui judicat orbem terræ in æquitate, malos male perdat vineæ cultores, locando vineam suam aliis agricolis, qui reddant fructum temporibus suis, ut veri palmites in vera vite manentes. Ex quibus in publico aliquem exempli gratia dare nulla cogit necessitas, quia verborum copiam excedit eorum numerositas. Nulli enim diligenti lectori incognita est illa Nabuchodonosor [27] regis bovina et infatuata curvitas, filii quoque [28] ipsius Balthasar temeritas. Quæ appensa in justi judicis lance, quia minus habens æquissimo trutinatori respondit indebite, præsumptionis ejus cervicositas, paterno regno perdito, persensit quid [29] inclementis et duræ mortis posset acerbitas. Sic et aliorum plerique [30] hujuscemodi, quos et ante legem et sub lege exstitisse probat Scripturæ [31] auctoritas; sed nominatim eos exprimere numeri prohibet infinitas. Inter quos et Israel, quem pane cælesti pavit [32] gratia Dei [33], jure potest computari; quia quotiens derelicto Deo [34] volens diis immolavit alienis, totiens derelictus [35] a Deo nolens colla [36] subdidit inimicis; quotiens vero toto corde pœnitendo ad Deum est reversus, totiens Deo miserante et auxiliante colla excussit de inimicorum manibus.

3. Nostris quoque temporibus et auditu super numerum audivimus, et oculis conspeximus non solum illos peccato ultra [1] modum crescente patrimonio exheredatos, quos Scriptura vocat rusticum vulgus, verum etiam superbos aulicorum potentatus. Quodque gravius est dolendum, paterno sceptro privatos videmus, quos Deo eligente perfudit cæleste chrisma, angelicis delatum [2] manibus, quorumque

— [20] recusabant 2. — [21] *om.* 1, 2, 5. — [22] attrahuntur *add.* 1 *man. pr. super* illiciuntur ; *add.* 2 *in textu ante* illiciuntur. — [23] (Sed-irreligiosis) In religiosis vero 7. — [24] religiosis 5. — [25] (v. et) sed etiam 7. — [26] (i. de c.) de c. i. 7. — [27] Nabugodonosor 1, 5 ; Nabugodonozor 2. — [28] (f. q.) filiique 7. — [29] quod 5. — [30] (S. et a. p.) multique alii 7. — [31] *om.* 5. — [32] (pan. c. pav.) pav. pan. c. 5. — [33] (g. D.) D. g. 7. — [34] (d. D.) D. d. 2. — [35] relictus 7. — [36] (n. c.) c. n. 7.

Num. 3. — [1] supra 7. — [2] *corr. ex* angelis delitum *in* 7.

avorum et proavorum elemosinis et sumptibus sanctæ Ecclesiæ viget cultus. Quorum posteri cum Deum cognovissent, quia non ut Deum [3] glorificaverunt aut gratias egerunt, sed exacerbaverunt eum in suis vanitatibus [4], de nobilitate carnis gloriantes et de gratia Dei [5] gratis præstita patribus præsumptuose agentes [6], ideo cum Roboamitis æmulos contuentur residere in paternis fascibus. Nobis istud non sine dolore animi et contritione cordis referentibus nullius [7] super hoc scandalum patiatur oculus, nec suis [8] deceptus [9] cogitationibus quis animo volvat quasi Deus et in sua promissione, et in sua dispositione non semper sit unus vel quasi odiat potentes, denegante id Scriptura ac dicente : *Deus potentes non abjicit,* cum et ipse sit nobilium nobilissimus, et potentum potentissimus, sed potius, ad se reducto [10] mentis oculo, cogitet sollicitus quod Domini est terra, et plenitudo ejus; quam cum munere supernæ benedictionis accipit a Domino innocens manibus et corde mundus, quia hæc est generatio quærentium faciem ejus. Qui ergo Deum glorificat, ut promittit sacræ Scripturæ textus, jure et ipse erit gloriosus; qui vero contemnit, ignobilis et ignominiosus. Quapropter, carissimi, ne [11] sine misericordia cædamur impiorum virga, peccatis nostris exigentibus, ac ne exheredari videamur divinis promissionibus, simusque in fabulam et in proverbium cunctis gentibus; faciamus voluntatem Domini in omnibus, adimplentes mandata ejus pro viribus. Qui enim [12] fecerit voluntatem ejus, manebit in æternum sicut et ille manet in æternum, qui semper est æternus, fietque frater, soror et mater illius, juxta quod in Evangelio dignatus est promittere suis fidelibus. Et quia non est nobis adversus carnem et sanguinem colluctatio, hujus sanctissimi patris nostri Gisleni informati exemplo, resistamus totis præcordiorum viribus diabolo, subdentes humiliter [13] colla [14] omnipotenti Deo. Cujus muniti præsidio, et fidei protecti clypeo, omnia tela nequissimi ignea possimus exstinguere rore perfusi superno, quatinus nullam timentes perturbationem in hujus vitæ naufragio heredes Dei esse mereamur [15] secundum spem vitæ æternæ in Christo Jesu Domino nostro [16]. Quod nobis dignetur misericorditer præstare, qui sola sua [17] gratuita bonitate venit in hunc mundum peccatores salvos facere [18], ovem quæ erraverat quærere, sanctosque pro meritis mirificare. Nobis strictim [19] per excessum ista loquentibus, velificante navicula, antemnam pro tempore convertere [20] nisi sumus.

4 [1]. Sed jam nunc, artemone levato, propositum iter, aspirante nobis

— [3] Deus 2. — [4] iniquitatibus 7. — [5] (gl. et de gr. D.) et de gr. D. gl. 7. — [6] (p. a.) *om.* 7. — [7] nullus 5. — [8] super hoc *add.* 7. — [9] animus *add.* 5. — [10] ducto 7. — [11] non 5. — [12] (Q. e.) quia qui 7. — [13] *om.* 7. — [14] collo 2 *man. pr.*, 5. — [15] (e. m.) m. e. 7. — [16] (J. D. n.) *om.* 7. — [17] *om.* 7. — [18] et *add.* 7. — [19] strictum 5. — [20] converti 7.

Num. 4. — [1] *Ex parte edit. apud Mab., op. cit., p. 796, num. 2.*

sancti Spiritus gratia, recto cursu carpamus ac qualiter divina pietas, quæ numquam obliviscitur misereri suis, supra memoratæ Cellæ miserta[2] sit, qualiterve[3] cineres sancti in lucem protulerit, pro captu ingenioli pandamus. Sicut supra retulimus, plurimi adventabant diversis ex partibus, qui juxta revelationem sibi ostensam cælitus grandia Dei mandata[4] referendo non minori admonitionis impulsu super sanctissimi patris nostri cineribus ac elevatione ipsius audientium auribus inferebant tinnitus, quam solet fieri in tectorum, grandine desuper crepitante, culminibus. Sed quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei[5], commanentes vicini tam presbyteri quam laici cor obdurati auresque nihilominus obturati[6] nec sic fidem adhibent dictis referentium mandata Dei.

De revelatione viri Dei super elevatione corporis sui.

5[1]. Unde vir sanctus[2] apparet[3] in somnis cuidam suæ familiæ, Winerado[4] nomine, monens illum blanda voce ut corpusculi sui urnam ex sepulchri imis in oculos efferat solis absque ulla cunctatione. Qui bis admonitus, jussa monentis[5] et[6] ipse nihilominus de die in diem[7] procrastinat, nesciens, utpote rusticus, tenorem viæ qua id[8] explere valeat. Qua de causa vir sanctus quasi indignatus apparet ei[9] tertio, comminans et[10] fremebundus, atque ita[11] illum est[12] adorsus: *Cum jure debeas mihi, Winerade, omne servitium, cur ita[13] vilipendisti oris mei præceptum, quasi[14] esset aliquid phantasticum? Si[15] phantastica somniatrix phantasiæ somnium tibi[16] retulisset, inscitia cordis tui aurem procul dubio anilibus[17] verbis illius accommodasset. Ego autem nil phantasticum, scias[18], tibi impero, sed quod a seculis et generationibus dispositum est a Deo. Quapropter jam nunc surge, et vocatis[19] presbyteris, oris mei edictum impiger exsequere, ne patiaris ultionem divinæ iræ pro culpa inobœdientiæ[20]: quoniam horrendum est in manus viventis Dei[21] incidere. Ibi me[22] procul dubio invenies quiescentem corpore, ubi contra*

— [2] misertus 7. — [3] qualiterque 7. — [4] (g. D. m.) D. m. g. 5. — [5] sancti 2. — [6] *ita prius etiam* 1; *at corr. man. post.* obturatę.

Num. 5. — [1] *Numeri 5, 6, 7, editi sunt integre a Jacobo de Guisia, op. cit., lib. X, cap. 80 sqq.; ex parte vero a Mabillonio, op. cit., p. 976 sqq., num. 2-5. Porro hic in textu majores typi non indicant, ut alibi, prorsus inedita, sed ea quæ Mabillonius in editione sua omisit: quamquam apud Jacobum de Guisia reperiuntur.* — [2] (U. v. s.) v. Dei *Mab.*; Hinc est quod post tempora multa sanctus Guislenus *J. G.* — [3] apparuit *Mab., J. G.* — [4] Wincrado *Mab., et sic porro.* — [5] *om. Mab.* — [6] *om. J. G.* — [7] jussa monentis *add. Mab.* — [8] *om. J. G.* — [9] (a. ei.) ei a. 2. — [10] ac 7 *post ras.* — [11] *om. J. G.* — [12] (i. e.) e. i. 5. — [13] *om.* 7. — [14] seu 7. — [15] (Si-accommodasset) *om.* 7. — [16] (s. t.) somnum t. 5; t. somnum *J. G.* — [17] minime *J. G.* — [18] *om. J. G.* — [19] convocatis 7. — [20] (c. i.) inobedientia 2. — [21] (v. D.) D. v. *J. G.* — [22] inquit *add. Mab.*

fenestram absidæ [23] *visus tibi sum* [24] *hesterna nocte* [25]. *Idcirco non cuncteris in hujuscemodi negotio desudare, quia nulla fiet difficultas in inventione. Si autem quæris, scire volens* [26] *diem assumendi laboris, non labatur memoria dies* [27] II [28] *kalendas octobris, quæ dicata ex nomine archangeli Michaelis* [29] *cunctis christicolis per mundum fulget celebris.* His dictis non comparet, junctus agminibus militiæ cælestis. Wineradus vero, somno excussus, timore pæne exanimis, orat Dominum [30] totis præcordiis quatinus cæleste sibi præstet auxilium in exsequendis sancti [31] mandatis, mentem et manus mundans a sordibus cunctis. Dein triduanum consulta [32] et [33] devota mente explens jejunium, clericis advocatis ad opus sibi injunctum, properat ad locum ubi jacebat [34] corpus sacrosanctum. Sicque [35] intimato ex condicto viri Dei kalendarum die [36] fodiens invenit, congaudentibus qui aderant, cælestem thesaurum, fulgentem ut pretiosum carbunculum arte magistra decentissime politum ad diadema summi Regis prudentia clusoris decorandum. Quod [37] sindone munda diligentissime involutum, et sub agalmatis clave firmissime obseratum, in eadem urna reponitur, deputatis pro tempore excubiis clericorum: quoniam non audebant qui aderant sacros cineres quoquam transferre, timore correpti synodalium legum, donec causa delata ad Cameracensis episcopi auditum, scirent quale super hujuscemodi negotio ab eo acciperent decretum. Deus namque bonus et [38] justus, cujus viæ misericordia et veritas, quo patefaceret sua omnipotentia qualis beati hujus patroni nostri [39] esset sanctitas, tantæ fraglantiæ [40] in sacrosancti corporis elevatione per quindecim dies emanavit suavitas, ut ejus dulcedine refecta ac delectata humana adstantium infirmitas pæne suæ fragilitatis oblita videretur [41], quasi inter paradisicolas posita. Quod ne cui videatur [42] incredibile et fabulosum, eadem omnipotentis Dei omnipotentia [43] testimonii gratia occurrit in medium, quæ

— [23] *ita* 5, 7; fenestræ abside (absidē *man. post.*) 1; fenestre abside 2; fenestræ absidem *Mab.*, *J. G.* — Cfr. *num. 17 Vitæ secundæ* (Act. SS., *tom. cit.*, *p. 1035*); *ubi hæc habet cod. Montensis* 1 (fol. 23^r): Initoque simul consilio elevantes beati artus detulerunt foras oratorium, abdentes eos post abside (*non* absidem, *ut in* Act. SS. *l. c.*) altarisque fenestram, cupiens abbas Elefans post referre illos intro. — [24] (t. s.) s. t. 2. — [25] die *J. G.* — [26] (s. v.) v. s. 5. — [27] *om.* 5. — [28] pridie 2, *Mab.*; III 5, *J. G.* — [29] (a. M.) M. a. *Mab.*, *J. G.* — [30] Deum 5, 7. — [31] sanctis *J. G.* — [32] consulte 2, 5, 7, *Mab.*, *J. G.* — [33] *om.* 7. — [34] (u. j.) j. u. 2. — [35] (Sicque-fodiens) ac fodiendo sub die II Kl. octobris 7. — [36] (K. d.) Kalendas die III *J. G.* — [37] Corpus *Mab.* — [38] *om.* 7. — [39] (h. p. n.) Gisleni 7. — [40] flagrantiæ *ex corr. man. rec.* 1. — [41] (videretur-posita) crederetur sibi pos. q. i. par. 7. — [42] videretur 7. — [43] potentia 7.

ad suæ laudis augmentum et servi sui meritum declarandum cæcitati reddidit visum, surditati auditum, delibitati gressum, variisque infirmitatibus detentis optatæ sanitatis donum.

6. Quod aure accipiens[1] Stephanus, Cameracæ[2] sedis episcopus, oculos ad cælum levat cum manibus, gratiasque reddit[3] omnipotenti Deo, qui suos pro meritis semper glorificat ut miserator[4] et justus. Denique præparat se ad transferendum officiosissime sanctissimi[5] viri corpus; sed in eundi velle quidam legatus salutem et gratiam affert ei a regalibus sedibus, offerens simul diploma cum edictis imperialibus. Quibus non parum occupatus, intermittit profectionem, obœdiens juxta Apostolum[6] præceptis regalibus; sed præcepit Oilboldo[7] archidiacono ut sumptis Cameracensis ecclesiæ primoribus[8], sanctum transferat cum hymnis et dignis[9] Deo laudibus. Qui, ut[10] minister fidelis, accelerans parere præceptis venerandi pontificis, adit locum cum primatibus civitatis, orans flexis genibus clementiam divinæ pietatis quo[11] dignaretur a se auferre[12] omnem spurcitiam immundæ[13] iniquitatis, quatinus ad sancta sanctorum mereretur introire cum puritate mentis. Dein[14] congregata cleri populique vulgaris turba non modica, sacri corporis urnam efferunt cum honore summaque reverentia, persolventes vocibus in altum prolatis debita Deo[15] laudum cantica; inferentesque[16] in sanctorum apostolorum Petri et Pauli basilicam, ubi dudum[17] per plura tumulatus fuerat annorum curricula, ponunt non in[18] inferioribus, ne videretur lucerna a Deo[19] accensa[20] modio supposita, sed potius in superioribus officiosissime tractantes sacra[21] recondunt pignora[22]. Deinde ordinatis rationabiliter omnibus pro temporis copia quæ circa sacrum corpus[23] videbantur necessario ordinanda[24], archidiaconus cum suis civibus[25] revertitur ad propria, atque prædicat suis mira et stupenda quæ viderat Dei magnalia. Deinde[26] rex Deus noster, cujus virtus magna et ineffabilis potentia, cujusque[27] nomen prædicatur admirabile in universa terra, ipse non destitit operari divina ad declaranda[28] sui militis clara merita. Unde, vulgante celeri[29] fama, diversis ex[30]

Num. 6. — [1] percipiens 7. — [2] Cameracensis *Mab.*, *J. G.* — [3] reddidit *J. G.* — [4] misericors 7. — [5] sancti 5. — [6] mandatum apostolicum 5. — [7] Oilberdo 5; Cilboldo *J. G.* — [8] prioribus 5. — [9] *om.* *J. G.* — [10] *om.* 5. — [11] quod 2. — [12] (a se a.) a. a se 7. — [13] *om.* 7. — [14] demum *Mab.*; denique *J. G.* — [15] (d. D.) D. d. 5. — [16] ac inferentes 7. — [17] jam 7. — [18] *om.* 1, 2, 5, *J. G.* — [19] Domino *Mab.* — [20] sub *add.* *J. G.* — [21] sacri cineris 7. — [22] quatinus Deum devote quærentibus inextinguibilis die noctuque luceret lucerna *add.* 7. — [23] (s. c.) c. s. 2. — [24] (v. n. o.) fuerant necessaria o. 5. — [25] *om.* 7. — [26] Denique 7; demum *J. G.* — [27] cujus 7. — [28] celebranda 5. — [29] cleri 5, *J. G.* — [30] *om.* *J. G.*

partibus ad sacra pignera ruit plebs invalida, offerens Deo ejusque confessori [81] dilecto animi vota cum diversorum donorum munificentia : atque reportans sanitatis quæsitæ [82] gaudia, gratias agit [83] summæ et individuæ Trinitati [84] voce consona, quæ ad laudem sui sancti [85] nominis sanctorum suorum intercessionibus lætificat civitatem Dei sola suæ gratuitæ bonitatis clementia.

II. De reliquiis sancti a Malbodiensibus furtim ablatis, sed revelatione divina patefactis.

7 [1] His autem et aliis longe lateque de sancto Gisleno diffusis, visionum [2] et

— [81] (e. c.) confessorique suo 7. — [82] (s. q.) q. salutis 7. — [83] egit 7. — [84] Trinitatis *J. G.* — [85] *om.* 2.

Caput II. Num. 7. — [1] *Loco totius fere num.* 7 (His-noctuque, *p. 255, lin. 12) hæc habet 7 :* Sed quia Malbodienses invidebant aliis illum habere, quem doctorem suæ salutis sciebant in vita exititisse, cupiebant, si forte aspiraret illis optata fortuna, sepedicti patris pignera vel clanculo sibi subripere, putantes ejus sacrum meritum multum sibi profuturum, non tantum in præsenti hujus noctis caligine, sed etiam in illo magni examinis die. Quocirca ut cupidus negotiator invigilat lucris adquirendis, ita diem ac noctem tamdiu insomnem ducit Malbodium cum suis, donec, custodibus nocturno sopore sepultis, auferat sacrosancta pignera sepedicti patris, recondens in ecclesia sanctæ Dei Genitricis cum silentio tamen debitæ venerationis. Qua de causa diversa cantant et dissona supramemoratæ Cellæ custodes et sacri corporis raptores. Malbodium cum suis gaudet, custos ecclesiæ cum suis subditis plorans dolet. Montes et valles Malbodii manibus plaudunt, Ursidongi-Cellenses pulvere capita aspersi per plateas et vicos cum aligeris pedibus discurrunt; dampnum fraudulenter sibi illatum frequenti ruminatione ad memoriam reducunt ac sæpius *heu, heu* clamantes, pectus duris verberibus tundunt. Malbodienses sollicite custodiunt quod caute sibi subripuerunt; Ursidongi-Cellenses quasi frenetici hac illacque discurrentes cum lacrymis quærunt quod imprudenter amiserunt. Currunt foras et intus recurrunt, sæpe quæsita requirunt (*corr. ex* exquirunt), sed quod insatiabilis visu non videt oculus, non potest unca capere manus. Qua de re cum omnimodis forent consternati, nullumque præberet sollicitudo quærendi vestigium inveniendi, tandem in se reversi ad auxilium confugiunt omnia scientis Domini, suppliciter supplicantes ut ex dampno illato aliquod indicium dignaretur præstare sibi. Non itaque frustrata est fides, quæ credidit omnia scire et posse Deum, sciens quoniam (*add. supra lin. al. man.*) confidere in ipso sit bonum. Unde nocte insecuta per visum apparuit sanctus Gislenus se quærentibus stola indutus alba, ac ne solliciti sint de sui corporis gleba, quam servaret Malbodiensis caterva, monet voce amica Qua visione admodum recreati, monentur etiam ut execrabile factum sacrilegii quam cito notificaretur Stephano episcopo Cameracensi. Quid multis? qui ante videbantur pene exanimes, resumpto spiritu vivere jam videntur, jussa sancti absque mora complentes. Super quibus non mediocriter admirans episcopus, facta collatione cum sapientioribus sibi assistentibus, Malbodium adit infula pontificali infulatus, ac canonice discutit flagitium sacrilegii sine misericordiæ favoribus. Qua districtione omnes conscii criminis confusi atque devicti, non sine ignominia confitentur errasse se et peccasse, veniam poscentes humi prostrati; ac volentes nolentesque corpus sacratissimum reddunt episcopo lege synodali, recognoscentes, quamvis sero, quod nec prudentia nec consilium nec fortitudo vires habeant contra dispensationem Dei. — [2] visionis *Mab.*

operum divinorum signis cœpit undique populi multitudo concurrere cum oblationibus, ac [3] frequentare libenter locum divinitus patefactum. Invidiæ præterea facibus quique maligni accensi, conati sunt furto sancti corpus rapere et, ut fertur, transmarinis partibus transferre. Disponente ergo superna [4] clementia, quæ suum fidelem eremitam de tam remotis longisque regnis ad istud venire decrevit, hominum nequam conatus prudenter [5] repressit. Nam Malbodiensis [6] congregatio, æstimans rapi [7] sanctum Gislenum per Castriloci habitatores, inito communi consilio, miserunt nonnullos qui clam venerandum corpus auferentes deferrent [8]. Euntes autem, egerunt cum ingenti cautela quod animo [9], Deo [10] inspirante, conceperant; reversique cum gaudio venerunt usque Malbodium. Quibus obviam venientes clerici cum sanctimonialibus [11] ac plebe fideli, susceptum salutare onus detulerunt in ecclesiam Dei genitricis cum ambitione multa. Die itaque sequenti sacerdos præfati loci [12], non invento sancti [13] corpore, nimio turbatus est metu; et cuncti circummanentes, audito quod acciderat, nimium turbabantur, ignorantes quo quærerent suum nuper propalatum protectorem. Post hæc nocte secuta vidit quidam Egrardus [14] in visu quasi in oratorio esset ejusdem Cellæ ante Dei genitricis Mariæ stans altare, cum ecce vir quidam apparens dixit ei [15] : *Scis qui* [16] *sum ego?* Cumque [17] ille respondisset [18]: *Nescio; Ego sum,* inquit, *Lantbertus* [19], *mei* [20] *domini Gisleni filiolus. Tristitiam deponite quam habetis de eo: quia* [21] *cito revertetur ad nos* [22] *meus patrinus. Surgens ergo, vade, dic Hecberto* [23] *comiti* [24], *qui exstitit jugiter* [25] *domino meo optimus vicinus, quo* [26] *eat Malbodium* [27], *dicens fratribus et sororibus loci ut reddant illi* [28] *sanctum Gislenum, quem latenter abstulerunt hinc, quemque secum adhuc* [29] *retinent. Etenim nec* [30] *Deus neque* [31] *ipse cupit illic manere, sed in loco quem ei dignatus est Omnipotens providere.* Negligens vero [32] Egrardus visionem [33], nil horum retulit comiti; sed fratres consolans ac pares [34] reddidit hilares et jucundos. Apparuit denuo ipse sanctus Gislenus in villa Havagio [35] cuidam Francigenæ, nomine Adelelmo, dixitque ei : *Ego sum Gislenus. Scis quid sit factum de corpore meo?* At ille : *Scio,* ait, *domine* [36], *omnia.* Tunc sanctus : *Nequiter,* inquit, *in me* [37] *actum est. Sed modo non tetrices* [38] *adire Malbodium, dicturus prælatæ Theodradæ* [39] *et aliis sororibus cum* [40] *sacerdotibus ut reddentes sine cunctatione corpus meum, restituatur* [41] *loco suo.* Mane vero surgens jam dictus

— [3] et 5. — [4] divina *Mab.* — [5] (c. p.) p. c. 5. — [6] Melbodienses *et sic deinceps (item* Melbodium) *J. G.* — [7] rapere *Mab.* — [8] (a. d.) a. diferrent 5; auferrent *Mab.* — [9] non *J. G.* — [10] Domino *Mab.* — [11] (v. cl. c. s.) cl. c. s. v. 5. — [12] (Cellensis) *add. Mab.* — [13] sacro *Mab.* — [14] Gerardus 5, *J. G., et sic deinceps.* — [15] sanctus *add. Mab.* — [16] quis *Mab.* — [17] cui *J. G.* — [18] respondisse *J. G.* — [19] Lambertus 5, *J. G.* — [20] *om. J. G.* — [21] qui *Mab.* — [22] vos 5, *Mab.* — [23] Herberto *Mab.*; Necberto *J. G.* — [24] (H. c.) c. Hiberto 5. — [25] (e. j.) j. e. *Mab.* — [26] quod 2, *Mab., J. G.* — [27] Melbodium 1. — [28] *om.* 5. — [29] *om. J. G.* — [30] neque *Mab.* — [31] nec *J. G.* — [32] ergo 5. — [33] hanc *add.* 5. — [34] patres *Mab.* — [35] Navagio 5, *J. G.* — [36] *om.* 5; (s. a. d.) a. d. s. *J. G.* — [37] (in me) *om.* 5. — [38] differ *J. G.* — [39] Theodrardæ *J. G.* — [40] et *Mab.* — [41] restituant 5.

Adelelmus, fecit omnia quæ jusserat sanctus. Illi vero negligenter [42] dicta ejus [43] spreverunt. Misso autem præcone ad episcopum Cameracensium [44] domnum Stephanum, venit accedens usque [45] castellum Malbodiense; stansque foris, intromisit qui dicerent majoribus natu : *Reddite, quæso, fratres ac sorores, almi vatis Gisleni corpus, ut suo a Christo dato restituatur loco. Sin secus, excommunicabo, ne quis in hoc loco missas nec alia Dei [46] obsequia celebret.* Quod audientes Malbodienses, licet coacti, paruerunt tamen episcopo. Tunc quoque jussit episcopus decanum venire cum omnibus suæ decaniæ [47] fratribus, atque sancti glebam referre cum reverentia et honore condigno. Quibus jussis obtemperantibus, præcepit etiam episcopus uti singuli sacerdotes per singulas hebdomadas custodirent locum cum sancto corpore, donec cum duce Gisleberto [48] quæreret qui locum eumdem [49] servarent [50] die [51] noctuque. Facta est siquidem idibus decembris relatio sacrorum cinerum, vexillis Domini præcedentibus cum canora caterva [52] clericorum, vulgique turba non modica prosequente ac laudante Deum [53] : atque non jam videbatur furtum [54] ab episcopo inquisitum, sed illud cæleste unde agebamus commercium, fulgens ut aurum obrisum septies repurgatum. Dein [56] reconditur eadem die cum maximo [57] cleri plebisque tripudio in sæpe memorata basilica Apostolorum : ubi deputatis excubiis sacrorum ordinum gloria et honor persolvitur [57] die [58] noctuque illi qui est laus angelorum, veneratio quoque [59] sancto [60] per omne hujus vitæ curriculum [61].

8. Qua in re, dilectissimi, sollicite pensare debemus quot [1] laudum debitores Deo sumus, qui pusillanimitatem nostram modis roborat omnibus, vires ei [2] præbens non tantum [3] suis largifluis et cotidianis miserationibus, sed etiam sanctorum suorum orationum consolationibus. [4] Si enim divino auditu essemus digni, et vires ad hoc suppeterent humanæ fragilitati, numquam cessandum esset [5] a laudibus Dei, cujus misericordiam sola suæ pietatis gratia præventi tot modis suscipimus in medio templi sui. Unde bonum est ut omnis caro in ejus laudem resolvat ora, quatinus secundum nomen suum ita in fines terræ sit et [6] laus ejus sancta, cujus dextera plena est justitia et misericordia. De quo loqui digne [7] nemo mortalium potest vel [8] plene, quia cum sit ineffabilis et humana incomprehensibilis ratione, totum de eo dixisse est [9] quasi tacuisse. Hoc tamen de eo dicere audemus

— [42] negligentes 2. — [43] (d. e.) e. d. *Mab.* — [44] Cameracensem 5, *J. G.* — [45] ad *add. Mab.*, *J. G.* — [46] Deo 2. — [47] (s. d.) d. s. 2, *Mab.* — [48] Giliberto 5. — [49] (l. e.) e. l. 2. — [50] servaret *J. G.* — [51] diu *Mab.* — [52] turba 7. — [53] Dominum 5. — [54] (v. f.) furtim v. 2. — [55] Denique *J. G.*; et *Mab.* — [56] magno 7. — [57] persolvuntur *J. G.* — [58] diu *Mab.* — [59] debita *add.* 7. — [60] (v. q. s.) veneratioque sanctorum *J. G.* — [61] in secula seculorum. Amen. *add. J. G.*

Num. 8. — [1] quod 7. — [2] (v. ei) iure se 5. — [3] solum 7. — [4] (o. c.) orationibus 7. — [5] (c. e.) deberemus cessare 7. — [6] *om.* 7. — [7] (l. d.) d. l. 2. — [8] *om.* 7. — [9] (d. e.) e. d. 7.

quod sit summum bonum, quo nihil melius; summa clementia, qua nihil clementius; summa pulchritudo, qua nihil pulchrius; ineffabiliter sanctus, ineffabiliter magnus, faciens quæcumque vult in cælo et in terra, ut Deus. Quod cum ita sit, nullusque huic sententiæ contraire possit, quæritur tamen a nonnullis intellectu parvis cur pignera sancti sui furari permiserit, quæ de imis sepulchri efferri cum tanta reverentia et honore mandavit [10]. Sed quia hi tales sensu sunt pueri, potius indigentes lacte quam solido cibo pasci, fortassis ignorant illud Apostoli : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Quod vero sequitur : *Quis cognovit sensum Domini, aut quis prior* [11] *dedit illi, et retribuetur ei?* intellegitur nemo utique [12] mortalis; quoniam cum sint omnia ex ipso, et per ipsum, et in ipso, non eget consilio dictatoris. Unde, cum non queamus plene [13] examinare condicionem fragilitatis nostræ, quam omnium artifex omnem habens virtutem, omnia prospiciens, ita condidit verbo pro suo velle, ut luti figulus vasa sui operis in rotarum vertigine, valde videtur absurdum esse ut laboret ariditas mentis nostræ omniscientem scientiam ineffabilis majestatis, quam [14] laudat omnis creatura, in sanctis suis comprehendere; præsertim cum nec loco claudatur, nec tempore, sed totus ubique omnia quæ sunt visibilia seu invisibilia, quando voluit et quomodo voluit, creditur fecisse. Et si omnia fecit ut vere credimus, nihilque creaturarum sine eo nec factum est nec aliquid [15] fieri potest, ut ex verbis oris ipsius dicentis : *Sine me nihil potestis facere,* colligimus quid dicemus. Valde est absurdum [16] credere voluisse illum furibus favere, cum teneamus pro rei [17] veritate, Scriptura docente, quod *Deus sit fidelis, in quo non est iniquitas, faciens omnia juste.* Et si istud dicitur absurdum, illud non minus categorizatur insanum quempiam aliquid umquam [18] potuisse contra Deum.

9. Verum est igitur Deum omnia fecisse, et sine eo nil fieri nec [1] esse posse. Sed quomodo furari potuit sanctus, si noluit Deus? Et si voluit, quomodo omnia juste [2] disponit? Certum est namque Deum omnia in omnibus [3] posse justeque omnia disponere [4]. Quod quia veritati consentit, nulli dubium quod justo judicio omnia potens disponit. Unde non debemus credere pignera sancti sublata esse absque Dei voluntate, quoniam dementiæ magnæ [5] est æstimare ut voluntati ejus quis possit resistere, Scriptura dicente : *In voluntate tua, Domine,*

— [10] mandaverit 7. — [11] (prior-ei) consiliarius ejus fuit 7. — [12] *om.* 7. — [13] pleniter 7. — [14] (quam-suis) *om.* 7. — [15] *om.* 7. — [16] (e. a.) a. e. 7. — [17] (p. r.) r. p. 7. — [18] (q. a. u). aliquem a. aliquando 7.

Num. 9. — [1] (f. n.) *om.* 7. — [2] (o j.) j. o. 7. — *Abhinc ad num. 26 med.* (juste-flatu ventorum) *vacat* 5. — [3] (o. in o.) in o. o. 2. — [4] (disp.) in omnibus posse *iterum* 7. — [5] (d. m.) dementia magna 7.

universa [6] *sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ.* Sed cum nihil [7] fiat in terra sine ratione alicujus causæ, potius debemus scire quia quem Deus vult glorificare, ejus nomen venerationis gratia dignum ducit longe lateque [8] propalare. Deus itaque, cui loquuntur omnia corda et secreta patent conscientiæ, ad ostendendam nescientibus fidem Abrahæ, quæ reputata est illi ad justitiam, unicum filium ipsius [9] expetiit sibi offerri in visionis monte et uxorem ejus in terra peregrinationis suæ ab Abimelech permisit subduci [10] a viri contubernio pro tempore, non ut tentando probaret fidelis sui fidem, quamvis dicat : *Nunc cognovi quod timeas Deum, et non peperceris unigenito filio* [11] *tuo propter me;* nec ut dehonestari permitteret conjugem ejus, quam non minori armaverat fide; sed illud [12] ideo competiit, istud fieri permisit, salva castitatis fide, ut quod certum apud se habebat de tantorum virorum fide et sanctitate, nescientibus hominibus notum faceret sua mirifica virtute. Idcirco ad Abimelech : *Redde,* inquit Deus, *uxorem viro suo et orabit pro te quia propheta est,* et cetera [13]. Quomodo igitur homo alienigenæ [14] gentis sciret sanctitatem illius viri, cui jussu Domini terra Geraris, quam incolebat, hospita erat more peregrini, nisi diceret ei Dominus : *Morte morieris propter uxorem* [15] *quam tulisti,* et cetera; et rursum : *Quia propheta est, pro te orabit.* Abraham namque Deum timebat et diligebat, et ideo præceptis illius [16] in omnibus obtemperabat. Deus vero, quia [17] neminem derelinquit qui [18] in se sperat, dicente Scriptura: *Aut quis speravit in eum et derelictus est?* sperantem in se non tantum ab adversis [19] liberabat, sed etiam quantæ virtutis vir esset diversis modis ostendebat. Cujus rei gratia principes terræ non tantum honorem illi exhibebant [20], sed etiam videntes non posse se æquare [21] felicitati a Deo sibi attributæ, amicitiam ejus sub fidei sacramento adipisci optabant, et adeptam quasi sub sigillo clausam servare [22] gaudebant.

10. His siquidem et aliis hujuscemodi insigniis merita servi sui Dominus declarabat in [1] incolatu suæ peregrinationis. Nos quoque, ut more medicorum, qui aut a [2] simili aut a contrario medicinam dicuntur quærere, comparationem a Deo quamvis longe ab ejus deifico opere distantem videamur trahere, quando [3] volumus aliquem nobis carissimum aliis notificare, tamdiu longis cum honestate [4] ambagibus affamur mentes assistentium competenti sermone, donec nacta occasione,

— [6] cuncta 7. — [7] horum *add.* 2. — [8] et *add.* 1, 2. — [9] ejus 7. — [10] perduci 7. — [11] *om.* 7. — [12] istud 7. — [13] (et c.) *om.* 7. — [14] alienæ 7. — [15] (p. u.) pro uxore 7. — [16] ejus 7. — [17] qui 7. — [18] (qui-derelictus est) *om.* 7. — [19] adversariis 7. — [20] præbebant 7. — [21] æquari 7. — [22] sibi *add.* 7.

Num. 10. — [1] *om.* 2. — [2] *om.* 7. — [3] (quando-aliis) aliquem nostrorum volumus carissimum 7. — [4] (l. c. h.) affabilitatis gratia, ut fiat honeste, longis 7.

verbotenus in medium producatur [5] ille, cujus firmitatem fidei, privilegium bonitatis, viscera pietatis, animum honestatis, vultum hilaritatis, incessum gravitatis desideramus ostendere. Reges nihilominus gentium opera colentes manuum suarum, quando aliquem suorum fidelium volebant honorare, quem dignum judicabant regio honore, equo regio impositum purpuraque indutum per regia castra duci faciebant, præcone præeunte et proclamante [6]: *Sic honoratur quem rex vult* [7] *honorare;* quatinus nescientes scirent cui potissimum venerationem deberent [8] post regem impendere, ne aliquis de ignorantia posset se [9] excusare. Quocirca nescimus quid obstare possit rationi nostræ quod ob hoc permiserit dispositio divinæ prudentiæ clam subduci nostrum Abraham, qui, patria parentibusque relictis, Domino jubente, minus notus habebatur in sua peregrinatione, quatinus nomen sanctitatis ipsius [10], quod non erat adhuc adeo diffamatum et celebre, crebesceret inquisitione et redditione ac in præclara et amabili relatione; sicque crebescendo fama sanctitatis ejus spargeretur ubique fraglans [11] aromatum more, unde [12] discerent nescientes præcurrentibus sacris virtutibus, quasi quodam præcone, quia Rex regum suum fidelem servum [13] Gislenum, quem lenitas mansuetudinis et constantia sacræ obœdientiæ cum puritate innocentis vitæ sibi fecerat carum, dignum judicaret non solum debita veneratione mortalium [14], verum etiam stola immarcessibilis gloriæ cum illa felici Dei [15] visione, qua pro meritis assidue fruitur, junctus cælesti militiæ. Unde merito et his et aliis diversis [16] signorum indiciis hic nostræ plebis pater et pastor factus est orbi notus, ut quantus esset [17] qui patriam caraque nomina parentum reliquerat [18] peregrinium [19] divino ductus amore elegerat [20], mundumque cum suis flosculis, qui mentes insipientium retrahunt [21] a cælestibus, ut quisquilias, nihili penderat, saniori consilio usus, [22] mortalibus clarescendo ostenderet divina [23] virtus quæ et potens est in omnibus, justeque disponit omnia suis temporibus. Cujus gratia favente ejus sacris votis cœptisque spiritualibus, quia dum currendi habuit tempus, bonum est ad omnes operatus, merito nunc palmis vernans victricibus æterna est a Deo corona donatus; atque ideo candelabro superpositus suffragia orationum et sanitatum munera ægris præstat mortalibus. Quapropter ad ejus sacram tumbam dissolutus solidatur paralyticus, basium firmitatem gaudet se recipere podagricus, cutis et carnis integritatem

— [5] proferatur 7. — [6] clamante 7. — [7] voluerit 7. — [8] (v. d.) d. v. 7. — [9] *om.* 7. — [10] (ipsius-fama sanctitatis) *om.* 7. — [11] fragrans 1 *post corr.;* flagrans 2, 7. — [12] sicque 7.— [13] (su. f. se.) se. su. f. 7.— [14] (d. v. m.) v. d. m. 2; d. m. v. 7.— [15] *om.* 7. — [16] *om.* 7. — [17] (q. e.) *om.* 7. — [18] relinquens 7. — [19] peregrinum 2, *item* 7 *corr. ex* peregrina. — [20] (di. du. a. e.) e. di. a. du. 7. — [21] retrahant 7. — [22] quæ vestigia sanctitatis imitandi studio reliquisset *add.* 7. — [23] sancta 7.

elefantino morbo fœdatus, oculorum aciem luminibus cæcatus, ceteraque usui [24] corporis necessaria fidelis christianus, insuper et animæ salutem reportat mente purus ac oratione devotus.

11. Unde non minimum putamus dignum fore et animabus audientium salubre, calamo utcumque currente, ea replicare quæ ad declarandum sui militis meritum insigne dignatus est patrare, qui semper est mirabilis in sanctis suis, quos in præsenti contra illecebras carnis donat virtute et fortitudine, quibusque post exitum hujus vitæ coronatis corona gloriæ, æternum dat vivere. Multum namque, ut credimus, prodest fidelibus quod in sacra [1] Ecclesia sanctorum recitantur actus et mira quæ per eos et in eis [2] omnipotens operatur Deus; quia quasi quoddam speculum in eis nobis ad hoc propositum est cælitus, ut illorum imitando actus ab illicitis nos [3] retrahamus excessibus per justitiæ incedendo gressus. Quis enim vel desipiens nesciat bonum esse mala relinquere, ac per justitiæ gressus incedere, Joanne ita proclamante : *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare.* Quid ergo aliud fuerunt in hac vita sancti, nisi ministri illi de quibus Dominus dicit : *Qui mihi ministrat, me sequatur.* Quamdiu sane in hoc corruptibili tabernaculo exstiterunt, manentem civitatem hic non quæsierunt : sed futuram omni aviditate, Domino modis omnibus serviendo et ministrando, inquirere studuerunt. Ideoque etiam [4] juxta promissum dominici sermonis capiti suo, Christo scilicet [5] Domino, conjungi meruerunt : quatinus [6], quo præcessit [7] caput, inoffenso pede [8] et ministrantium subsequerentur artus, fierentque in illo unum corpus a cujus mandatis eorum non deviaverat [9] incessus. Quocirca non est mirandum si in terris coruscant miraculis, qui cum Christo regnant in cælis, quia in quo vivunt, in ipso semper possunt. Quomodo ergo possunt non posse, qui sunt uniti in Omnipotentis corpore? Jure igitur omnia possunt per illum et in illo in quo [10] vivunt. Si autem alias esset, nequaquam veritatis magister discipulis diceret : *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet; et majora horum faciet.* Quod tamen non possunt per se, sed per illius omnipotentiam cui juxta velle subest omnia posse. Si secus esset credibile, non intonaret auribus discipulorum sermo dominicæ sententiæ : *Sine me nihil potestis facere.* Qua ratione quia nihil est verius, humanum procul dubio posse nullis fulcitur viribus sine omnipotentia illius qui vere creditur Deus. Unde constat luce clarius quia ab illo semper accipiunt posse, a quo videntur habere et esse. Igitur ut prælibatum est, sancti in omnibus facientes voluntatem Domini, merito

— [24] sui 7.

Num. 11. — [1] sancta 7. — [2] eos 7. — [3] *om.* 2. — [4] (I. e.) Et ideo 7. — [5] (Ch. s.) s. Ch. 7. — [6] *al. man. add. sup. lin. in* 7. — [7] processit 7. — [8] ut *add.* 7. — [9] (e. n. d.) ejus n. deviarent 2; illorum n. deviarat 7. — [10] omnia *add.* 7.

omnia possunt, sed per illum et in illo in quo vivunt. Per illum siquidem [11] non minimum beatus ideo potuit Gislenus quia omni vitæ suæ cursu mandatis studuit servire cælestibus.

III. De Fredelaio quodam cæco meritis beati viri illuminato.

12. Quid igitur [1] per Omnipotentis majestatem [2] in illo Cameracensi viro, nomine Fredelaio, beati viri [3] potuerit [4] sanctimonia, jam nunc referat Cameracus [5] civitas non ignota, quam diversis commerciis opulentam, benedictione episcopali fultam superna invisit gratia, meritis et nomine sanctæ Dei Genitricis Mariæ [6] insignitam. Huic namque Fredelaio cum esset lux meridiana ut nox intempesta, hujusque rei causa venerandi pontificis Stephani cotidiana pro Christi nomine non negaretur elemosina, auditis miraculis quæ meritis beati [7] Gisleni virtus operabatur divina, in mentem [8] ei venit ut optati luminis gratia, accepta pontificali licentia, inter adventantes et ipse prædicti confessoris adiret limina. Denique accepta licentia viæ cum episcopali benedictione, [9] fidei speique se comitante lumine, pervenit ad locum absque ulla tarditate. Devote igitur orans suppliciterque aures divinæ pietatis super salute sua interpellans, exaudiri meruit, quia fideliter petivit. Qui pristino lumini redditus gratias persolvit Deo devotus, revisens sine ductore Cameracum [10], ubi paulo ante solitus erat palpando [11] manibus et offendendo [12] pedibus diversorum lustrare ostiorum aditus. Pro tantis ergo beneficiis ante altare sanctæ Mariæ flectens humiliter poplites, humillimas gratiarum pernox [13] Deo decantat [14] laudes; et qui quondam versari videbatur inter scutellas ac titiones pro amore illius qui suos præcepit esse misericordes elemosinæque largitores, jam fit in mensa episcopi recubus conviva, ut emeritus miles. Nec moveat quemquam auditorem infirmum hujus sanitatis donum

— [11] enim. 7.

Caput III Num. 12. — [1] (Q. i.) Quapropter quid 7. — [2] omnipotentiam 7. — [3] (b. v.) ejus 7. — [4] potuit 2, 7. — [5] *ita etiam* 1, *in quo post corr. rec.* Cameracum. — [6] *om.* 7. — [7] viri *add.* 2. — [8] mente 7. — [9] cum *add.* 7. — [10] lætius *add.* 7. — [11] tangens 7. — [12] offendens 7. — [13] *om.* 7. — [14] decantabat 2.

beato Gisleno a Deo esse donatum, quasi idipsum non valuerit impetrare incomparabile sanctæ Dei Genitricis [15] meritum, cujus meritis confessorem nostrum quamquam sanctissimum [16] coæquare sanæ rationi nequaquam est amicum. Sed cum sint, ut ait Apostolus, *divisiones gratiarum, quas distribuit unus atque idem spiritus, prout sibi est placitum,* ita moderatur in suis fidelibus prudentia ejusdem spiritus distributiones donorum suorum, ut [17] et singulis sit quod datur proprium, et per caritatis mysterium omnia sint omnibus unum; quoniam nefas est cogitare in illis esse invidentiæ morbum qui Christo uniti corpus efficiunt unum.

IV. Quod quædam paralytica sancti viri meritis mortem sibi a Deo optaverit et impetrare promeruerit.

13. His ita prælibatis, quædam puella nomine Adalbrada [1] ex villa Mortrivio nata ita videbatur dira paralysi dissoluta, ut ejus membra non tantum jacerent invalida, verum etiam pæne emortua. Hæc siquidem potius desiderans mortem incurrere [2] temporalem quam vitam trahere inertem, utrumque poscit parentem ut qualicumque eam vehiculo ante sæpe dicti confessoris deferrent pietatem. Qui ejus postulata suscipientes libenter, ad tumulum sancti deferunt eam [3] velociter, quam totius angustiæ constringebat carcer. Dum vero carperent iter, diversas ad Dominum [4] fundunt preces. Parentes itaque orabant fontem totius bonitatis ut natam suam reddere dignaretur vitæ hujus [5] luminis, illa vero nihilominus tantum erectis ad cælum oculis deprecabatur [6] medicum totius salutis quo ante tumulum sancti Gisleni eotenus [7] mereretur solvi de carcere carnis, quo [8], intervenientibus ejusdem sancti [9] meritis, mereretur saltem pœnas evadere æterni ignis. Denique, cum perventum fuisset ad

— [15] Mariæ *add.* 2. — [16] (q. s.) *om.* 7. — [17] 1 *post corr.*

Caput IV. Num. 13. — [1] *post ras. man. rec. in* 1. — [2] (m. i.) i. m. 7. — [3] (s. d. e.) d. e. s. 7. — [4] Deum 7. — [5] (v. h.) h. v. 7. — [6] precabatur 7. — [7] *om.* 7. — [8] quatinus 7. — [9] (e. s.) ejus 7.

oratorium, optato in loco puella officio delata parentum, collocatur in crucis modum; utque [10] super petitione sua exaudiri a Deo [11] mereretur, sanctum suffragari sibi toto corde deposcit Gislenum. Quid dicam, quia non meruit exaudiri quæ ut melius æternum cum sanctis vivere posset volens potuit mori? Est plane exaudita, quæ ad votum animam reddidit inter orationum alloquia. Non enim petivit sanitatem corporis, nec diuturnitatem morituræ carnis, quam adeo desiderat sibi adesse fragilitas nostræ conditionis; sed cum propheta et Apostolo exitum flagitavit de carcere mortalis carnis. Quid igitur hoc in loco pensare debemus, nisi quia [12] in præsenti ob hoc suos cælestis pater flagellat pius, ut post flagella inveniat quod coronet misericors et justus? Æstus quippe doloris omnem nequam humorem sterilis evaporavit cespitis, ut excocta vitiis sic feracior responderet manibus sui cultoris. Quidquid ergo cardui quidve lolii se intermiscuit segeti illius campi [13], lectus sariit ægritudinis, cujus lateri semper adstitit comes patientia fortis, in dominicum recondens horreum lecta grana farris; ubi reposita nec pluviarum tempestates nec ullos æstus timet amplius, quoniam transierunt cuncta quæ fuerant prius.

V. De quodam cæco ad præsentiam sancti luce donato.

14. His divinis mirificentiæ titulis succincte transcursis, pro captu virium series poscit sequentium ut ad reliqua vertamus cum articulis calamum, quia nobile Leodium, nobiliter rebus ecclesiasticis nobilitatum, sed nobilius nobilissimi [1] martyris Christi Lantberti [2] pigneribus decoratum, nobili et moderata oris resolutione cordis sui jubilum indicat ecclesiæ fidelium, quemdam [3] scilicet suorum orationibus beati Gisleni optata luce esse [4] donatum. Qui cum esset oculorum acie, forte aut propriis peccatis exigentibus aut pro gloria Dei manifestanda fidelibus, fraudatus, dum ductu parentum ante sæpe dicti patris tumulum staret [5], evangelium [6] inter sacra missarum sollemnia [7] audiens attentius, ita divina

— [10] *ita* 1 *post ras. man. rec.;* usque 2. — [11] (e. a D.) a D. e. 7. — [12] (n. q.) quod n. 7. — [13] (s. i. c.) i. c. s. 7.

Caput V. Num. 14. — [1] nobillimi 7. — [2] Lamberti 2, *et ita deinceps.* — [3] quemquam 2. — [4] (l. e.) e. l. 7. — [5] (t. s.) s. t. 7. — [6] *om.* 7. — [7] evangelium *add.* 7.

miseratione subito optatæ luci est restitutus, ut nec duce nec baculo egeret illius pedum regressus. Qua de re [8] Leodicenses [9] tam nobilitate loci quam luce sapientiæ clari, nec non generositate superbi sanguinis famosi, vehementer [10] feruntur indignati, ac si præcipuis egregii martyris Christi [11] Lantberti meritis non competeret tantæ prodigium admirationis. Sed hujusmodi zelo zelari scindit unitatem corporis Christi, in quo et sacer Lantbertus altius vel æque potuit, nec tamen super effectu miraculi Gisleni meritis et gratiæ invidit. Alioquin et sapientum lux matutina in vesperum declinat nec semel ejecta cælo invidia ullum caritati sanctorum fucum mordacitatis infumigat. Proinde et in his et in omnibus absque rubigine invidiæ mordentis prædicanda est a cunctis magnificentia divinæ virtutis, quæ et debitam gratiam præstat [12] electis, et nobis peccatoribus miserrimis non denegat, illorum suffragantibus meritis, misericordiam consuetæ benignitatis. Quæ quidem ultra humanum [13] scire est digna admiratione, quia sua æterna sapientia moderante, sic sanctos suos facit unanimes habitare in illa cælesti civitate, ut unius caritatis connexi glutine nulla inter eos sentiatur scintilla invidiæ de impari claritate. Unde valde gloriosum est illud regnum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti, ubi roseus rubor martyrii pro pulchritudine et magnitudine sui meriti non ducit contemptui candorem lilii, sed ordinibus variis commixti invicem [14] decorantur gloria cælesti in commune vescentes de corpore et sanguine Christi; cujus assidua visione illustrati ut stellæ in perpetuas æternitates coruscant [15] fulgore inenarrabili. Pro his ergo omnibus sit tibi laus et [16] decus, honor [17], gloria et virtus, sancta Trinitas unus Deus; qui et sanctos tuos decoras et satias [18] visione tui vultus, et invalidas mortalium manus [19] eorum sacris roboras [20] interventionibus. Sit nomen tuum, Deus, benedictum in sæcula, quem jure venerantur sanctorum agmina, quorum meritis et intercessionibus nostræ fragilitati præstas in terris tot consolationum et auxilii subsidia.

— [8] quamvis 7. — [9] *ita* 1 *ante ras.*, 2, 7. — Leodienses 1 *post ras.*; bullati et *add.* 7. — [10] (vehementer-proinde) gurgitemque divitiarum innatantes lauti, dicti sunt indignati esse (*add. al. man. in marg.*), zelo zelati pro præcipuis meritis præcipui martyris Christi Lantberti, quasi ejusdem sanitatis donum idem martyr nequiverit, quod nefas est cogitari, impetrare apud gratiam Dei. Tamen quia factum est dispositione superni Numinis et hoc sine invidentia tanti martyris, cui frequenter divino munere donatum est, — dives est enim gratia Dei in omnibus qui invocant illum, ut ait sententia doctoris gentium, — et similia multaque clariora præstare potuisse tam vicinis infirmis quam et longinquis 7. — [11] (m. Ch.) Ch. m. 2. — [12] præstet 2. — [13] modum *add.* 2. — [14] (c. i.) i. c. 7. — [15] fulgent 7. — [16, 17] *om.* 7. — [18] (et s.) *om.* 7. — [19] (i. m. m.) invalidos nostri generis. — [20] *om.* 7.

VI. De quodam puero surdo pii patris suffragiis auditui[1] restituto.

15. Ab his ergo consolationum subsidiis nec ille puer de villa Beldiniaco natus exstitit alienus, qui a puero aurium officio fraudatus, loquentes tantum aspiciebat oculis attonitus. Hic siquidem de memorata villa[2] conductu parentum veniens male videbatur intelligens, quia, ut prælibatum est, erat auditu carens, sed ut Deo miserante mereretur esse[3] audiens, de operibus apum candelam manibus confecit[4], et[5] beato Gisleno[6] super salute sua, quamdam spei fiduciam jam habens, obtulit[7]. Sed quid opus est verbis in longum trahere quod superna pietas meritis servi sui dignata est patrare sub omni celeritate? Qui enim curat omnia solo voluntatis verbo, inter orandum optatum auditus officium reddit puero. Qui plurimum confortatus redit domum lætus, annuntians suis quanta sibi fecisset qui[8] potens est in omnibus et sanctum nomen ejus.

VII. Quod quidam Haimericus interventu sancti oculorum sit lumen adeptus.

16. Igitur cum in cunctis suis[1] actibus jure sit Deus laudandus, ut credimus[2], nec Haimericus ille Valentianensis[3] cæcus rationabiliter est prætermittendus[4]. Qui Valentianarum stratas et domus, nec non et portum navium, quem semper desiderat nauta fatigatus, mendicando diu lustrans cæcus, non magis[5] palpabat solem meridianum quam horrendæ noctis medium, baculo utcumque regente gressum[6]. Sed tandem adveniente die miserendi ejus, quorumdam ductu fidelium limina beati Gisleni adire studuit cum fidei ceræque luminibus. Cui suppliciter humi orationis gratia prostrato, miserante virtute divina, lux negata ad integrum redditur, atque[7], sancto salutato, Valentianas gaudens[8] regreditur. Nec distulit magnificentiam Creatoris prædicare in sancti sui meritis, dum quæ antea quasi som-

Caput VI. Num. 15. — [1] (s. a.) a. s. 2. — [2] (m. v.) v. m. 7. — [3] (m. e.) e. m. 7. — [4] conficiens 7. — [5] *om.* 7. — [6] defert *add.* 7. — [7] *om.* 7. — [8] (Qui-ejus) Dominus 7.

Caput VII. Num. 16. — [1] (c. s.) s. c. 7. — [2] *Sequentia edita apud Duvivier, op. cit., p. 366.* — [3] Valentinianensis 7. — [4] prætereundus 7. — [5] minus 7. — [6] gressus 7. — [7] ac 7. — [8] (gaudens-antea) revisens Dominique prædicans magnalia, intuentes se intuebatur, et quæ ante 7.

niando intueri videbatur, tunc vigilando videre se [9] gratulabatur. Perpendat quisque Deo [10] fidelis, iste dilectus Deo [11] et hominibus quantæ fuerit sanctitatis, cujus cineres tot coruscant miraculis. Dicente enim Scriptura : *Lauda hominem post vitam, magnifica post consummationem,* digne memoratur ore fidelium non sine munere laudum qui in tantis fit salus imbecillium.

VIII. Quod quædam juvencula debilis et infirma a sancto mirabiliter sit [1] curata.

17. De villa quoque Valentianis proxima, cujus proprietatem nominis beati martyris Salvii auferunt ossa, quæ ibi venerantur devotione [2] summa, ad sæpe fatam [3] Cellam venit quædam muliercula, nomine Hebrehaida [4], non uno tantum dolore constricta, verum etiam omnibus membris debilis et infirma, nil gaudii, præsertim cum esset juvencula, aliquando [5] habens, prævalente ægritudine continua. Hæc nempe sanitatis desiderans donum, quod juvenibus semper est carum et quasi proprium, dum super incommoditate suorum membrorum sanctum humiliter exoraret Gislenum, in extasi facta quasi per somnium monetur, ut illa vice remearet domum, sed post anni circulum ad eumdem non tardaret repedare medicum. Quæ obœdiens præceptoris sui jussis, redit ut venerat flebilis, quamvis [6] invitis revertentibus tibiis. Jamque [7] post decursum anni volventis juxta sententiam perceptæ vocis iterum visitat limina ejusdem divinæ mansionis, offerens in ea Deo holocaustum medullatæ orationis. Dumque inibi orationi pernox instaret [8], in extasi nihilominus ut prius facta, sicut sibi videbatur, sanctum Gislenum missarum solemnia celebrantem videt. Qui, missa perorata, [9] monet ut recuperandæ salutis gratia facitergium pro suo posse in eadem Deo offerret ecclesia [10]. Quæ

— [9] (v. se) se v. 7. — [10] (q. D.) D. q. 7. — [11] *erasum in* 1.

Caput VIII. Num. 17. — [1] (m. s.) s. m. 2. — [2] veneratione 7. — [3] fassam 7. — [4] (n. H.) *om.* 7. — [5] quandoque 7. — [6] licet 7. — [7] atque 7. — [8] exstaret 2. — [9] eam *add.* 7. — [10] (ea. D. o. ec.) ec. ea. D. o. 7.

jussa sub omni celeritate devote complens, statim ad plenum convaluit, suosque gaudens revisit, atque [11] clementiam benigni [12] Domini clementer circa se ostensam ac potentiam medentis sibi medici, clara voce gratias agens, cunctis exponit.

18. Deus enim, cui patent cuncta secreta cordis, quia magis creditur diligere innocentiam veræ simplicitatis cum sacrificio puræ orationis quam donarium magni ponderis, non requisivit bratteas metalli [1] fulgentis nec pallia discoloris pulchritudinis, sed, ne videretur ingrata [2] et immemor suæ salutis, hoc sibi offerri voluit de manibus pauperculæ mulieris, quod larga manus suæ miserationis, matre terra gignente, tribuit cunctis. Cujus misericordia cum sit ineffabilis et sapientia incomprehensibilis, merito prædicatur non solum in se sed etiam in sanctis suis mirabilis; quia secundum omnipotentiam suam mira et stupenda operatur etiam in minimis. Cumque sit mirabilis, ut dictum est, et dives in omnibus, inde tamen est mirabilior prædicandus, quia omnibus electis dat quod videatur quodam modo generalitatis bonum, et singulis largiri dignatur [3] quod sit unicuique specialitatis [4] privilegium. Qua de re merito loqueremur, prout sua inspiraret gratia, sed mens quorumdam infirma, mirari se dicens, quærit cur vox divina salutem præfatæ mulieris tamdiu procrastinare voluerit, quasi in hujuscemodi [5] causa tunc impotens majestatis omnipotentia exstiterit [6]. Quod credere non tantum est insipientium audacia, verum etiam cogitare insani capitis dementia; cum pro vero retineat fides catholica, testante psalmista, quod *omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo et in terra*. Quapropter sanæ menti nil affert [7] dubitationis protelatio optatæ sanitatis, quia, teste Ecclesiaste [8], *cum sit tempus nascendi et tempus moriendi, tempus plantandi et tempus evellendi, tempus occidendi et tempus vivificandi, tempus tacendi et tempus loquendi*, nulli dubium quod omnia tempus habeant [9] in rerum creatis, et universa transeant [10] sub cælo [11] suis spatiis. Et cum vere sit soli Deo semper æternus ac præsentarius status, scientiaque ejus in suæ maneat simplicitate [12] præsentiæ, sine scrupulo infinita præteriti ac futuri spatia complectens, omnia, quasi jam gerantur, considerat in sua simplici cognitione. Unde, si præscientiam ipsius, qua cuncta dinoscit, pensare velimus, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam numquam deficientis instantiæ

— [11] (r. a.) revisens 7. — [12] clementis 7.

Num. 18. — [1] (b. m.) bracteas metallis 2. — [2] *corr. al. man. ex* grata *in* 7. — [3] dignabitur 1 *ante ras.* — [4] generalitatis 7. — [5] hujusmodi 7. — [6] (m. o. e.) existeret Omnipotentis omnipotentia 7. — [7] fert 7. — [8] eccla 7. — [9] habent 2. — [10] transeunt 7. — [11] (s. c.) *om.* 7. — [12] simplicitatem 7.

rectius æstimabimus, nec prævidentia dicetur, sed potius providentia, quod porro a rebus infimis constituta quasi ab excelso rerum cacumine prospiciat cuncta. Cujus rei gratia, si esset divini humanique digna collatio, uti nos quædam videmus hoc nostro præsenti temporario, ita ille omnia suo cernit æterno. Quare hæc divina prænotio naturam rerum proprietatemque non mutat, sed talia apud se præsentia spectat, qualia in tempore olim futura prævenient; verbi gratia, cum peccatis priorum parentum astu diaboli in mortis laqueum incidissemus, quamvis cogitationem pacis et non afflictionis [13] super his misericors cogitaret Deus, ac apud omniscientem Dei providentiam certus maneret succurrendi modus, non tamen statim lapso homine reparatus est humani generis status. Nec enim [14] qui non est in se diversus, in opere suo exstat [15] confusus, nec præfixæ dispositionis mutat tempus, cui præteriti et futuri præsens respondet occursus [16]; at, cum juxta prophetam venisset miserendi tempus, secundum alterius prophetæ vaticinium, rorante cælo desuper et nubibus pluentibus justum, Dominus de loco [17] sancto suo egrediens [18], venit ut salvum faceret populum suum. Qui humilis pro nostri redemptione apparens in carne, cum adhuc vagiret in cunis, noluit pati in homine, quamvis præfixum esset ut fieret certa Dei dispositione, sed Herode impiissimo rege in pueros [19] ut leone sævissimo frendente, angelo monente, parentum delatus officio, in Ægyptum voluit ad tempus secedere, patenter insinuans omnia tempus habere, nec posse illum aliquid agere sine temporis et ordinis ratione, cui a seculo opus suum, Scriptura teste, creditur notum esse. Quod verum indubitanter esse clarius constat meridiano sole, sicut diversis modis loquendo nobis ostendunt omnes veteris et novi testamenti paginæ.

19. Sed quia longum et nimis fastidiosum est exempli gratia per singula currere, præsertim cum ultro se offerant quærentibus tot exempla super hujuscemodi [1] solutione quot sunt, ut prælibatum est, Scripturarum sententiæ, abstersa ab oculis simplicium hujus ambiguitatis nube, ad ea quæ videntur restare, stylum cum articulis vertamus, prout sancti Spiritus [2] gratia ministraverit nobis posse, et quid quærat, quidve petat [3] puella veniens de Cervia, Godrada nomine, brevi intimetur ratione. Hæc igitur cum esset de servili comitis Egberti conditione, ut claudus pulchras tibias frustra videbatur [4] habere, ita illa se intuentibus apparebat bellam illustrata

— [13] afflictionis 7. — [14] (N. e.) quia 7. — [15] (in o. s. e.) non est in o. s. 7. — [16] (p. r. o) ut præsentis r. cursus 7. — [17] celo 2. — [18] (D. de l. sa. su. e) e. de l. sa. su. D. 7. — [19] pueris 7.

Num. 19. — [1] hujusmodi 7. — [2] (s. S.) S. s. 7. — [3] *Sequentia edita apud Duvivier, op. cit., p. 366.* — [4] videretur 7.

faciem oculorum pulchritudine; sed a crepundiorum [5] nutrimine nocte intempesta pupillis luminum graviter insidente, nec linificii vel [6] lanificii pensum cogebatur, cæcitate libertatem sibi dante, domino persolvere; verum versa vice non solum vestitus, verum etiam victus pensum a domino haud aliter requirebat cotidie, ac si aliquid operosum in geneceo puellarum operari visa fuisset more. Hujus itaque cæcæ mulieris debilitas cum audisset quod meritis beati Gisleni tot sanitates præstaret infirmis clementis Domini benignitas, non sine devotione animi et lucerna fidei, baculo regente gressus, tendit ad sepulchrum unde fluebat debilibus tantæ sanitatis jucunditas. Quo perveniens, sollicitèque locum ubi sanctus requiesceret inquirens, humiliter se humi prosternit; orationi cum lacrimis obortis diutissime incubuit [7]. Forte enim tunc [8] fratribus missam perorantibus [9], Apostolo cum responso recitato, ad Evangelium ventum fuerat, quod audire desiderat anima Deum sitiens, donec levita *Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem* pronuntiaret, ex verbis Domini ita dicens: *Ego sum lux mundi.* Quo subinferente: *Qui sequitur me, non ambulat* [10] *in tenebris, sed habebit lumen vitæ,* mulieri memoratæ, et ad nomen sancti Evangelii erectæ, visa est scintilla cujusdam claritatis super sepulchrum sancti sublucere [11], quam paulatim videt crescere, uti fieri assolet [12] aurora rubescente, ac crescendo per ampla ædis spatia, haud aliter splendere quam fulget sol meridiano fervore: quatinus liquido colligeres nihil aliud sibi apparuisse quam sensim diurni ignis sphæram Domino miserante splenduisse [13]. Depulsis tandem tenebris cum tetra caligine, beati Gisleni intercessione videt omnia clare diu desiderato donata lumine; ac magnificans mediatorem Dei et hominum toto corde, domum redit, gaudens et benedicens Deum in omni loco et tempore. Qua de re Hegbertus comes venerandæ memoriæ, tensis ad cælum palmis cum luminum suorum acie, gratias persolvit [14] divinæ misericordiæ, simulque aliquid tractans mente sagaci de remedio animæ, prædictæ vernulæ libertatem indulget, ea interposita [15] lege, ut suffragatori suo capitalem censum persolveret absque offendiculo alicujus neglegentiæ quoad, Deo miserante, vitali pasceretur lumine.

20. Talibus igitur indiciis multisque aliis, Domino miserante et operante, tumulus decoratus [1] sanctissimi patris nostri nomen [2], et sanctitas ipsius ad laudem Domini diver-

— [5] crepundiarum 7. — [6] nec 7. — [7] (d. i.) tamdiu incumbens 7. — [8] *om.* 7. — [9] percelebrantibus 7. — [10] ambulabit 7. — [11] superlucere 2. — [12] solet 7. — [13] apparuisse 7; splenduisse 7 *al. man. sup. lin.* — [14] persolvens 7. — [15] *om.* 7.

Num. 20. — [1] (t. d.) decoratur tumulis (tumulus *ex corr.*) 7. — [2] nomenque 7.

sis diffamatur in terris, quia, ut verbis docemur Veritatis, lucerna diu non potest latere in tenebris; super quibus omnibus, fraglante [3] longe lateque tantæ sanitatis fama, attonitus est regius fastus aulicusque militum concursus, præcipue vero [4] dux Gislebertus, qui tam præceptis regalibus quam salubribus Stephani Cameracensis episcopi exhortationibus non solum heredia supramemoratæ Cellæ, verum [5] prædia quæ quondam beneficii gratia suis distribuerat fidelibus, beato Gisleno reddidit humilis capite precibusque devotus; insuper salutari Dei ex parte [6] consilio [7] fultus, cœnobitas ibidem restituit, ut fuerant prius, qui in commune viventes debitas Deo persolverent laudes diebus et [8] noctibus. Qui beneficiis solaciati ducis, mentes accendunt igne divini amoris, seque ita invicem hortantur ad cotidianum crementum monachicæ eruditionis, ut videres aliquos, more apum pastos floribus, superni roris dulcia quæque deferre ad alvearia [9] communis mansionis, alios vero, claustra servantes divinæ religionis, onera suscipere [10] venientum propriis humeris, mellaque certatim stipare in canistris atque dulcedine diversorum florum caste pieque fetus educere ad auxilium pii laboris spemque felicis posteritatis. Unde pius Dominus videns eos pio labori [11] insistere cum caritatis glutine, præbuit se medium cum oleo consuetæ misericordiæ, juxta promissum illius evangelicæ sententiæ: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in meo nomine,* atque suæ largitatis munere bonis omnibus fecit eos exuberare brevi in tempore. Qua de re cum et optata fruamur pace, et temporalibus commodis videamur abundare, solo supernæ largitatis munere, magnæ verecundiæ judicari poterit [12] inertia nostræ inscientiæ, quæ nimis deprehenditur segnis [13] ad referendum debitas [14] laudes divinæ misericordiæ; et maxime, inquam [15], cum certare omnibus horis [16] debuerit [17] omni vi omnique arte, ut, in salutari fonte semel pur-

— [3] *ita etiam* 2, *ubi corr.* flagrante. — [4] (p. v.) præcipueque 7. — [5] etiam *add.* 7. — [6] (s. D. ex p.) ex p. s. Deo 7. — [7] auxilio 7. — [8] ac 7. — [9] (du. q. de. ad a.) ad a. q. du. de. 7. — [10] *corr. ex* suscipiunt 7. — [11] (v. e. p. l.) p. l. v. e. 7. — [12] (m. v. j. p.) magnam verecundiam potest habere 7. — [13] (d. s.) s. d. 7. — [14] *om.* 7. — [15] (et m. i.) præsertim 7. — [16] (o. h.) *om.* 7. — [17] omnimodis *add.* 7.

gata prurigine originalis lepræ, cum illo fideli Samaritano gratiosa apparere mereretur pro sui emundatione, quia illi omnis laus omnisque honor jure debetur absque alicujus termini conclusione; de quo numquam satis est quod dicitur pro suæ incomprehensibilis [18] bonitatis immensitate.

21. His itaque summatim utcumque digestis, alia ad texendum tela ostentat se obtutibus nostris. Cujus subtilitatem indocta refugit manus; sed beatus Gislenus more materni [1] affectus, subnexis jam liciorum nexibus et stamine ad auras erecto cum sudibus texturæ congruentibus [2], arguto pectine et radio reacuto [3] nostras donat manus ad textrinum peragendum opus, blandeque nostram vellit aurem, monens ut æternæ memoriæ commendet stylus quod etiam sine præsentia sui corporis in pago Suessonico mirabilis operari dignatus est Deus. In cujus territorio quamdam villulam [4] Alamannis [5] vocant circummanentes more paterno; quam ex parte abbatis [6] Elefantis dicunt cessisse beato Gisleno jure hereditario, sed post vastationem paganorum, de quibus superius facta est mentio, marcente nimis sollicitudine fratrum ignaviæ somno, libere colebatur ab indigenis terræ sine alicujus respectus pretio. Cujus majorem et potiorem [7] partem excolebat Fruodo sancti Medardi servus cum suis complicibus; de altera vero parte contendere contra illum videbatur quidam Gislebertus, sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani famulus, nihilominus hereditarius. Quorum prior prædictam terram sub sancti Gisleni defendebat nomine : alter vero sanctis martyribus affirmabat esse debitam hereditario jure. Qua de re persæpe litigantes et correptis armis nonnumquam in [8] invicem ruentes, vix divelli poterant, mortis tenebras furore cæcati incurrere volentes. Quod periculi malum pertimescentes vicini, quibus erat sanior ratio mentis, acceptis ex utraque parte pactionibus [9], notant diem ad dirimendum causam tantæ contentionis.

— [18] incomparabilis.

Num. 21. — [1] *corr. ex* paterni 1. — [2] (t. c.) terræ congruenti 7 *ante corr.* — [3] reacuato 2. — [4] villam 7. — [5] Alemannis 7. — [6] abbantis 2. — [7] fortiorem 7. — [8] *om.* 7. — [9] treviis 7.

Quid plura? Domino jubente, illucet suo ordine dies statutus, fit juxta placitum et commanentium vicinorum concursus; nec deest Gislebertus tumore ventosæ superbiæ turgidus. Denique causa diligenter a confluentibus perspecta, reique veritate ab antiquioribus et veritati amicis inquisita, orant [10] clamantes [11] voce consona ut, pace facta, sancto Gisleno dimitteretur [12] sua terra. Labor siquidem de pace et rectitudine non solum a vicinis, verum [13] etiam a propinquis et unanimis [14] fit vehemens; sed orantes non attendit superbia tumens, meliorem et sapientiorem se aliis credens : quia malesana mens furiis irarum immoderate ardens, ac tortitudinem semper diligens, nisi pietas Dei [15] eam sua sola gratia respexerit protegens, declinare [16] non valet malum sibi imminens. Unde factum est ut cum contemni se, qui illud divortium pacifice adunare cupiebant, viderent, invocato justo judice, terram cum consilii ratione deambulantes, lapidem collimitaneum, quem bunnam [17] rustice vocant, invenirent [18].

22. Personatur namque super hoc *Deo gratias* ab omnibus pacem diligentibus, sed inter litigantes grandior oritur contentionis tumultus, Gisleberto jurejurando affirmante quod ille lapis in recto confinio non esset positus, hocque legaliter probaret cum suis stipulatoribus. Jactitabat etiam [1] cum tumidæ [2] vocis clamoribus quod, si id legis non approbaret Fruodo cum suis fautoribus, eumdem lapidem effoderet coram omnibus et alias infigeret, ubi sibi videretur melius. Ad hæc Fruodo : *Non est,* inquit, *meum super hujuscemodi negotio recipere sacramentum; neque enim meo juri ascribo terram unde profero testimonium. Videat judex omnium, qui mirificavit sanctum suum, et in statera appensum approbet secundum suum justum judicium.* Quibus verbis Gislebertus plus æquo stomachatus, mente alienatus, furiis succinctus, cursu rapido [3] simul et rabido [4] adit locum ubi videbatur lapis limita-

— [10] omnes exorant 7. — [11] *om.* 7. — [12] redderetur 7. — [13] sed 7. — [14] amicis *add.* 7. — [15] *om.* 7. — [16] (declinare-imminens) *al. man. add. sup. lin. in* 7. — [17] buntnam 7. — [18] invenerunt 1 *corr. man. rec. ex* invenirent.

Num. 22. — [1] (J. e.) Insuper j. 7. — [2] superbæ 7. — [3] vel *add., at erasum in* 1. — [4] (s. et r.) *om.* 7.

neus infixus, atque juxta superbiæ suæ promissum laborat illum eradicare [5] totis virium nisibus. Quid de illius lapidis dicemus eradicatione, quem nec loco valuit movere? Conclamantibus igitur omnibus simul et petentibus ut honorem præbens Deo [6] non [7] præsumeret confessori Deo dilecto tantam injuriam [8] irrogare, dedignatur audire, manens [9] in pertinacia suæ vesaniæ. Sed cum acrius luctari videretur in effossione petræ, pedes paulo ante deambulando pervadentes [10] terram beati Gisleni non æqua lance subito labuntur, ac si viderentur incisi præacuta falce; ruitque simul ipse toto corpore atque lapidi, cui luctando inhærebat, illisus capite, sinistrum oculum, quia sinister videri voluit in suo opere, non sine dolore extemplo ruentem de fronte reliquit terræ, satisfaciens ei ex tortitudine absque scabinis [11] et judice. Qui cum ignominia ab incœpto [12] desinens domum revertitur cum deformi et turgida facie, exemplum aliis relinquens ne similia audeant [13] præsumere. Quod vicini cognoscentes [14], terram invasam relinquunt unanimes, atque timore correpti pectus tundunt, de præteritis veniam sancto Gisleno supplicantes, ac debitum terræ respectum ex illa die et deinceps libenti animo persolvunt gaudentes.

23. Et quia merito superbis [1] resistit judex justus dans gratiam humilibus invocatus, meritis beati Gisleni et precibus affuit de se præsumentibus, ac de sua virtute gloriantem humiliavit cum tumore sui fastus; insuper, quoniam [2] converti noluit ab injustitiæ suæ gressibus, gladium suum Domino vibrante arcumque tendente, dolor conversus est in caput ejus et in verticem ipsius descendit iniquitas ejus. Unde cum Dominus et Creator totius orbis dicat suis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*[3], magna est dementia mentis nec minor insania capitis quod superbit pulvis et cinis, qui hodie floret pulchritudine carnis nimisque extollitur sine respectu timoris, et cras evanescit improviso deceptus laqueo pallidæ mortis. Non minimum namque periculum est sine respectu oculorum illos iter carpere, qui insidiari sibi sciunt et post et ante; quia sicut rustico dicitur sermone: qui sine respectus prudentia volunt currere, absque relevatione

— [5] misellus *add.* 7. — [6] (p. D.) D. p. 7. — [7] ne 7. — [8] tortitudinem 7. — [9] (manens-vesaniæ) in vesania manens suæ pertinaciæ. — [10] dividentes 7. — [11] scabineis 7. — [12] (ab i.) cœpta 7. — [13] auderent 7. — [14] audientes 7.

Num. 23. — [1] (m. s.) s. m. 7. — [2] quia 7. — [3] (h. c.) c. h. 7.

videntur cadere. Si igitur Gisleberto inesset prudentia illius evangelici judicis, qui molestiam non ferens mulieris diu clamantis, vindictam ei fecit de inimicis, timens super hoc incusari in die magni examinis, forsan oculum mentis reflexisset ad correctionem[4] sui erroris. Verum quia superbia scire recusat *peccavi,* merito non tantum in futuro, sed etiam in præsenti incurrit justum judicium Dei, qui in eodem Evangelio promittit electis cito se vindictam facturum de inimicis[5]. Non est igitur mirum si etiam in præsenti Deus vindictam facit de fidelium suorum persecutoribus, cum omnes electi capiti suo per fidem uniti unum faciant[6] corpus. Qui enim est caput, est et advocatus; quia *advocatum habemus apud patrem Jesum Christum,* ut ait Apostolus. Sane membra non vigent sine capite, a quo habent esse, vivere et posse; capiti tamen subest omnia posse sine membrorum juvamine. Et quia multi fidelium unum corpus sumus in Christo, si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra quodammodo. Unde patet litteræ sensus, quia qui persequitur corpus, persequitur et caput. Saulus itaque æmulationem veteris legis habens, sed non secundum scientiam, quando persequebatur novi testamenti æmulatores trahendo illos in custodias et carceres, nonne audivit increpationem divinæ vocis terribiliter ita intonantis: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Deus nempe in cælo, nec minus est, ut credimus, in omni loco; sed ut advertere potest quisque cordatus, quando hæc intonabat divinus sermo, Paulus non putabat se Deum persequi nec gladio nec aliquo telo. Qua in re procul dubio tenemus mente quia qui persequitur sanctos, persequitur Christum in suo corpore, propheta vice Christi ita attestante : *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.* Cujus rei gratia quid ad hæc est nobis agendum, nisi ut semper et ubique benedicamus corde et voce Dominum, qui[7] propter multitudinem miserationum suarum in tribulatione fidelibus suis protectionis suæ porrigit manum? Perstringendo ergo pauca per excessum a recto tramite divertimus gressum : sed jam nunc revertendum est ad omissa, et succincte tangantur quæ restant dicenda.

24. Innumera quidem sunt miracula quæ per merita hujus sanctissimi patris nostri virtus operari dignata est divina; sed priorum [1] incuria scriptorumque neglegentia ad ædificationem fidelium nequaquam sunt stylo exarata. Ex quibus tamen auditu plura [2] didicimus, sed non illis personis

— [4] correptionem 7. — [5] *Reliquum cap.* (Non est-dicenda) *om.* 7. — [6] faciunt 2. — [7] (D. q.) 1 *post ras.*

Num. 24. — [1] *corr. ex* piorum 7. — [2] *corr. ex* plurima 7.

referentibus, quibus facile interioris auris auditum accomodare auderemus : præsertim cum non sit tam parvi meriti iste de quo loquimur sanctus, ut mendacii indigeat assertionibus [8].

IX [1]. Quod sanctus duci Gisleberto in somnis apparuerit et ab eo scutum unum [2] ad protegendum suum [3] habitaculum petierit.

25. Non est occultandum sub modio silentii, sed lucendum in vertice candelabri quid circa sanctum Gislenum contigerit tempore ducis Gisleberti. Idem [4] famulus Domini Gislenus sub monachico habitu in mundo deguit, et idcirco, postquam adorandorum sanctorum numero auctus est, servitium monachici ordinis præ ceteris ordinibus sibi adoptavit. Sed sæpe miserabiliter solet evenire in seculo caduco ut, impediente diabolo totius bonitatis inimico, proclivis fiat de bono ad malum bonorum institutio. Igitur cum quadam vice ipse locus habitationis sancti confessoris Gisleni a superveniente persecutione inimicorum esset populatus, conventus ibi famulantium monachorum necessitate compulsus ab ipso statu loci dicitur esse dispersus. Postea vero cum respirare cœpissent prius vastati populi, qualicumque modo ipsum locum, Cellam vocatum, requietionis sancti Gisleni, tenere [5] ingressi sunt canonici. Qui enormi more vivere gaudentes, conjugiis adhærentes, secularibus negotiis sese [6] implicantes, famulatum almi confessoris, quem cum religiositate gerere debuissent, erant dehonestantes : quia majorem sollicitudinem capiebant de familia sua [7] nutrienda quam de dominica ecclesia decoranda. Ipsum etiam corpus sancti confessoris Gisleni per quæque loca deportabant, et quidquid pro oblatione ad feretrum ejus circummanentium fidelium largitas conferebat, non ecclesiæ instrumentis dabant, sed ad

— [8] Quapropter relictis incertis et mendacibus, illud quod nostris factum est diebus annectere huic schedulæ operæ pretium credimus ; quia miracula quæ sive per se, sive per sanctos suos divina operatur virtus, non ob hoc in sancta fiunt Ecclesia, ut populi tantum fiat concursus cum verborum favoribus, — non enim signa dantur fidelibus, — sed ut unusquisque peccatorum pondere pressus ante mentis oculos cum pœnitentiæ stimulis animæ reducat vulnus, atque, ut sanari queat, inexhaustæ bonitatis medicum imploret cum humillimis precibus *add* 7.

Caput IX. Num. 25. — [1] *Totum caput om.* 7 ; *illud edidit Mab., op. cit., p. 798, num. 6.* — [2] *om.* 2. — [3] *om.* 2. — [4] isdem 1, 2. — [5] temere *conj. Mab.* — [6] se *Mab.* — [7] (f. s.) s. f. 2, *Mab.*

proprios usus furtim retinebant. Quæ res sæpe miris modis dignitatem prædicti confessoris offendebat, nec taliter famulantium consuetudinem approbabat. Quadam vero nocte suprafato duci Gisleberto in somnis visus apparuit, quem talis petitionis voce admonuit: *Da mihi scutum unum, cujus protectione muniatur habitaculum meum : quia omnibus diripientibus pateo ad ruinam, nec sentio damnatus advocationem aliquam.* Duci autem interroganti, quem habere scutum [8] optaret, dedit almus Gislenus responsum quod Gerardum abbatem vellet : qui multas abbatias regens, in ipsis diebus probabilis vitæ habebatur, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Tunc dux curam gerens hujus rei, conventum principum statuit ad placitum tenendum apud portum Dinant vigore præcepti sui. Cum igitur hora statuti temporis ad jussionem ducis convenirent satrapæ, adfuit inter eos etiam [9] Gerardus abbas, bonæ memoriæ, ad quem cœpit dux hujusmodi sermonem facere : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Vos ex imperiali edicto quam plures abbatias regitis, quæ donante Deo et vestra sollerti dispositione, possessionibus abundant multis et servientibus Deo placitis. Sed necessitas poscit quod confractum est consolidare* [10], *et quod decidit in melius roborare. Est quædam abbatia in honore primatum apostolici ordinis, videlicet Petri Paulique* [11] *nec non sancti confessoris Gisleni fundata, vocabulo Cella appellata, quæ sub regimine domini nostri imperatoris est simul cum multis aliis computata, sed pro culpis nostris hactenus nimis neglecta. Quam caritativi antecessores de rebus ad se pertinentibus construxerunt; sed mutato per seditionem seculi monachorum ordine, qui ibi quondam famulabantur, nunc clericorum turpem vitam illic ducentium manus ad nihilum trahunt. Quam precor ut ad vos recipiatis, et secundum institutionem vestri ordinis transmutetis, ejectis inde voracibus clericis.* Quod præceptum prius [12] abbati visum fuit difficile, pro multis aliis abbatiis quas habebat gubernare; sed postea [13], consilio ceterorum principum sibi comparium rogatus, non sprevit ducis petitionem implere; sicque locum illum recepit ad sese : quem dum vixit non neglexit quantum potuit amplificare.

X De muliere quadam contracta meritis beati viri mirabiliter iterato sanata et flamma repulsa.

26. Eo [1] namque tempore, quo idem abbas Gerardus videbatur [2] præesse sæpe dictæ Cellæ fratribus, mulier quædam nomine Dada, quæ post licitos maritalis connubii amplexus, ita est divino nutu contracta, ut suræ hærerent natibus, recuperandæ salutis gratia ante fores templi in

— [8] (h. s.) s. h. *Mab.* — [9] (i. e. et.) et. i. e. *Mab.* — [10] solidare 2, *Mab.* — [11] et Pauli 2, *Mab.* — [12] primo *Mab.* — [13] potius ea *Mab.*

Caput X. Num. 26. — [1] eodem 2. — [2] (i. a. G. v.) memorandæ memoriæ G. v. a. 7.

parvo tugurio excubabat [3], cum precibus auxilium supernæ pietatis subvenire sibi exorans beati Gisleni intercessionibus. Et quia prope est Dominus omnibus se [4] in veritate invocantibus, non distulit conferre supernæ miserationis manus quod humiliter fidelis petivit animus. Cujus rei gratia optata fruens sanitate disponit se Deo servituram [5] in eodem loco sub sacro velamine; sed vir cui legitime nupserat, contradicens dispositioni suæ, secum reducit, consentiente forensium legum [6] sanctione. Quid multis? Cogitur mulier legali ratione ad viri torum redire, sed mox multatur pristina contractione. Qua de re uterque homo [7] immani perculsus timore, timet se etiam absorbendum [8] hiatu terræ; sed ut tanti mali barathrum posset evadere, ad medicum pristinæ salutis [9] studet recurrere, confitens se errasse, atque errata desiderat gemituum fletibus punire. Denique relinquitur mulier sola manens in suo tugurio ante fores ecclesiæ per tria biennia debilis, ut venerat, et contracta. Interea apparet in eadem ecclesia quoddam memorabile signum, quod pro magnitudine sui nequaquam putamus prætereundum. Evoluto sane ab incarnatione Domini curriculo nongentorum annorum, sexta hora dominici diei XII^mo [10] kalendarum Septembrium, Gisleberto duce causa regni concertante adversus Ottonem regem Saxonum, peccatis exigentibus plurimorum, in parenergiis [11] claustri ignis primo debilis [12] furtim irrepsit cum flatu ventorum, atque [13] in tantum desævit, nulla motus tunsione pectorum, non flumine [14] lacrimarum, non dolore [15] gemituum, donec vorax illius ardoris incendium, quod numquam dicit [16] sufficit, absorberet [17] omnia usque ad cryptæ sæptum, ubi reposita erant pignera sacrorum cinerum. Sed cum ad id loci fuisset perventum, divino nutu cedit omnis æstus incendii cum crepitantium turbine flammarum, pedetentim secedens retrorsum imitando retrogradi cancri incessum. Videres namque globum flammarum instar catenati

— [3] recubabat 7. — [4] (o. se) se o. 2. — [5] (d. se D. s.) D. se s. d. 7. — [6] (f. l.) l. f. 7. — [7] *om.* 7. — [8] (e. a.) a. e. 2. — [9] sanitatis 7. — [10] duodecimo 2, 7. — [11] *supr. lin.* 1 *add. glossam* officinis; officinis 2 *in textu.* — [12] (i. p. d.) Vulcanus claudus se 7. — [13] *ab hoc verbo rursus incipit* 5. — [14] *om.* 7. — [15] *om.* 7. — [16] (q. n. d.) ignorat enim 7. — [17] absorbesceret 5.

hominis et male sanæ mentis [18] extra terminos sibi concessos progredi velle, sed in ipso effectu omnino deficere. Quæ res magis lætificare visa est corda fratrum ceterorumque fidelium quam paulo ante conturbare flagrans [19] incendium [20], quia ad cælestem thesaurum, Deo [21] miserante, sibi reservatum nihili pendebant omne dispendium sartatectorum. Ut enim pro nihilo ducit naufragus quidquid, se periclitante, ex suis absorbet tumidi maris fluctus, dum meretur [22] divina miseratione evadere nudus, haud aliter cuncti gaudebant fideles [23] exustas [24] nihili pendentes domus [25] propter reservatum sibi sacrosancti confessoris Christi corpus.

27. Et revera cui vel durissimo paganorum ad tam [1] mirabile spectaculum posito deesse poterat duplex [2] tristitiæ et lætitiæ [3] habitus: tristitiæ scilicet pro exustione [4] templi Domini cum officinis congruentibus; lætitiæ vero pro tam mirabili, superna [5] miserante clementia, recessione furentis æstus [6], qui nec lambendo attingere audebat vel [7] summotenus ubi carissimus Domini quiescebat amicus. Erat plane in tali spectaculo, ut dictum est, et plorandum sceleratis, quorum crimine tale spectabatur [8] excidium, et lætandum fidelibus, quibus divino munere tam venerabile servabatur patrocinium. Felix vere est animus cujus crimine nequaquam polluitur Dei domus; quia *domus polluta igne* procul dubio *purgabitur,* ut ait sermo propheticus. Unde necesse est, carissimi, ut unusquisque Deo fidelis redeat ad cor suum [9], et si quid deprehenderit in se correptione dignum non procrastinet de die in diem, longum sibi promittens vitæ terminum, quia qui pœnitentiæ [10] indixit remedium, diem non [11] promisit crastinum. Quapropter agamus, dilectissimi, gratias divinæ pietati ex toto corde, qui et sanctum suum tot modis dignatus est mirificare, et securim ad radicem nostræ infructuosæ ficulneæ merito positam manu suspendens consuetæ misericordiæ, adhuc non patitur excidere, fructus expectans dignos pœnitentiæ. An non in præfatæ mulieris iterata contractione quæsivit fructum dignum [12] pœnitentiæ, quæ prius voto est obligata continentiæ, nullo cogente, sed post, prævaricato voto, iterum multatur pristinæ infirmitatis discrimine propter recursum, ut vere creditur, pœnitentiæ?

— [18] (h. et-mentis) et-mentis h. 7. — [19] fraglans 2. — [20] (c. f. i.) f. i. c. 5. — [21] Domino 7. — [22] mereretur 7. — [23] (g. f.) f. g. 5. — [24] *corr. ex* exutas 7. — [25] *corr. al. man.* domos *in* 2.

Num. 27. — [1] miserabile et *add.* 7. — [2] *al. man. add. in* 7. — [3] (et l.) lætitiæque 7. — [4] (p. e.) propter exustionem 7. — [5] Domini 7. — [6] actus 5. — [7] *om.* 7. — [8] patrabatur 7. — [9] (r. ad c. s.) ad c. r. s. 7. — [10] potentiæ 5. — [11] (d. n.) n. d. 7. — [12] *om.* 5.

28. Hæc namque, sicut superius inculcatum est, per sex annos ante fores jacens ecclesiæ, cophinum stercoris adhibuit sterilitati sui cespitis in sua contractione, quatinus fructum faciendo dignum [1] pœnitentiæ ictus securis evangelicæ ad radicem arboris justo judicio positæ taliter mereretur evadere ; unde cum [2] pernox in [3] orationibus humillimis in sollemnitate sanctissimi patris nostri Gisleni quartam lectionem auscultaret in sacris vigiliis, consequi meruit divinitus [4] gaudium optatæ salutis. Atque [5] deinceps serviens Christo [6], corpore et corde humilis, sub habitu sacri velaminis [7] non solum secundo sexui, verum etiam omni pie justeque vivere volenti facta est norma vitæ salubris. Quid ergo opus est laudes referre fratrum super hujus divinæ [8] virtutis dono : *Te Deum laudamus* corde et consono ore decantare [9], quibus et sanitas mulieris desideratum præbebat gaudium, et tanti patris patrocinium tantique medici optabile remedium de salute suorum criminum non modicum promebat cordis jubilum.

29. Veraciter possumus fateri de millibus unum, quia si in omnibus, sicut esset nobis necessarium, recognosceremus superni muneris beneficium nostræ necessitudini cælitus gratis impensum, cor nostrum non meditaretur totiens mendacium, nec lingua tam serotina videretur ad persolvendum christianæ professionis præconium. Quod merito [1] esset absque [2] aliqua conclusione solvendum, si prævaleret posse humanum; quoniam illi jure omnis laus debetur, a quo sumitur omne bonum omnisque hauritur jucunditas, non per se tantum, sed et per fideles suos, quos dat esse medicos tam animarum quam corporum. Felices procul dubio sunt servi illi, quorum medicina, si in aliquo minus perita fuerit, peritia [3] suppletur magistri et domini. Felix et dominus, cui tales sunt [4] servi tamque periti medici, qui, se magistro, pro tempore sciant a cunctis languoribus morbida corpora medicari, et animam a mortifero vulnere peccati. Hi namque tales [5] valde distant ab herbigeris medicis, qui jactitant se posse mederi morbidis, ostendentes folliculos mentiti pigmenti seu cujuscumque pulveris, nil virtutis in se [6] nisi cæcandi continentis [7]. Qua-

Num. 28. — [1] (fr. fa. d.) d. fa. fr. 7. — [2] dum 7. — [3] cum 7. — [4] divinitatis 7. — [5] *om.* 7. — [6] (s. Ch.) Ch. s. 7. — [7] atque *add.* 7. — [8] *om.* 7. — [9] decantantium 7.

Num. 29. — [1] tamen *add.* 7. — [2] (absque-humanum) agendum, si indulgeret posse humanum, absque conclusione aliqua reddendum 7. — [3] perita 5. — [4] (t. s.) s. t. 7. — [5] *om.* 7. — [6] (v. in se) in se v. 7. — [7] habentes 7.

propter recedat cum folliculis lippus medicus, claudus et gibberosus, qui cum se prius debuerit medicari, utpote luscivius, infirmantibus promittit sanitatis munus, quod non valet sibi præstare nec pulverum contusionibus nec ullis potionibus. Nos siquidem habemus, Deo donante, beatum Gislenum nostræ salutis medicum[8], cujus orationis unguentum superat omne collyrium, cujusque dogmatis pigmentum nullius vetustatis incurrit senium, nihil in se habens quod deprehendatur acidum vel rancidum, sed potius quod mordeat sitque saporosum; quoniam, quamvis dicendo *pœnitentiam agite,* aliquid videatur mordere novitas pigmentorum, tamen palato cordis dulce est et saporosum *appropinquavit* [9] *regnum cælorum.* Proinde, dilectissimi, bonum est imitari tantæ salutis medicum, eritque nobis, ut credimus, valde proficuum subsequi passibus bonorum operum tantæ peritiæ magistrum. Cujus magisterium non modice est laudandum in hoc, quod sibi prius, magistro medicante, æterni [10] luminis adquisivit oculum, quatinus absque offendiculo tenebrarum mederi [11] videretur concurrentium infirmorum. Sed quem putatis, carissimi, esse magistrum hujus medici, cum iste [12] tantis prosit infirmis? Forsitan est ille [13] medicorum medicus, qui verbo curat omnia solus. Qui si uspiam posset reperiri, saluberrimum nobis videretur ejus semper amplecti vestigia diversarum sanitatum gratia [14].

30. Credimus siquidem, nec vana fides, quod absque dubio inveniremus, si per illam viam incederemus per quam beatum Gislenum incessisse cognoscimus [1]. Unde imitando [2] vestigia tanti patris et incedentes [3] per semitas justitiæ quæramus Dominum, dum valemus invenire, et invocemus eum, dum prope est. Qua de re nos [4] monet sacræ Scripturæ textus dicendo : *Quærite Dominum, et confirmamini; quærite faciem ejus semper.* Quomodo autem sit Dominum [5] quærere, Apostolus clara profert voce : corde scilicet ad justitiam credere, ad [6] salutem vero confiteri ore [7], credendo Patrem, Filium et Spiritum sanctum sub trium [8] personarum nomine unum solum et verum Deum esse, nec esse aliud nomen sub cælo datum [9] homini in quo possit quis salvus fieri. Qui ergo sic credit firma fide [10] et hoc [11] rectæ intentionis exercet operatione — fides namque sine operibus mortua in semetipsa videtur esse, — Deum procul dubio auctorem nostræ condicionis et medicum nostræ salutis meretur invenire. Quem [12] quia sic et non duplici corde beatus quæsivit Gislenus, invenire meruit quantocius, atque quoniam, quamdiu vitalis flatus superfuit in naribus ejus,

— [8] (b. G. n. s. m.) n. s. m. b. G. 7. — [9] appropinquabit 2. — [10] divini 7. — [11] mereri 7. — [12] in *add.* 7. — [13] iste 7. — [14] (e. se. a. v. d. sa. g.) d. sa. g. e. v. se. a. 7.

Num. 30. — [1] cognovimus 7. — [2] imitantes 7. — [3] (et i.) incedendo 7. — [4] *om.* 7. — [5] Dominus 2; Deum 7. — [6] *om.* 7. — [7] et *add.* 7. — [8] trino 7. — [9] (a. n. s. c. d.) s. c. d. a. n. 7. — [10] ratione 7. — [11] *om.* 7. — [12] que 5.

indefessus deservire studuit mandatis cælestibus, modo manet in domo Domini sui cum angelicis spiritibus qui semper vident faciem ejus, quia *Ubi sum,* inquit Dominus, *illic erit et minister meus.* Quapropter, dilectissimi, tanti patris informati exemplo, sentiamus de Domino in bonitate, et quæramus illum in cordis simplicitate, quia Spiritus sanctus effugit fictum disciplinæ et in corpore subdito peccatis omni purus sorde dedignatur habitare. Qua de re etiam ipse [13] Dominus dignatur nos admonere, in evangelica lectione dicens *neminem posse duobus dominis servire;* et propheta : *Coangustatum est stratum, breve est pallium; utrumque non potest operire;* quia nemo Deum auctoremque injustitiæ [14] in lecto mentis suæ pariter potest recipere. *Quæ est enim,* ut ait Apostolus [15], *conventio Christi ad Belial? aut quæ participatio luci ad tenebras?* Nulli fideli dubium, carissimi, quod qui in tenebris ambulat nescit quo eat; quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus. Proinde bonum est nobis ut, dum lucem habemus, in lucem [16] ambulemus, quatinus filii lucis esse possimus; quia, quamvis [17] filii iræ fuerimus, non sumus [18] noctis neque tenebrarum. Idcirco juxta admonitionem Apostoli, *non dormiamus sicut et ceteri, qui spem non habent : sed vigilemus et sobrii simus, induti lorica justitiæ et calceati pedes in præparatione evangelii pacis in omnibus, sumentes scutum fidei, ut possimus omnia tela nequissimi* [19] *ignea exstinguere, non relinquentes galeam salutis et gladium verbi Dei;* quoniam his armis a dextris et a sinistris muniti, meritis et intercessione sanctissimi patris nostri Gisleni evadere poterimus tentamenta hostis antiqui, ac contemplari faciem totius salutis medici. Quem si neglexerimus toto corde quærere, desperationis signum est de salute.

31. Sed cum quæramus, irruente aliqua infirmitate, medicum corporis, quod est mortale et corruptibile, cum tota mentis intentione et munerum oblatione, cur debemus non quærere omni ingenio, omni arte, omni humilitate medicum animæ, quæ æternum victura est juxta efficaciam operationis suæ? Medicus corporis forte non invenitur quæsitus, aut, si fuerit repertus, cum sit in appretiatione medicinæ avarus, sumptuosus, prodigus, vix parum aut, quod frequentius accidit, nil nostris prodest infirmitatibus, sed nobis incisis et cauteriatis et infirmioribus relictis, nesciens mederi, quæsita occasione, cum saccello nummis [1] farto recedit iratus. Medicus vero medicorum Dominus noster Jesus Christus, qui est sola spes solaque infirmorum salus, vera confessione et pura conscientia quæsitus, nequaquam de

— [13] (e. i.) i. e. 5. — [14] (D. a. i.) auctorem i. Deumque 7. — [15] (a. A.) A. a. 7. — [16] luce 5, 7. — [17] licet 7. — [18] jam *add.* 7. — [19] nequissima 5.

Num. 31. — [1] ære nummorum 7.

longinquis adducitur regionibus, quia implendo cælum et terram manens ubique [2] totus adest pro foribus, testante id ipsum teste fideli et vero [3], qui vice Christi [4] dicit Laodicensibus [5] : *Ego sto ad ostium et pulso,* mederi cupiens mihi aperientibus. Cui si vere confitendo digneque pœnitendo aperuerimus, intrabit ad nos oleo misericordiæ plenus, medens omnibus nostris languoribus, cœnabitque nobiscum, et nos cum illo, sed de suo non de nostro interna nos satietate reficiens cibis salutaribus et numquam deficientibus [6]. Cujus rei gratia bonum est confiteri Domino, cui patent universa quæ fiunt sive in publico sive in occulto. Valde est enim jucundum et esse et vivere cum illo; quia nihil mali umquam nobis poterit esse cum illo, nec aliquid boni sine illo. Est nobis quoque per omnia salubre in illo manere, quia sicut palmes non potest ferre fructum a se ipso [7] nisi manserit in vite, sic nec nos abscisi de ejus corpore; quoniam qui in vite non est, in Christo non est; qui in Christo non est, christianus non est. Quocirca, fratres carissimi, ne abscissi de ejus corpore pro ariditate nostri igni inexstinguibili tradamur sarmentorum more, beati Gisleni vestigia pro posse imitando die noctuque, et ejus sacris orationibus nos commendando cum humili prece, hæreamus capiti nostro Deo et [8] Domino nostro Jesu Christo firma fide ac [9] cordis puritate, nec divellamur ab eo ulla ratione; qui de interitu vitam nostram redimens, omnibusque iniquitatibus nostris propitians, ut verus medicus omnes infirmitates nostras sanavit sua gratuita pietate [10]. Benedicamus illum itaque [11] in omni loco et tempore suppliciter orantes assidue, ut desiderium nostræ bonæ actionis de die in diem dignetur incrementare, nostrisque bonis studiis occurrere, atque auxilii gratia porrigere manum suæ misericordiæ; quatinus, sua clementia nostris piis actionibus [12] in omnibus favente, renovati spiritu in omni sanctitate sicut juventus aquilæ, in illa [13] David civitate ut candens lilium mereamur æternum florere, ubi cum hymnidicis angelorum choris laudes sine defectu ei possimus cantare [14], qui nos de tenebris in admirabile lumen suum dignatus est vocare, Jesu Christo scilicet Domino nostro, cui est æterna laus sine defectione, gloria perpes cum æterno Patre sanctoque Flamine et nunc et sine aliquo seculorum fine. Amen [15].

— [2] (m. u.) u. m. 7. — [3] (et v.) *om.* 7. — [4] (v. Ch.) *om.* 7. — [5] *corr. al. man. ex* Laodicenses 7. — [6] (et n. d.) *om.* 7. — [7] (se i.) semetipso 2. — [8] (D. et) *om.* 7. — [9] de 5. — [10] sed *add.* 7. — [11] *om.* 7. — [12] actibus 7. — [13] superna *add.* 7. — [14] decantare 7. — [15] *hic desinit* 7.

De miraculo a sancto patrato in loco qui vocatur Grandis Locus.

32 [1]. Sunt aliqui qui in quibuscumque operibus suis satagunt ad oculum servire tanquam hominibus placere, et si accinxerint se ad mirificanda prælatorum suorum gesta, ubi vera non sufficiunt, permiscent adjectiva. Nos vero pro tanto ac tali patrono movere decernimus manus, qui confessor Domini dicitur Gislenus, cui nullus adjectivorum figmentorum est usus, quia probatis publice pollet virtutibus. Cujus divulgatum miraculum quod patratum est ab eo in loco qui dicitur Grandis Locus [2] tempore Arnulfi et Raineri comitum [3] dignum duximus non fore oblivionis rubigine occultandum. Tunc temporis dira necessitas adamantinis clavis fixerat vicinia Hainacensium, videlicet sterilitate terrarum, raritate [4] pluviarum, seditione hominum, multisque causis quibus laborare solet genus humanum. Ipsi etiam Montenses et Hornutenses tantos irarum strepitus exercebant in [5] invicem, ut cum quadam die, sicut sæpe solebant, pugnandi [6] concursum facerent, ex parte Montensium occisi caderent decem. Unde Montenses tantas insidias ingerebant Hornutensibus ut, si copia possibilitatis illis daretur, irrecuperabilibus eos adnihilarent cædibus. Sed pro hujusmodi clade pacificanda, necnon et alia multimoda necessitudine in melius restituenda decretum est ab abbate Simone, qui ipsis diebus præerat Cellensi ecclesiæ, atque a fidelibus vicinis, qui erant cum justitia volentes vivere, ut simul comportarentur corpora sancti Gisleni et sanctæ Waldedrudis [7] in prædictum Grandem Locum cum dulcium laudum cantione; ante quorum præsentiam omnes malefactores sponderent, se abinde a maleficis operibus suis [8], quibus ante insistebant, cessare; et sic placeret Domino flagellum quod supereminebat mitigare [9]. Ille nimirum conventus sub tali tenore indictus fuit a præceptoribus : ut omnes qui conventuri erant, illuc sine armis, quæ læsionem possent facere, properarent nudis et ad orationem extensis manibus. Sed Montenses dolore cordis tacti intrinsecus pro occisis parentibus suis, quos prædiximus, ab Hornutensibus, clam ante cucurrerunt; atque inter [10] frutecta et arbusta arma sua furtim contexerunt; de quibus venientes Hornutenses ignaros [11] et improvisos occidere voluerunt. Indigenæ etiam Hainacenses in ipsis diebus quadam falsa frustrabantur opinione, mussitantes alterutrum, quod venditum haberetur corpus sancti Gisleni comiti Balduino ab abbate Simone, quod postea rei exitus pro mendaci probavit existimatione. Quid plura? Ad locum supra-

Num. 32. — [1] *Numeros 32-34* (Sunt aliqui-est sermo) *om.* 2. — [2] *Sequentia habet Mab., op. cit., p. 799, num. 7.* — [3] sequens patratum est miraculum *add. Mab.* — [4] rapacitate 5. — [5] *om.* 5. — [6] pugnando *Mab.* — [7] Waldetrudis *Mab.* — [8] (o. s.) s. o. 5. — [9] antiquare *Mab.* — [10] in *Mab.* — [11] ignorantes *Mab.*

fatum cum corporibus sanctis pervenitur; castigatio populi ab abbate Simone incipitur, et ad ultimum excusatio de venditione sancti corporis ab ipso abbate ita inchoatur: *O Domine, cujus visus dominatur in mente, cum hominis cognitio non valeat esse nisi in facie, si vere scitur a te integrum corpus nostri patroni hic adesse, clarifica hoc ante conspectum dubitantium indicio virtutis tuæ.* Quam orationem secutus est tantus fragor tonitrui et nebulæ atque commoti desuper aeris [12]; insuper et pallium [13] excussum est, quod tegebat secretum digni confessoris, ut procul dubio cognoscerent hi qui prius hæsitabant, certum [14] corpus ibi adesse, quod putabant abesse venditionibus illicitis. Qua visa causa hi qui insidiantia arma absconderant [15] compuncti, necnon et cuncti alii humi prostrati, communi voto conclamant [16] sub pacis sponsione observanda [17] auxilium sancti Gisleni; multisque muneribus eum ditantes cum gaudio retulerunt eum, ad propriam Cellam repedantes.

Incipit textus miraculorum, quæ etiam nostris temporibus divina virtus per beatum operata est Gislenum.

33. Quæ igitur utcumque sunt prælibata, hæc omnia docuerunt calamum currentem cartularum [1] scripta, excepto quæ de pisce, Simone abbate auctore, videntur præscripta. Quæ vero subnectuntur auditu auris didicit nostra mens a quodam fratre, nomine Eilfrido [2], quem a puero cœnobium beati Gisleni nutrivit et erudivit sub cœnobitali norma. Cujus dicta fidem non fecissent calamo currenti, nisi causa fidejussionis satisfecissent cuculla professionis et infula sacerdotalis. Ait namque quod nostris temporibus, se commorante in Laudunensi regione, erat quidam miles, Lantbertus nomine, in Calneio oppido, qui non posuerat Deum adjutorem suum, sed sperabat in multitudine divitiarum suarum, temporale bonum deputans sibi quasi æternum. Qui carnaliter vivendo abundabat non solum [3] frumento et vino, sed et omnium temporalium bonorum [4] commodo. Videbatur etiam quasi consolari seipsum dicendo: *Anima, habes multa bona tibi posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe et epulare;* cum ignoraret stultus quod aliter se haberet divina dispositio. Cui cum

— [12] (d. a.) a. d. 5. — [13] (i. et p.) et p. i. 5. — [14] certo *Mab.* — [15] attulerant *Mab.* — [16] conclamabant 5. — [17] observandum *Mab.*

Num. 33. — [1] *om.* 5. — [2] Heifreido 5. — [3] (n. s.) *om.* 5. — [4] *om.* 5.

ad votum attulissent liquorem vini vineta sua, nec essent ei præ nimia abundantia sùfficientia dolia, in quibus tanta lyæi premeretur copia, unus ex parasitis, qui soliti erant sibi astare cibandi gratia, refert se vidisse in cellario sancti Gisleni, quod erat Alemannis, plurima dolia. Qua de re lætus effectus, missis officialibus, suis usurpavit usibus. Sed cum soporiferæ quieti fessa dedisset [5] membra, videtur sibi vocem audire succlamantem in hæc verba : *Tu somno leniter refoves, Lantberte, membra, sed nescis qualia patiaris detrimenta, quia de doliis undatim fluunt musti liquamina.* Qua voce experrectus dicto [6] citius surgit impiger pedibus. Qua de re conjunx illius mirata ita affatur eum voce amica : *Quorsum vultis ire, domine, hac hora, cum adhuc nec nox sit intempesta?* Et ille : *Numquid non audisti vocem hominis qui me modo vocavit, monens ut vasis succurrerem vinariis?* Ad hæc illa : *Amantissime domine, qui estis non dimidia, sed tota et unica pars animæ meæ, ne credatis me [7] ea re quod in toto hujus noctis præterito dulcis somnus coegit me dormire, dicere; qui nec suasit vel leviter nutantibus [8] oculis dormitare; sed quamvis voces diversas audierim satis clara aure, vocem tamen quam dicitis vos audisse, confiteor me neque in modico neque in magno sensisse. Sollicitus enim estis pro vestris bonis, et ideo visum est vobis quod hæc vox quam dicitis insonuisset auribus vestris.* Credidit Lautbertus verbis mulieris, sicque reddidit se placidæ quieti. Parvo vero intervallo facto, iterum adest vox et secundo et tertio vocans Lantbertum eo modo quo primo. Qui, licet contradicente uxore, præceps surgit de lecto, atque propero pede venit ad cellarium cum cereo accenso. Ast ubi exstitit cellarium reseratum, subito adsunt ei angeli tenebrarum, atque lucerna extincta, Lantbertum subito comprehensum impellunt in unum doliorum et relinquunt exanimem immisericorditer cruciatum.

34. Verus est itaque sermo Domini dicentis *neminem posse servire Deo et mammonæ. Qui autem* [1] *servit peccato, servus est peccati; qui*

— [5] dedissent 1, 5. — [6] ei *add.* 5. — [7] *ita* 1 *man. pr.*, 5; in 1 *ex corr. rec.* — [8] *corr. man. post. ex* natantibus 1.

Num. 34. — [1] enim 5.

autem servit Deo, habet fructum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Magna namque miseria et valde deflenda est in humana natura, quæ magis sequitur ducem et rectorem tenebrarum, quam verum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Inquiramus nunc, dilectissimi, mentis nostræ secretum, si sequamur lumen verum[2] Dominum nostrum Jesum Christum, quem veraciter sequi vivere est in æternum. Recolamus etiam illud apostolicum : *Filii lucis abjicire debent opera tenebrarum;* et oremus illud psalmistæ : *Illumina, Domine, oculos meos, ne unquam dormiam in morte ; ne quando dicat inimicus meus : prævalui adversus eum.* Quem enim dignatur illuminare, potestas tenebrarum non valet fuscare. Qui ergo tenebrarum domino adhæret, merito in tenebris manet : quod liquido apparet in illo misello de quo hactenus habitus est sermo.

XI. Quod[1] ad puteum sancti cuidam Dominico oculi sunt restituti.

35. Verum quia hæc quæ interim pinximus non satis sunt læta, vertatur articulus ad lætiora, et qualiter omnipotens Deus[2] sanctum suum eodem pæne tractu temporis clarificaverit, divina nobis aspirante gratia, prout a præfato monacho didicimus, fideliter pandat penna; quæ enim dicturi sumus confirmant nonnulli se vidisse qui adhuc supersunt humanis rebus, dicentes quod in villa, ubi venerantur pignera sancti Salvii, commanebat quidam homullus nomine Dominicus, pauper quidem rebus, sed pauperior frontis luminibus. Qui, ut affirmant, sub nomine suæ christianitatis in visione est monitus, ut impiger adiret Cellam, ubi pro meritis veneratur pretiosissimi confessoris Christi Gisleni corpus, et, oratione pro se facta, cum fide de puteo ejusdem sancti ablueret oculos suos quantocius. Lætus ergo cæcus de visione, gratias agit divinæ misericordiæ, sumptoque baculo cum solito ductore perrexit ire. Qui non segniter omnia adimplens[3], extemplo intercessione beati Gisleni donatus est munere optati luminis, lætus rediens domum sine adminiculo ductoris. Si superesset Hunoldus, qui tunc temporis erat æditiuus, memoratoque palponi aquam hausit

— [2] (l. v.) v. l. 5.
Caput XI. Num. 35. — [1] *Abhinc rursus* 2. — [2] Dominus 2. — [3] implens. 5.

benevolus, eadem referendo omnem auferret dubitationem veris assertionibus.

36. Igitur, quia opera Dei quæ operatur per sanctos suos, sicut per Raphaelem archangelum cælestis medicinæ edocemur bajulum, manifestare et in lucem propalare honorificum est, dignum ducimus etiam illa litteris commendare quæ meritis beati Gisleni noviter idem mirabilis artifex dignatus est patrare. Ut ergo legimus in sacris libris, duæ sunt civitates, una videlicet Dei, quæ est ecclesia, altera diaboli, Babylon scilicet confusione plena. Sed quia civitas Dei paci et concordiæ semper est amica, diaboli vero civitas superbiæ et discordiæ cornibus elata, nulli dubium est cordato quod civitas Dei, quæ est sancta Ecclesia, semper tendat ad superna, ubi sunt æternæ pacis gaudia; illi vero quos subdidit sibi fraus diabolica nihilominus quærant quæ sunt ima et caduca. Unde sicut dicit Apostolus : *Mundus in maligno est positus,* quoniam amatores mundi qui tenentur in parte diaboli indesinenter opprimunt et affligunt filios Dei, modis omnibus quærentes quæ sunt sæculi, non quæ Jesu Christi. Vix enim potest effari quot modis affligantur filii lucis a filiis noctis, immisericorditer persequendo, publice deprædando, insidianter tollendo et diversissimis modis non solum pauperes sed et ecclesias sine misericordia [1] devastando. Qua [2] necessitate compulsi domnus abbas Heribrandus cum suis fratribus anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo trigesimo quinto, non valentes ferre vastationem sui loci, cum corpore beati Gisleni visi sunt adisse clementiam imperatoris Conradi, lacrimabiliter se reclamantes de vastatione sui loci et de indigentia sui cœnobii. A quo benignissime consolati et munificentiis regiis ditati, insuper et regali imperio optata pace donati ad notum sibi cœnobium cum sacris pigneribus non sine lætitia sunt reversi. Idcirco ista interposuimus, ut facilius legentibus ostenderemus quæ mirabilis Deus in eundo mirabiliter operari dignatus est pro sæpefati sancti pigneribus. Cum igitur venissent ad villam quæ vocatur Viusatium [3], sanctamque glebam beati Gisleni ad hoc detulissent ad monasterium, ut ibi adimplerent divinum obsequium, matricularius ecclesiæ, videns illos a longe, obserravit ostium, et sic resedit ante monasterium, negans se illius templi esse [4] clavigerum.

Num. 36. — [1] (s. m.) *om.* 5. — [2] *Sequentia habentur apud Mab., op. cit., p. 799, numm. 8, 9.* — [3] Visatium 2; Riusatium *Mab.* — [4] (i. t. e.) e. i. t. *Mab.*

Petentibus ergo fratribus qui vehebant sacrum corpus, ut aperirentur illis januæ ecclesiæ, ut possent explere divinum opus, nullo modo voluit adquiescere illorum petitionibus prædictus matricularius. Qui diu morantes, et ut illis aperiretur [5] unanimiter orantes, non potuerunt impetrare quod poscebant unanimes. Sed cum jam in id illorum esset consilium, ut inde redeuntes in insula, quam propter cingebant brevia Mosæ brachia, suum tenderent tentorium, ecce divina virtute aperiuntur ostia ecclesiæ, clamantibus omnibus : *Gloria tibi, Domine.* Peracto namque obsequio divino, inde digrediuntur, in prædicta insula suum tendentes tentorium, pro modulo suo honorifice tractantes sacri corporis feretrum ; ac deinde peragunt quod exiit necessarium cotidianæ militiæ negotium. Illis ergo agentibus sua seria, quædam cæca muliercula, audito signo quod contigerat in ecclesia, puella sua citata, quantocius venit ad sancti Gisleni pignera. Ubi humiliter prostrata, Dominum orat cum prece humillima; orationeque completa, meritis beati Gisleni, quæ diu fuerat cæca, domum revertitur clare videns omnia. Quid putatis, dilectissimi, quantus sit in majestate propria, per cujus gratiam servi sui operantur tanta mira tamque præclara? Bene ergo dicit Scriptura quia *magnus est et immensus, et magna est virtus ejus; et sapientiæ ejus non est numerus.*

37. Præfatus igitur abbas Heribrandus, iter suum peragens, cum pervenisset ad sanctimoniales quæ in Torno militant Deo sub institutis regularibus, efflagitatus a nobili abbatissa Gerberga [1] et subditis sibi sororibus, vitam sancti Gisleni transcriptam dominabus illis indulsit, multum super hoc gaudentibus. Cujus rei gratia præclarum confessorem Christi Gislenum in magna veneratione habentes, omnipotenti Deo in festivitate ipsius devote offerunt debitæ servitutis [2] laudes. Unde videtur nobis fore dignum brevibus verbis notare miraculum, quod divina potentia operari dignata est per merita ipsius sancti post unius anni decursum. Prædicta namque abbatissa uni suarum puellarum in geneceo sibi servientium indulserat maritale contubernium [3]; quæ ob difficultatem partus mortis propinquabat ad ostium. Qua de re domina subtristis effecta versabat se omnes in partes, non pigra quærens qualiter famulæ posset succurrere, quæ videbatur in extremis constituta ; cum subito inspira-

— [5] aperirentur *Mab.*
Num. 37. — [1] Geberga 5. — [2] servientibus 5. — [3] commercium 2.

lione divina occurrit illius animo sententia de muliere illa quam Deus in Resino per merita beati Gisleni a simili liberavit periculo; unde cursu rapido acceptam vitam beati Gisleni uni sanctimonialium dat, ita obortis lacrimis effata : *Curre citissime et hanc suppone in angustiis constitutæ. Valet enim omnipotentia Dei per merita beati Gisleni et nostræ misellæ nunc misereri, sicut quondam miserta est similiter periclitanti.* Quid moramur sermone, cum secundum fidem abbatissæ medicina non sit morata a partu liberatæ? Quæ res a multis est agnita et in magna admiratione habita, mirantibus cunctis ad quos pervenerat hujus rei fama, et magnificantibus Dominum, qui etiam sine præsentia suorum fidelium per merita illorum tanta facit mirabilia. Quod auditur, nemo putet esse somnium neque anile commentum, sed opus omnino divinum. Unde ut auferatur a cordibus dubitantium omne ambiguum, indicio est mulier a partu liberata et sanitati perfectæ reddita, quam cum prole sua beato Gisleno tradidit venerabilis abbatissa, Deo et hominibus amabilis inventa, quia castitatis et religionis amica. Quod ergo meritis beatissimi Gisleni mulier sit liberata, nullus fidelium dubitat, et quod fides abbatissæ nihil obfuerit, qui sanum sapit, nemo ignorat, cum Dominus apostolis dicat : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic monti : Tollere et mittere in mare; et obœdiret* [4] *vobis.* Unde et alias Dominus : *Omnia,* inquit, *possibilia credenti.* Plura igitur de laude fidei et meritis prædicti patrís possent comprehendi stylo; sed quia in longum protractus est sermo, ne flebilis rumpatur anhelitus, finem postulat arans arundo.

— [4] obedirent 2.

OFFICIUM

A MONACHIS CELLENSIBUS

in festivitate Sancti Gisleni

RECITARI SOLITUM.

Responsorium. Alme confessor Christi Gislene, humiliter tibi supplicantium vota suscipe, atque pro eorum erratibus pium Dominum deposce.

A. Sancte Gislene confessor Dei electe, aures tuæ paternitatis accommoda voci nostræ, protegens nos semper et ubique tua pia intercessione.

A. Sancte Gislene, populo tibi supplicanti clementer succurre, mundans eum ab omni criminum labe tua sancta interventione.

A. Gratiose Christi confessor Gislene, gratiam nobis, quæsumus, impetra divinæ misericordiæ, grata Deo offerens libamina pro nostra salute.

℟. Adgaudens sacer Autbertus beati Gisleni studiis, ejus obtentu monasterium Cellæ ad laudem Domini dedicavit. — ℣. Accersito secum Dei cultore Amando, cum magno circumfusæ plebis tripudio. Monasterium — Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Monasterium

Hymnus.

Hæc nunc frequens devotio
Præclaro pangat jubilo,
Hymno resultans merita
Sancti Gisleni præclua;

Abrahæ more patria
Qui linquens beneficia,
Se commisit exsilio
Oraculo sidereo;

Qui deserti latibula,
Ursi penetrat abdita,
Prædicans dotem fidei,
Ut præcursor Altissimi.

Confortent ejus commoda
Nos peccatores inclita,
Ut probra mundi vincere
Læti possimus provide.

Hoc summa præstet caritas,
In Deitate Trinitas,
Cui decus et gloria
Est per æterna secula. Amen.

℣. Justus ut palma florebit.

In Evangelio. O pater, æterna Gislene coruscus in aula,
Sit tibi quantus honos nunc cælicus inspicis heros;
Nos quatimur sævis mundo fluitante procellis:
Respice per Christum lacrimas et vota gementum *,
Luminis ut tecum sit fas contingere portum.

* *corr. in cod. ex* gemitum

Invitatorium. Progenies lucis, Gisleni plaudite festis;
Est quia cælicolis sociatus in æthere civis.

Sequitur hymnus.

Rex sanctorum lux et virtus,
Verus de Deo Deus,
Audi laudes nunc benignus,
Quas tibi subtilius
Tam clerus quam præsens vulgus
Devoti persolvimus.

Quicquid spirat, te collaudat;
Quicquid est te prædicat;
Inter quæ vox nostra * pulsans
Ad te, Christe, clamitat;
Ut pium præstes auditum
Toto corde postulat.

* *verbulum erasum in cod.; videtur* sonat

In te solo spes tuorum
Certa stat credentium,
Quos levas festis sanctorum,
Confortas et plurimum;
In quis nomen tuum sanctum
Laudatur per sæculum.

O quam digne tu laudaris
Sanctorum sollemniis,
Quos facis gaudere sertis
Semper candidissimis;
Sanctus quibus nunc Gislenus
Lætatur cum angelis.

Qui vitam duxit pudicus
Plenus et virtutibus,
Divinoque verbo clarus,
Multis fulsit angelus,
Nuntius salutis factus,
Quos misit cælestibus.

Præsta votis supplicantum
Quod vox poscit cordium,
Esse credimus quem trinum,
Ast unum et verum Deum,
Exstat cui posse totum
Per seculorum seculum. Amen.

In I nocturno. — A. Illuxit nostris cæli miseratio Gallis,
Attica Gislenum tellus ubi protulit almum.
Psalmus *Beatus vir*
A. Splenduit in puero præcelsæ stirpis origo;
Sed virtus potior, tum morum gratia major.
Psalmus *Quare fremuerunt*
A. Culmen prosapiæ divino sprevit amore;
Ob cæli gazas terræ placet omnis egestas.
Psalmus *Cum invocarem exaudivit*
A. Scholis prudentum studio datus inde parentum,
Addiscit propere quæ sunt rationis in arte.
Psalmus *Verba mea*
A. Junctus Atheneis post hæc veneranter alumnis,
Quæque * philosophicæ penetrat fastigia sectæ. * *cod.* quaequae
Psalmus *Domine Deus noster*
A. Inscia sed veri quam sit sapientia mundi
Mox ubi comperiit, animum cælestibus indit.
Psalmus *In Domino confido*
℟. Ortu Gisleni Græcorum sanguine clari
Fit status Ecclesiæ divina clarior in re;
Utpote quam meritis puer inclitus auxit opimis.
℣. Floruit exili sub pectore mente virili,
Utpote quam meritis
℟. Laude sacerdotii venerandus in ordine cleri
Sanctus, item norma præclarus basiliana,
Lustrat honorata Francorum secula Roma.
℣. Partibus his sancti verbo fruiturus Amandi,
Lustrat
℟. Gislenum dictis ubi mulcet præsul amicis,
Castrilocum migrat operi vigilantior instat,
Hic peragenda ratus, monuit quæ cælica virtus.
℣. Lantbertum sane sociat sibi Belliriumque,
Hic
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Hic

℟. O pietas Domini, o virtus maxima Christi!
Desinit ira canum, petiit ubi belua sanctum;
Hic omni latebra stat vestis tutior umbra.
℣. Ipsi cum ducibus iratus * rex Dagobertus
Cedendum * statuit, ubi tanta negotia discit.
Hic omni.

* *cod.* miratus
* *cod.* caedendum

In II nocturno. — A. Doctus apostolicis mundum superare magistris,
Sese eremi castris sociat vir spiritualis.
Psalmus *Domine quis habitabit*
A. Hic vitiis certat, animam virtutibus ornat;
Nil quod prætulerit majorum norma, relinquit.
Psalmus *Domine in virtute*
A. Ordinibus sacris quare veneranter adeptis,
Dignior æternæ tractat mysteria vitæ.
Psalmus *Domini est terra*
A. Nec satis est eremi contentum legibus uti:
Exsul uti Christum quærat decernit agendum.
Psalmus *Exaudi Deus orationem*
A. Ergo Dionysii volvens exempla beati,
Cœnobium linquit, et Romam visere pergit.
Psalmus *Te decet hymnus*
A. Visitet ut Francos mandatur cælitus heros:
Est locus Ursdungus, hic vitæ transigat usus.
Psalmus *Bonum est*
℟. Quo properet sanctus aquila jam præduce doctus,
Cum catulis ursam Ursdungi in valle repertam
Effugat, et capsam reperit cum veste sacratam.
℣. Ut Christi cultum statuat, genus omne ferarum
Effugat, et capsam
℟. Cella fit interea divinis cultibus apta;
Omnibus evulsis sancti sudore nocivis,
Surgit apostolicis Petri Paulique triumphis.
℣. Gloria sit trino qui glorificatur in uno:
Surgit
℟. Præsul ut Autbertus Gisleni comperit actus,
Evocat, inquirit: *Sum Græcus Christicola,* inquit;
Quod videor gerere jussere oracula Romæ.
℣. *Nunc faveas cœptis, cum nos prior ipse vocaris.*
Quod
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Quod

℟. Antistes sanctus divino numine tactus
Nil fore Gislenum cernit mortale secutum;
Ut dignum fuerat, simul amplexatur, honorat.
℣. Instet uti cœptis verbis hortatur honestis;
Ad benedicendum se spondet opusque futurum.
Ut dignum fuerat

Ad cantica. — **A.** Præsago sanctus pariter spiramine plenus,
Proclamat gravidam partus angore levatam.

℟. Auditis precibus Gisleni rex Dagobertus
Annuit, et fundo Cellam dilatat opimo,
Ne vivant inopes athletæ spirituales.
℣. Tum pater : *Hæc vere tua sunt beneficia, Christe.*
Ne vivant
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Ne vivant
℟. Ergo oratorio Gislenus rite peracto,
Autbertum geminas et Amandum invitat olivas,
Ut præstetur ab his benedictio pontificalis.
℣. Dant oleum pacis et fundunt chrisma salutis,
Ut præstetur
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Ut præstetur
℟. Prolis sidereæ fervens Gislenus amore,
Waltrudem celebres Aldegundemque sorores
Lucratur Christo verborum dogmate vivo.
℣. Vestrum Montenses insigne et Malbodienses,
Lucratur
℟. Sanctus, militia felici laude peracta,
Fulgidus et cunctis meritorum prærogativis
Transit in æthereamsuperis mediantibus aulam
℣. Lucis ut angelico gratuletur in arce triumpho,
Et ferat æternas vitæ per regna coronas.
Transit
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Sanctus

In matutinis laudibus.

A. Quam fuerit celebris Gislenus in arce Tonantis,
Claruit ex urna signorum luce stupenda.

A. Unde sacri cineris furtum struit invidus hostis,
Ut jubar exstinguat, quod prodigiis rutilabat.

A. Dumque cavere putat, fraudi * se Malbodium aptat **,
Sed sanctum præ se digno venerantur honore.

A. Prodidit ergo reos per visum mox sacer heros;
Et ni reddatur, mortem pro fraude minatur,

A. Vi tandem Stephani, qui præsul erat Cameraci,
Gemma Dei rapitur, Cellam cum laude refertur.

* *cod.* fraudis ** *cod.* putat; aptat *man. rec. sup. lin.*

Hymnus.

Gratias tibi pro posse
Reddimus, Jesu bone,
Qui nos es tanto pastore
Dignatus revisere;
Quo docemur cuncta terræ
Blandimenta spernere.

Cujus obtentu precamur
Nobis parcas omnibus,
Indulgens culparum actus,
Quos incaute gessimus,
Atque jungas jam placatus
Civibus cælestibus.

Præsta votis supplicantum
Ut supra.

In Evangelio. Christi tibi laudes quas possumus aut dare grates?
Privatos proprii grata quos sorte patroni
Clementer relevas; tua sit benedicta potestas.

PASSIO
SANCTI AUSONII
ENGOLISMENSIS EPISCOPI.

In præclaro codice seculi XII, qui nunc in bibliotheca universitatis Lugduno-Batavæ notatur num. 108, quique fuit olim ex bibliotheca v. ill. Isaaci Vossii, occurrit nobis, a fol. 87 ad 93, hæc sancti Ausonii Passio : quam operæ pretium esse visum est hic integram inserere. Etsi enim, substantiam rerum quod spectat, in idem prorsus recidit cum *vetere Legenda apocrypha*, olim a decessoribus nostris vulgata (1), at recta narrationis serie et, nisi vehementer fallimur, textus etiam integritate multum eorum editioni præstat. Fatetur quidem ipse Papebrochius, in prævia quadam annotatione (2), mutatum fuisse, ad usum officii ecclesiastici, ordinem scriptionis in antiquo illo manuscripto monasterii sancti Ausonii, ex quo ad hagiographos Bollandianos fuerat a P. Franc. du Fré transmissa, ab ipso fideliter descripta, sed primum haud integre, alteraque tantum vice complete (3). Verum nos in hoc manuscripto Leidensi hanc procul dubio nacti sumus Legendam, qualem eam præ manibus habuit Franciscus Corlæus et ex qua suam *Vitam novam* concinnavit, a Bollandianis impressam juxta editionem Francisci Bosquetii. Quod facile constabit : siquidem in nostro textu hæc omnia occurrunt quæ, a Corlæo lecta, in suo apographo haud repererat Papebrochius (4). Neque quisquam opponat nullam hic mentionem fieri ætatis *septuagenariæ*, quam ex sua Legenda asserit Corlæus Eugeniæ, quando sanctum filium concepit, tribuendam. Nimirum verba *Sexaginta et sex annorum curriculis fructu ventris privati fuerant*, quæ Papebrochius de curriculo conjugii interpretatus est, hæc eadem de vitæ curriculo dicta voluit Corlæus, nec minore, quantum nobis videtur, jure. Quæ quum ita sint, ex hac nostra melius, ut speramus, quam ex majorum editione poterit id utilitatis accipi, ut prudens feratur judicium de relationibus ex vetere Legenda excerptis; hæc nempe, etsi non probatæ sit usquequaque fidei, primus tamen fons est et unicus eorum quæ *de S. Ausonio, si non universim credita, saltem relata communiter fuerunt* (5).

(1) *Act. SS.*, ad d. 22 maii, tom. V, pag. 137-141. — (2) Ibid., p. 137. — (3) Ibid., p. 140, ante num. 8. — (4) Ibid., Comm. præv., num. 9 extr.; cfr. num. 8. — (5) Comm. præv., num. 7.

Jam, ut facilius uno aspectu appareat hæc editionum discrepantia, parvo charactere ea curavimus imprimi quæ sunt utrique communia, majori his reservato quæ propria sunt Leidensis manuscripti codicis. Item, in designanda paragraphorum distinctione, eosdem quantum potuimus numeros adhibuimus quos majores nostri : unde etiam fiet ut, haud invitis nobis, minus apte interdum res distribui videantur. At ubi, discrepante narrationis ordine, necessarium fuit et numeros mutari, intra parenthesim illum apposuimus qui in vetere editione novo nostro respondet.

Incipit passio sancti Ausonii Engolismensis episcopi.

* in *add. Boll.*

1. Sanctus itaque tam Deo quam hominibus placitus Ausonius, * territorii Aquitanici oppido, quod dicitur Mauritania, præsentis seculi sumpsit exordium ; parentibus juxta originis dignitatem genere clarissimis, gentilitatis tamen adhuc erroribus implicitis. Verum quia juxta evangelicam vocem *potens est Deus ex lapidibus suscitare filios Abrahæ,* iidem parentes, spiritus divini timore succensi, cœperunt despectis idolorum culturis creatori potius servire, quam creaturæ. Albinus igitur sancti viri genitor, mater vero Eugenia, sexaginta et sex annorum curriculis fructu ventris privati, quotidianis Dominum exorabant precibus, quatenus eis sobolem dare dignaretur. Hæc iis precibus perinde continuis orantibus, adest angelus directus divinitus, luce clara conspicuus ; cujus fulgore perterriti, penitus nihil poterant loqui, quique eos ita cœpit alloqui : *Ne timueritis, quoniam exaudita est oratio vestra.* Agnoscentes autem vocem angeli, cœperunt glorificare Deum, dicentes : *Vere Dominus angelum suum misit nobis, cujus exhortatione roborati, novimus petitionem nostram a Deo exauditam.* Talia illis perorantibus, angelus Domini benedicens eis, disparuit protinus. Confirmati igitur allocutione et angelica hujusmodi benedictione, tertiæ post hæc noctis quiete, ejus munere de quo dicitur, *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est ;* Eugenia tunc temporis, nobilissima matrona, concipiens duplici fecundata partu, duplicibus se postmodum gavisa est muneribus ditatam, dum in uno partu gemellis ditata est filiorum proventibus. Paululum vero ante partum iterum adest angelus Domini, et ita mulierem alloquitur : *Eugenia!* Cui illa respondit : *Quis es Domine?* Ad hæc ille : *Ego sum * angelus Domini, missus ad te.* Et adjecit : *Antequam noctis hujus caligo in lucem prorumpat, noveris te geminos filios parituram ; quorum alter Ausonius, alter nuncupabitur Aptonius, in tutelam et salvationem Mauritaniæ, ac totius patriæ istius.* His angelicis venerabilis femina roborata sermonibus, juxta dictum, paulo ante lucem geminos enixa est filios. Quod si alicui fortassis dubium videtur et incredulum nondum in Christo regeneratis hanc cælitus indultam gratiam fuisse, beatus illi pro hoc satisfaciat seu Lucas evangelista, sive Petrus apostolus qui testatur Corne-

* inquit *add. Boll.*

lium centurionem fide sola religionis et timoris conditori in tantum placuisse, ut testimonio missi ad se angeli ante baptismi lavacrum operibus bonis et elemosinis Deo placuisse et ob hoc gratiæ ejus baptismum promeruisse noscatur. Namque juxta Paulum apostolum aliquando *sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei.*

2. Succedentibus igitur temporum curriculis, cum necdum Christianæ religionis documentis Galliarum sive Aquitanorum provinciæ illustrarentur; verum ignorantiæ et cæcitatis tenebris * circumfunderentur, accidit beatissimum Petrum, apostolorum principem, Romæ commorantem, diversis Italiæ atque Galliæ urbibus diversos destinasse antistites : qui verbi divini semina gentilibus erogantes, eorum corda ad fructus bonorum operum reddendos vomere prædicationis exararent ; et exarando ad fidei segetes referendas * animarent. Inter ceteros vero, imo super ceteros, Galliarum urbi florentissimæ tunc temporis, quæ dicitur Lemovicas, primum misit antistitem egregium per omnia Martialem, qui verbo prædicationis, cooperantibus miraculorum signis, gentilium feritatem in divini cultus converteret mollitiem. Cujus saluberrimæ prædicationis fama comperta, clarissimus, de quo nobis est sermo, vir, Albinus scilicet ac illius illustris conjux Eugenia, id quod olim coluerant exsecrantes, cum jam, cordis fide credidissent ad justitiam, ore autem necdum in publico confiterentur ad salutem, cum maximo rerum suarum apparatu, divitiarum scilicet multiplicitate iter aggredi cum filiis suis atque familia copiosa, ad beatum Martialem accelerabant. Igitur viam eis ingressis, nutu Dei miserantis obvii facti sunt beato Martiali, qui tunc, ut credimus, Burgidalensem et Mauritaniæ confinia gratia prædicationis adire properabat. Quem prior ita allocutus est post salutationis verba Albinus: *Obsecro,* inquit, *domine mi, ut indices mihi sicubi nosti morari beatum Martialem, cujus fama jam divulgata est per orbem, cujusque prædicatio regnum cælorum promittit omnibus qui in nomine Christi ejus baptizati fuerint. Ego etenim ipse et uxor mea filiique nostri eum adire decrevimus, ut ab eo baptizari in remissionem peccatorum mereamur et vitam percipere sempiternam, quam ille prædicat.* Hæc verba generosi viri Albini beatissimus audiens Martialis fidemque et humilitatem illius intuens se de quo sciscitabatur esse indicat, ac verbum evangelii venisse prædicare denuntiat. Quibus auditis verbis, clarissimus vir Albinus et uxor ejus Eugenia, pedibus ejus advoluti, clamare cœperunt, dicentes : *Obsecramus te, beatissime et magister bone, ut baptizare digneris nos et filios nostros omnemque* domus nostræ

* diutius *add. Boll.*

* *cod.* referendos.

familiam, *acceptis a nobis munerum speciebus quamplurimis argenti et auri, purpureis quoque vestibus ac sericis.* Hæc audiens sanctus Martialis Deo gratiarum ac laudum reddidit vota, qui *omnes vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Jubens igitur afferri aquam et eam more christianitatis sanctificans, percunctari cœpit quibus vocabulis pueri eorum vocarentur. Cui venerabilis eorum mater Eugenia ea quæ supra retulimus replicavit omnia, qualiter scilicet sese habuerit nativitas eorum, per angelum Domini annuntiata et administrata, subjungens quoque eisdem imposita per eumdem angelum vocabula. Quibus acceptis verbis congruis, Martialis tam pueros quam etiam illorum genitores in fide et nomine salutiferæ Trinitatis baptizavit omnemque domus illorum familiam. Quibus peractis jussit afferri coram beato Martiale munera quæ ei mente devota attulerat. Cui beatus ait Martialis : *Aurum et argentum nullatenus accipiam tuum, sed ex eo fabrica in hoc loco ecclesiam in honore Dei.* Quam dedicans beatus Martialis, sumptis secum duobus prædictorum filiis, Ausonio videlicet et Aptonio, Burdegalam maritimam Galliarum urbem expetiit, verbumque in ea serere dominicæ prædicationis civibus illis cœpit. Prædicante vero eo, multi credentes Christo baptizati sunt in remissionem peccatorum.

3 [**11**]. His expletis reversi sunt ad hospitia sua beatus Martialis cum discipulis suis Ausonio atque Aptonio. Quiescentibus autem illis, circa primæ vigiliæ tempus, adest angelus Domini beato Ausonio in visu, transitum patris et matris ipsius, qui in crastinum futurus erat, illi prænuntians. Surgentes vero circa mediæ noctis tempora, instanter matutinalibus psalmodiis et orationibus cœperunt cum beato Martiale insistere. Quibus expletis refert ei beatus Ausonius quæ per angelum ea nocte didicerat. Cui beatus ait Martialis : *Si hæc ita se habent, necesse est observare quod nocturna injunctum est visione. Ego comes et socius itineris factus, vobiscum iter agam quantocius.* Quæ beati viri verba cum valde placuissent fratribus, diei aurora illucescente ingressi naviculam, maritima navigatione Mauritaniæ portum cœperunt expetere. Egressi vero naviculam adeunt domum, in qua ambo decumbebant ægri, Albinus scilicet et uxor ejus Eugenia. Intuens autem Albinus beatum Martialem, clamare cœpit et dicere : *Gloria tibi, Christe, qui me non fraudasti visione beati magistri mei Martialis, per quem regeneratus sum in Christo unda baptismatis cum uxore mea et filiis, quos coram intueor illius hærentes obsequiis.* Hic dictis, commendant se Domino et beato Martiali, sumptoque per eum

dominici sacramento viatici, animam reddidit Creatori. Nec mora : venerabilis ejus conjux Eugenia, virum moriendo subsecuta, viam est universæ carnis ingressa. Sepulti vero sunt a beato Martiale et ejus discipulis eorumdem filiis quindenis kalendas februarii. His gestis beatissimus Martialis cum sancto Ausonio ejusque germano venerabili Aptonio Lemovicam remeavit ad urbem. In qua eisdem discipulis suis cellulam jussit fabricare, in qua consistentes permanerent prædicantes cum beato viro populo erraneo verba vitæ. Quotidie ergo hi viri sancti in Dei proficientes timore, jejuniis et orationibus insistebant assidue, vigiliarum maceratione confecti prævalide. Verbum quoque Domini jugi exhortatione populo illis annuntiantibus, maxima per hoc vulgi laus eis accreverat, dum olim plebem dæmonicam certatim properabant ad fidem convertere dominicam. Verum hujusmodi piæ operationis operibus illis insistensibus, humani generis inimicus quosdam fratrum cum quibus morabatur invidiæ facibus succendens, conquerentes videlicet cujus auctoritate imperii officium sibi prædicationis assumere præsumpsissent. Quibus auditis vir Deo plenus Martialis fraudes diaboli esse intelligens, convocatos fratres insane sævientes allocutus est dicens : *Obsecro, fratres carissimi, quiescite ab hac virorum Dei infestatione; scientes quia, ut ait vas electionis beatus Paulus : Verbum Dei non est alligatum; et alio in loco : Qualicumque occasione Christus fuerit annuntiatus, in hoc gaudeo et gaudebo.* Hæc et his similia dicente Martiale, duritia cordis eorum saxea emolliri nullatenus poterat. Itaque malitiæ cæcitate contenebrati, respondent viro Dei : *Nos*, inquam, *magisterio duorum præceptorum nequaquam volumus subjici sed uni soli obtemperatum iri.* Hæc audientes viri Dei Ausonius atque Aptonius et in se retorqueri illorum dicta scientes, tristes nimium ob fratrum malitiam adversum se confirmatam, domum orationis ingressi, flexis humi genibus diutius perstiterunt in precibus. Completa vero oratione, mirum dictu : hi qui proprius verborum ejus intulerant contumelias fratres, conspectui eorum sese offerentes, eas quibus induti videbantur, scindere coram eis cœperunt vestes. At vero beatissimus Martialis, videns Dominum talia in suis

operantem servis, gaudio repletus vero modico, gratias taliter agebat Deo. *Deus,* inquit, *æterne, gloria tibi in sempiternum; quia secundum vocem tuam, omnem qui se exaltat humilias et eum qui se humiliat exaltas. Vere etenim superbis resistis et gratiam præstas humilibus.* His dictis, vir Dei Martialis conversus ad beatum Ausonium, ait ei : *Sancte Dei famule Ausoni, stultorum fratrum iniquitati ignosce et ne memineris injuriæ fraternæ.* His precibus beati Martialis permotus sanctus Ausonius, pie ac misericorditer fratribus ea quæ in eum deliquerant indulsit et jussioni pontificis libenter paruit. Verum quia illos Dominus alia reservabat ad exercitia, consilio inito (1) prædictus Christi pontifex Martialis, quia tunc temporis vicina sibi urbs Engolismensium pagano subjecta videbatur errori, præsertim cum nec * pontificalis constituta esset persona quæ prædicatione sua ad Christum eam converteret; assumpto eo, ad civitatem de qua loquimur, properare cœpit; ingressique * territorium ejusdem urbis devenerunt ad locum ubi postmodum ab Helena regina constructa est ecclesia in honore Dei ac beati martyris Saturnini. Cumque illi civitati evangelizassent, et innumeram multitudinem Christi fidei subjugassent; Dei prævia gratia, concordi favore populi, prædictæ urbis beatus inthronizavit Martialis Deo per omnia placitum Ausonium, præcipiens ei ut pastoralem ecclesiæ curam gereret et pro ovibus sibi commissis, si necesse esset, animam ponere non dubitaret. Quibus consummatis beatus Martialis ad urbem Lemovicam regreditur, gaudens et exultans in Domino, quod Ecclesiæ Dei præfecisset pontificem, * gregi pastorem.

* tum ei *add. Boll.*
* sunt *add. Boll.*
* et *add. Boll.*

4. Illis temporibus his in partibus quidam regii honoris, nomine Garrulus, reipublicæ dominabatur, potentia nimium prævalidus. Quo appropinquante ex more ad civitatem, timor invasit populum, metuentem ne in eo sæviret, si diis suis non immolaret. Quos beatus consolans Ausonius, ita alloquitur : *Videte, filii mei, amatores Christi, ne timeatis, neque paveatis minas ducis iniqui ; neque colatis vana et superstitiosa idola, quæ colunt satellites ejus.* Interea die post hæc tertia, adveniens prædictus Garrulus a partibus Galliarum aliis, ad urbem devenit Engolismam; quam ut ingressus est, continuo suggesserunt ei cuncta quæ beatus Martialis in eadem urbe gesserat, et qualiter populis in ea degentibus quemdam hominem suæ sectæ superposuerat, Ausonium nomine, quem episcopum nominant *. Hæc audiens Garrulus, iracundiæ furore succensus, talia sibi dicentibus ait : *Quisnam est,* inquit, iste *Ausonius ?* * *Filius exstitit Albini senatoris, genere nobilissimi, cujus uxor et istius mater genere clarissima fuit Eugenia.* His dictis jussit rex eum adduci ad se. Euntes autem ministri pervenerunt ad locum ubi

* *cod.* nominavit.
* At illi aiunt *add. Boll.*

(1) Vid. *Act. SS.*, num. 2, circa finem.

beatus pontifex morabatur; quem unus ex militibus nomine Herculius ita alloquitur : *Præcepto regali ad te directi sumus, quatenus ad aulam accedas regiam, responsum redditurus, quisnam te huc adduxerit, quisve hujus civitatis curam tibi commiserit.* Cui beatus respondit Ausonius : *Dominus in cælo paravit sedem suam et regnum ejus omnibus dominabitur. Ipsius quoque est terra et plenitudo ejus; orbis terrarum et qui habitant in eo.* Herculius ait : *Quis est iste Dominus ?* Beatus Ausonius ait : *Creator et conditor cæli et terræ et omnium creaturarum ; quique propter nos et propter nostram salutem descendit de cælo, ut nos a potestate diaboli liberaret, et vitam æternam in cælis conferret.* Hæc audiens Herculius, et dicta sancti viri irridens, Deoque non dans honorem, illico a diabolo arreptus cœpit dentibus fremendo se dilaniare, omnesque quos assequi poterat cursu scissis vestibus lacerare baculoque quem tunc forte gerebat graviter cædere. At hi qui cum eo missi fuerant milites circiter septem, timore perculsi, accedunt ad eum dicentes : *Herculi amice noster, regredere nobiscum ante præsentiam regis; renuntiare ei quæ acta sunt.* Quibus ille auditis, insiliens in eos subito, more canis rapidi *(sic)* cœpit eos lacerare et cædere. Hæc milites perpessi necessitate coacti, fortibus funium ligaminibus brachia manusque illius eatenus strinxerunt, * ut ex ungulis ejus sanguis effunderetur, sicque eum regiis sistunt obtutibus. Quem cum intuitus esset, cœpit socios ipsius inquirere, qualiter hoc illi acciderit. Cui illi respondent: *Scis, optime ducum, a te cum eo nos missos ad Ausonium, quatenus conspectui tuo illum sisteremus ; quem cum hic prior allocutus fuisset, et * multa contraheretur confabulatio, subito arreptum eum videmus a dæmonio, qui ita eum, ut videtur, vexat.*

* ita *add. Boll.*

* in *add. Boll.*

5. Dux hæc audiens, missis iterum apparitoribus jussit sibi sanctum assisti Ausonium. Cui et ait : *Quis sis aut unde adveneris, cujusque progenie ortus sis, quove censearis nomine, ne moreris pandere.* Ad quem beatus Ausonius : *Patre,* inquit, *progenitus sum Albino, matreque Eugenia ; ipse Ausonius vocor, et fidem christianæ religionis toto corde veneror et amplector.* Hæc audiens dux, ministris imperat vincire eum manibus et pedibus et projicere in carcerem, ubi noctis obscuritatem umbrarum densitas superaret. Ministris hæc actutum properantibus, beatus Ausonius dixit regi : *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt ; oculi enim Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* Hæc dicente beato viro, statim dux oculorum lumine simul *et officio privatur linguæ.* Cernens talia beatus pontifex, cœpit dicere his qui cum eo erant : *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Ipse namque in Evangelio ait : Ambulate dum lucem habetis ne tenebræ mortis vos comprehendant.* Interim beatus Dominum exoravit Ausonius, permanente regis cæcitate, ut lingua ad loquendum solveretur.

Quod et factum est, licet * in incredulitate persisteret. Cui vir beatus : *Propheta, inquam, ait : Tempore accepto exaudivi et in die salutis adjuvi te.* Garrulus dixit : *Quis est iste dies salutis ?* Ausonius sanctus ait : *Illud quod Paulus apostolus exposuit dicens : Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis.* Garrulus dixit : *Quæ est ista salus?* Sanctus Dei ait : *Salus omnium in se credentium populorum. Cui saluti oportet nos quotidie operam dare; quia, sicut ait Salomon, nec opus nec ratio nec sapientia eruit apud inferos, quo tu properas.* Garrulus ait : *Quid est infernus.* Vir Dei ait : *Ubi vermis eorum non morietur et ignis non extinguetur; et sicut dicitur, in inferno nulla est redemptio, quia quales erimus exeuntes e seculo, tales repræsentabimur in futuro judicio.* Garrulus dixit : *Quale est istud judicium?* Sanctus ait præsul : *Dies tenebrarum et caliginis.* Garrulus dixit : *Blasphemiæ sunt hæc quæ loqueris.* Cui vir Dei ait : *Noli blasphemare in Spiritum sanctum.* Respondit dux : *Quis est Spiritus sanctus?* Ausonius sanctus ait : *Ille de quo dicitur : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest intrare in regnum Dei.* * Garrulus dixit ad beatos germanos * : *Quem deum colitis ?* Responderunt : *Credimus in Deum Patrem omnipotentem, et Jesum quoque Christum Filium Dei vivi, qui passus est a Judæis sub Pontio Pilato, crucifixus a Judæis, mortuus et sepultus, et resurrexit tertia die et ascendit in cælum, venturus inde judicare vivos et mortuos et seculum per ignem : quantum ad carnem visibilis, quantum ad deitatem invisibilis.* Garrulus dixit : *Si ergo invisibilis est ille quem colitis, Christum quem Judæi crucifixerunt cur colitis?* Responderunt ambo fratres Ausonius atque Aptonius : *Recte hoc inquireres si credere destinares. Nam hoc detrimentum cæcitatis tuæ fieret tibi incrementum virtutis et restauratio luminis interioris et exterioris, si Deo nostro velles credere et ad agnitionem veritatis illius venire.* Garrulus dixit : *Si hæc vera esse scirem, absque ulla dubietate Christo vestro crederem et baptismum perciperem.* Responderunt viri sancti : *Fiducialiter tibi pollicemur quia mox ut baptismo lotus fueris, absque mora sanaberis.* Cum hæc dixissent, apparuit super eos lux de cœlo et cum luce vox dicens : *Ausoni, fiduciam habe in me, quia quæcumque petieris a me impetrabis.* Audiens dux hanc vocem simulque splendorem qui refulserat * : *Quæ est, inquit, illa lux?* Responderunt ei fratres : *Lux est incomparabilis, qua circumdedit Deus servos suos. Unde si credis ex toto corde in unigeni-*

* adhuc *add. Boll.*

* Tunc *add. Boll.*

* Ausonium scilicet et Aptonium *add. Boll.*

* sentiens *add. Boll.*

*tum Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, salutem tibi * conferre et omnium peccatorum tuorum indulgentiam tibi concedere, et lumen tibi oculorum negatum reddere, ore proprio confitere.* Garrulus respondit : *Ego indulgentiam solam dari peccatis meis desidero, et credo Jesum Christum filium esse Dei et salvatorem mundi.* Et hæc dicens, aperti sunt oculi ejus, cœpitque clarissime videre ; provolutus quoque pedibus sancti Ausonii cœpit eos osculari, clamans et dicens : *Vere Deus est Christus quem colunt isti viri Dei.* Et ait ad beatum Ausonium : *O Pater beatissime, dignare mihi sanctæ regenerationis lavacrum dare in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Hæc dicente duce cœpit beatus Ausonius gaudere fidei illius et dicebat : *Liberamur jam tandem a servitute corruptionis et revocamur in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Accepta igitur aqua beatus Ausonius atque sanctificata, baptizavit prædictum ducem sub trina mersione catholicæ fidei, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, suscipiente eum a fonte beato Aptonio. Baptizato vero duce, baptizati sunt in domo ejus utriusque sexus numero mille sexcenti septuaginta quatuor. Quibus peractis, Garrulus dux, missis veredariis *, jussit ut si quis non acquiesceret baptizari, sententia plecteretur capitali. Crastina vero illucescente die, baptizati sunt in urbe Engolisma fere tria millia, exceptis parvulis ac mulieribus. Reliquos vero qui necdum crediderant convocans rex, ait ad eos : *O viri strenuissimi atque dulcissimi, nolite perseverare in idolorum cerimoniis ; sed credite in Jesum Christum Filium Dei, per quem salvi esse poteritis, si in eo credere non dubitaveritis. Nonne vidistis me toto corpore debilitatum, insuper et cæcitatem passum? et tamen postquam in Christo baptizatus sum, continuo et a languoribus liberatus sum et luci restitutus. Constat ergo in animo mihi ipsum meum creatorem esse, qui me ad viam veritatis revocare dignatus est. Et sicut restaurationem restituit meo corpori, ita quoque animæ meæ post istam vitam non denegabit æternam quam promisit. Nec vero timueritis neque dubitaveritis me in ejus confessione nominis perdurare et fidem integram quam Deus per servos suos invenire me fecit conservare.* His auditis universi populi qui erant ante eum compuncti sunt corde dicentes ad ducem : *Jube, Domine dux, baptizari nos per beatum Ausonium patronum nostrum. Numquam etenim nobis post hæc poterit surripi nec cordi nostro suaderi quin Dominus noster Jesus Christus creator sit et redemptor et restaurator omnium animarum.* Audientes hæc beatus Ausonius atque Aptonius gaudentes et lætantes baptizaverunt eo die omnem plebem civitatis, a minimo usque ad maximum,

* posse *add. Boll.*

* per omnem regionem propriæ ditionis *add. Boll.*

confirmantes populum in fide et nomine sanctæ Trinitatis. Post hæc Garrulus dux proficiens quotidie in operibus bonis, die noctuque exercebatur in lege Domini, jejuniis, et vigiliis atque orationibus jugiter intentus; porro eleemosynis ita erat intentus et deditus, ut alicui ex prioribus patribus coæquari dignus esset. His eo intento studiis bonorum operum adest Dominus, remunerari servum suum, licet undecimum vineæ suæ operarium dignaretur ditare denario. Sciens autem idem acceptissimus vir imminere diem sui obitus, beatum ad se jussit accersiri Ausonium protinus, ac dixit ei : *Famule Dei ac pastor animarum in Christo credentium, novi imminere diem transitus mei, et idcirco adsis mihi protector in orationibus tuis ; ne gaudeat super me inimicus meus, ne quando dicat : prævalui adversus eum. Accipiens igitur omnem divitiarum mearum quantitatem in auro atque argento et ceteris speciebus, divide cautius ecclesiis et pauperibus ; quatenus in hos usus erogata pecunia saluti animæ meæ proficiat.* Hæc eo dicente et ultimo spiritu jam deficiente, audita est in aere vox angelorum, hymnum Deo canentium et exitum illius præstolantium. Igitur post annos conversionis suæ tres et menses sex, felix Garruli ducis anima, vinculis corporis absoluta, migravit ad æthera, quarto kalendarum septembrium die; feliciter ab angelis suscepta, ac paradiso sanctis omnibus sociata Quo in pace suscepto, beatus Ausonius more sibi solito pastorali invigilabat curæ, sollicitus ne maligni insidiatoris versutia aliqua dominico gregi inferret damna.

6. Tempore illo extitit quædam puella, genere nobilissima, opibus referta, nomine Calfagia, quæ per annos duodecim sanguinis fluxum perpessa, in medicos maximam substantiam consumpserat, qui nihil ei penitus profecerant. Auditu ergo comperta beati viri Ausonii fama, servis ac ministris suis imperat, ut parato sibi vehiculo, ad hominem Dei perduceretur, quatenus illius suffragantibus meritis, ab eo quo detinebatur sanaretur fluxu sanguinis. Sed hæc illa inter apparatum dicente, subito mirum in modum fluxus sanguinis ejus stetit; quod illa sentiens exclamavit voce magna, et dixit : *Vere non est alius Deus, præter eum quem colunt Ausonius et Aptonius.* Igitur cum maximo auri atque argenti pondere ambulante ea cum servis suis, quidam ex eis, pravæ mentis insania instigatus, nomine Arcadius, ait ad eam : *Ecce, Domina, fere omnes opes tuas in medicis et maleficis consumpsisti, qui nihil tibi profuerunt. In vanum ergo ad hos viros iter agis, qui postquam eos donis tuis ditaveris, penitus nihil tibi proficient.* Hæc eo dicente, protinus ipse fons sanguinis effusus est in Arcadium ; quod videntes conservi, timore perculsi non modico dicebant : *Vere non est alius Deus in universa terra, nisi quem prædicant Ausonius et Aptonius.* Imponentes autem Arcadium vehiculo, deduxerunt eum ante præsentiam pontificis. Verum illorum domina prædicta Calfagia puella, præcedens eos prior accessit ad episcopum ; et procidens ad pedes ejus, dixit : *Famule Dei Ausoni, jube me baptizari, antequam huc appropiat servus meus Arcadius, cujus in corpore, pravitate sua*

exigente, sanguinis fluxus effusus est. Beatus vero Ausonius, audiens verba ejus, et fidem ac devotionem animi illius admiratus, ait ad eam : *Calfagia, si ex toto corde credideris, omnia quæcumque petieris a Deo impetrabis.* Ad hæc illa respondit : *Credo Deum omnipotentem factorem totius mundi ; credo Filium Dei vivi, quem Judæi crucifixerunt et * tertia die resurrexit.* Post hanc vocem beatus Ausonius sumit aquam et mox baptizavit eam in fide Trinitatis. Quo facto, illico sanitati est reddita et cœpit nomen Domini voce magna glorificare dicens : *Gloria tibi, Domine, qui per famulum tuum Ausonium sanitati me restituisti, et per baptismi sacramentum animæ meæ tenebras illuminasti.* Hæc ea dicente, ecce omnis ipsius familia, quæ dominæ sequebatur vestigia *, advenit, habens in comitatu Arcadium, de quo prædiximus, nobilis Calfagiæ servum ; quem cum de vehiculo deponerent, subito sanguinis fluxus nimius effusus est ab eo. Quod cernens præfata Calfagia, procidit ad pedes pontificis * : *Famule Dei Ausoni, suppliciter per orationum tuarum merita postulo sanari servum juris mei, nomine Arcadium, sicut quondam liberasti Garrulum, oculorum cæcitate mutatum. His* dictis prædictæ puellæ beatus permotus Ausonius ait ad ægrotum : *In nomine Domini nostri Jesu Christi esto sanus, Arcadi, ab infirmitate quam pateris.* Hæc dicente pontifice, Arcadius statim depulsa ægritudine saluti restitutus est propriæ. Quod cernens Calfagia, gaudio maximo repleta, beato viro dixit : *Precor et postulo, beate pastor, ut omnis familia mea baptizetur, quam cum omnibus divitiis meis atque hereditate manibus tuis trado.* Cui beatus ait Ausonius : *Si vis perfectionem consequi, aurum et argentum tuum pauperibus distribue : postea habebis thesaurum in cælo.* Calfagia respondit : *O pater beatissime et omni acceptione dignissime, ea quæ mihi prius injunguntur a te fieri, ipse prior si placet imple, et implendo perfice.* Quæ verba prudentissimæ puellæ beatus accipiens Ausonius continuo archidiaconem suum advocans, Cæsarium nomine, præcepit dicens : *Cæsari, perambula totius illius urbis spatia congregando pauperes et debiles, cæcos et claudos, orphanos et viduas, distribuens eis facultates has quas nobis obtulit hæc nobilis puella pro suæ medela animæ.* Nec mora, Cæsarius beati viri præceptis obediens, ut sibi fuerat imperatum, oblata præfatæ puellæ munera egentibus distribuit universa. Quibus peractis, beatus Ausonius petitione Calfagiæ baptizavit servum ipsius Archadium cum famulis et liberis et servis omnibusque vernaculis domus ipsius in nomine Domini Jesu Christi.

* qui *add. Boll.*

* *cod.* vestigigia.

* clamans et dicens *add. Boll.*

Post hæc beata virgo Calphagia sanctissimi Ausonii exemplis ad bene agendum infirmata *(sic)*, dum quotidianis profectibus in bono suo cresceret, sacri velaminis ab eo sibi benedictionem dari expetiit. Cujus petitioni vir Dei libenter annuens, illico assensum præbuit, castimoniæque habitu eam dicavit. Cui inhianter postmodum dinoscitur inhæsisse et usque in finem transitus permansisse.

7 [8]. Hujus beatissimi Ausonii temporibus, qui per beatum Martialem huic urbi sacratus fuerat antistes, quem beati Petri apostoli legatio Aquitanicis dederat gentibus apostolum atque patronum, sacratissimus Pictagoricæ urbis antistes beatus florebat Fronto, atque ipse eidem urbi Pictagoricæ ab eodem directus apostolo Petro verbi divini semina prærogare populo erraneo. Quæ cum multipliciter ac copiose civibus ejusdem pagi disseminaret juxta quod ait Paulus apostolus, quibusdam erat odor vitæ in vitam, quibusdam odor mortis in mortem. Quorum quidam nomine Sigilbertus, inveteratus dierum atque operum malorum, plurimis beato Frontoni ingerebat injurias verbis. Cumque ejus prædicationibus saluberrimis nequaquam acquiesceret, quadam die beatus Fronto, tædio verborum illius malorum afflictus, prædicto ait Sigilberto : *Si dictis meis fidem non adhibes, surgens vade ad urbem Engolismam, ubi Ausonius moratur episcopus : ex cujus ore et testimonio, si ea quæ tibi prædico vera non probaveris, tibi me obnoxium facies morti.* Audiens hæc perfidus Sigilbertus, cupiens experiri quod dixerat Fronto beatus, tertia abhinc die, sumpto secum furtim servo proprio, nomine Theodotione, urbem devenit Engolismam ; ingressusque portam urbis, obvium habet Cæsarium, quem supra diximus, beati Ausonii archidiaconem, virum per omnia doctissimum, plebem fidelem continua exhortatione ad viam veritatis commonentem. Alloquitur : *Indica mihi, obsecro, juvenis præstantissime, ubinam moratur Ausonius præsul istius urbis.* Cui ait præfatus Cæsarius : *Veni et sequere me.* Perduxitque eum ad locum ubi sanctus Dei Ausonius psalmis, hymnis, * canticis vacabat. Cui post completam orationem dixit Cæsarius : *Vir iste civitatis Pictagoricæ indigena nomine Sigilbertus nostræ religioni contrarius a famulo Dei Frontone tuæ civitati est directus quatenus tua prædicatione superentur perfidiæ illius.* Ad quem conversus Ausonius, cum multa et plurima sanctæ conversationis verba illi perorasset, nullatenus eum a perversæ mentis insania deflectere quivit ;

* et *add. Boll.*

verum sancti viri dicta pro nihilo ducens, eodem sui adventus * pagum repetere cœpit Petragoricum. Ambulante vero eo cum servo suo, subito misericordia miserantis et corripientis Dei, ursus ei ferocissimus obviam factus est. Quem * cum rugitu terribili impetum contra se facere vidisset, timore perterritus, cœpit adjurare [feram] per [crucifixum quem Judæi] crucifixerunt, quemque prædicabat Ausonius *, staret neque ullatenus eum læderet. Qua Sigilberti adjuratione fera perterrita, pedibus ejus advolvitur, et oblita * feritatis, in agni mansuetudinem permutatur. Quod cernens Sigilbertus Deo salvatori omnium gratias reddere cœpit, in cælum manibus et oculis elevatis, dicens : *Gratias tibi ago, Domine, quia delicta juventutis meæ et ignorantias meas oblivioni tradens tandem in senectutis meæ tempore ad viam veritatis me converti fecisti, meritis et interventionibus servi tui Ausonii*. Hac completa oratione Sigilbertus, adjuncto secum præfato servo Theodotione, feram alloquitur dicens : *In nomine Jesu Christi Nazareni adjuro te, nullatenus ab hoc loco discedere, sed patienter et cum mansuetudine me sustine*. Ad hanc vocem, mirum dictu, ursus immobilis perstitit seseque quoquo modo tractabilem præbuit continuo. Sigilbertus sumpto cinctorio, quod tunc forte gerebat, ursi subnexuit collo, imperans ut se sequeretur *. Regressus igitur Sigilbertus ad beatum Ausonium seseque coram eo statuens ait : *Magister bone et amice veritatis, pastor gregis dominici, veni et vide mirabilia Christi. Vides hanc ferocissimam bestiam : noveris hodie in silvam properantem atrociter super me irruere rugitu horribili voluisse. Cujus ego immitissimam rabiem pertimescens, adjuravi eam in nomine Jesu Christi, quem mihi incredulo prædicaveras; et statim oblita est crudelitatis rabie in hac quam cernis mansuetudine*. Audiens hæc beatus Ausonius simulque cernens feram juxta patienter astantem, exsultans in mirabilibus Dei, magis autem congaudens credulitati Sigilberti, expansis in cælum manibus, ita Deo gratias referebat dicens : *Gloria tibi Domine, qui neminem vis perire, sed omnes ad agnitionem veritatis vis pervenire*. His peroratis, remota omni dilatione, jussit prædictum virum, simulque illius servum aqua baptismatis regenerari in nomine Jesu Christi. Quibus expletis, jussit vir Dei prædicto Sigilberto, quatenus supra memorati ursi dorso insideret seseque cum eo urbi Petragoricæ præsentiæ beati Frontonis statueret. Quæ jussa ejus Sigilbertus implere non distulit. Videns autem eum bea-

* die *add. Boll.*

* dum *add. Boll.*

* ut *add. Boll.*

* *cod.* oblitati

* ad beatum Ausonium *add. Boll.*

tus Fronto mirabatur quæ tanta esset in viro Dei virtus, quæ bestialem ursi ferocitatem in subjugalis animalis mutare quivisset mansuetudinem. Accedens igitur ei Sigilbertus, ait beato Frontoni : *Sanctus et vere famulus Dei Ausonius me misit ad te, ut hoc signo istius ursi in mansuetudinem versi, cognoscat sanctitas tua me ad viam veritatis conversum fore ab idolorum culturis.* Beatus hæc audiens Fronto glorificanter Deo gratias agebat dicens : *Deus æterne et splendor gloriæ paternæ, convertere captivitatem alienam in hereditatem tuam.* Aliquantis ergo diebus beatus Fronto secum Sigilbertum retinens, permisit eum redire in domum suam. Narrante vero eo uxori suæ Flavæ quæ acta vel dicta fuerant, et quomodo ipse Christo crediderat, illa insanum eum et fatuum dicere cœpit et a pravis hominibus male seductum. Illo denique contra viriliter reluctante, sanctus Fronto controversiis sequester interfuit, nec tamen hanc a mentis pertinacia deflectere quivit. Ausonio itaque eam beato dirigendam statuit. Quam ille susceptam salutarique doctrina instructam postmodum ad christianitatis convertit ritum lavacroque baptismi in remissionem peccatorum cum omni domo sua lavit.

8 [**7**]. Quodam tempore, beato pontifice in villa Veractense commorante, accessit ad eum quidam lumine oculorum carens; et ejus* provolutus pedibus ait : *Ausoni, famule Dei, scio quia meritis orationum tuarum possunt mihi aperiri fenestratæ* * *acies oculorum meorum.* Cui beatus Ausonius : *Fiat,* inquit, *tibi secundum fidem tuam ;* conversusque tetigit oculos ejus, et statim recepit lumen et glorificabat Dominum. Et quia idem cæcus, paupertatis inopia pressus, vestium nuditatem simul patiebatur, a beato præsule indumentorum solatiis donatus, in sua regressus est lætus, duplici ditatus munere, dum cæcitatis caruit carcere *, et nuditatis relevatus * est pauperie. At vero beatus pontifex in eodem loco arctissima sese reclusit custodia tenui * ac quinque mensium spatio sine humana cibi administratione; quia dominicis insistens operose servitiis, angelico pascebatur ministerio. Populi ejusdem provinciæ ad eum confluebant, cupientes ab eo pane verbi Dei saturari, id est, ope prædicationis recreari. Infirmi quoque per eum orationibus curabantur ; dæmoniaci ab immundis spiritibus solvebantur, languidis sanitas restituebatur, cæcis lumen restaurabatur ; paralytici nihilominus sospitatem, claudi gressuum officium promerebantur. Addantur in pagina quæ Dominus per famulum suum operari dignatus est magnalia.

* *cod.* ait

* *cod.* fenetrastæ

* *cod.* carc munere

* *cod.* revelatus.

* triennii *Boll.*

9. Fuerat eo sub tempore puella quædam regii generis, nomine Caliaga; quæ

et frater ejus, dum in urbe Engolisma residerent, quadam die, adjunctis sibi viris atque puellis, per crepidinem fluminis Carantonis cœpit deambulare; et dum more infantuli quoddam pomum * attrectare conaretur, ex ipsius labiis in flumine casu decidit. Quod draco quidam fluvialis, qui in prædicto amne morabatur, quique multos ibi demerserat, excipiens deglutivit. Illico prædicta puella loquendi officio privatur, manibus et genibus curvatur, corde turbatur, oculis cæcatur, sensu privatur, hominis agnitione frustratur. Quam ministri manibus allevantes, ac in urbem deferentes, conspectui regis intulerunt ejulantes. Quam videns præfatus, ut diximus, ejus ipsius germanus, corde turbatus est; valdeque flens et lacrimans, peccatis imputare cœpit suis puellam hujusmodi appetitam insidiis fuisse *. Interea reminiscens rex beati Ausonii, cœpit inquirere sibi astantes satellites ubinam moraretur. At illi aiunt reclusionis illum claustra expetisse; etiam triennii tempora ac quinque mensium in hujusmodi custodia complevisse. Statimque rex : *Ite,* inquit, *adducite eum ad me.* Cui milites : *Nequaquam,* inquiunt, *valemus eum ad te adducere; quia nec etiam cum eo loqui vel videre eum datur cuiquam facultas libere.* Rex hæc audiens illico ad Varatensem villam cœpit properare, quo beatum virum didicerat psalmis et hymnis et orationibus in jejuniis et vigiliis Deo vacare. Cujus ostio humiliter propinquans : *Homo Dei,* ait, *est mihi germana, quæ satanæ insidias passa, dæmonio fatigatur; quapropter suppliciter postulo ut egressus reclusionis claustro, nobiscum ad urbem gradiaris et sorori meæ * succurras ope tuæ intercessionis.* Cujus petitioni vir Dei misericorditer annuens, nec mora, cum eo ad civitatem properare cœpit. Propinquantibus autem eis portæ civitatis, gaudebat omnis populus, in occursum pontificis exsiliens et dicens: *Gloria tibi, Domine.* Ingressus autem in urbem, post orationis vota soluta, accessit ad domum ubi puella manebat; et tenens ejus dexteram, allevavit eam *, dicens : *In nomine Jesu Christi præcipio tibi : sta supra pedes tuos, enarrans nobis qualiter hæc tibi contigerint.* Ad hanc beati præsulis jussionem puella stetit supra pedes suos et narravit ei omnia quæ circa eam gesta fuerant. Tunc sanctus Ausonius, petens sibi locum demonstrari ubi hæc acta fuerant, una cum rege et populo atque puella accessit ad fluvium. Quæ cum sancto antistiti locum ubi nequissimus inhabitabat draco demonstrasset, vir Deo plenus cum omni populo genua fixit in terram, postulans a Deo fieri magnalia. Surgens * vero de oratione ait : *Adjuro te, draco, per fidem crucifixi a Judæis, per virtutem et potestatem quam cherubim et seraphim incessabiliter collaudant, ut exeas a flumine, manifestans te omni*

* ore *add. Boll.*

diaboli *add. Boll.*

* *cod.* me

* *cod.* eum

* *cod. add.* de

populo ad videndum. Ad hanc præsulis vocem subito a fluvio exsiliens, omnium aspectibus apparuit teterrimus draco et flumineus, aitque beato Ausonio : *Ausoni, orationes tuæ incendunt me, quæ valde prævalent in conspectu Domini : deprecor autem ne me in exilium ire permittas.* Et ait sanctus Ausonius : *Præcipio tibi, draco, in nomine Jesu Christi Nazareni, ut pomi morsum projicias ab ore tuo ante vestigia mea.* Quod statim draco implevit. Tunc præsul accipiens pomum, benedixit, deditque puellæ et dixit : *Puella, accipe pomum hoc cum gratiarum actione ad recuperandam sanitatem corpori tuo.* Quod puella accipiens et sumens, eadem hora sanitati est restituta ; draco autem, orante beato Ausonio, demersus est in abysso. Rex vero obtulit beato Ausonio in monte ecclesiam quæ est fundata in veneratione beati Genesii. Multa quidem * fuerant scribenda ex virtutibus beati Ausonii ; sed ne fastidiosis lectoribus tædium ingererent, multa præterimus (1). Unde ad describendum gloriosum ejus martyrium tandem deflectamus stylum.

* alia *add. Boll.*

10 [3]. Tempore illo quo Wandalica persecutio, e Germaniæ finibus progressa, Gallias pullulabatur *, prædictæ gentis rex cum exercitu validissimo, captis prius universis ipsius Galliæ urbibus excepta Methensium civitate, Engolismæ astitit, eamque septem continuis annis et mensibus sex obsedit. Beatus vero Ausonius cum germano suo Aptonio quotidie in ecclesia Dei orationibus vacabat, postulantes a Deo, ut populus christianus mereretur * ab eo defendi. Fames autem gravissima civitatem obtinuerat, et vehementer beato viro imminebant homines, dicentes, magis se velle inimicis * quam fame interire. Quos vir Dei dissimulanter differebat, et ea die interim missarum celebravit solemnia. Interea sole occumbente nocteque succedente, cœpit beatus præsul optatam jamdiu et præmeditatam desiderare martyrii coronam. Hæc eo volente, angelus Domini apparuit ei et dixit : *Ausoni, cum primum venturi diei aurora apparuerit, procede ad portam orientalem istius urbis cum paucis tuorum ; ego etenim ero tecum. Sum autem angelus a Deo missus ad te, ut annuntiem tibi cuncta quæ ventura sunt tibi die crastina ; ministros vero tuos festinanter ad regem dirige, qui sibi tradendam hanc civitatem denuntient.* Fecit vir beatus sicut angelus ei intimaverat : et missis ad regem nuntiis de urbis traditione insinuat ; qui hæc audiens, lætus admodum efficitur. Nec sic tamen furor animi ejus * beati pontificis interfectione placari potuit. Dixitque nuntiis : *Ubinam est Ausonius, auctor maleficorum christianorum?* Qui aiunt : *Ecce ad portam orientalem istius urbis.* Qui confestim, sumptis navibus, illuc properat, invenitque sanctum Dei ibi sedentem. Volens autem Deus parcere civitati et plebi christianæ in ea commoranti, nebula densissima urbem cooperuit, in tantum ut ne fastigium quidem ullum muri

* populabatur *Boll.*
* *cod.* merretur
* tradere *add. Boll.*
* a *add. Boll.*

(1) Vide *Act. SS.*, num. 10 in fine.

ipsius inspicere potuissent. Interea dum sanctus Ausonius, angelo Domini se præcedente, ad sinistram urbis partem forinsecus deambularet, obvius ei quidam prædicti regis gladiator extitit. Qui christiano habitu eum amictum intuens, illico abstracto gladio caput illius amputavit. Secutum est vero magnum et celeberrimum miraculum : nam prædictus rex ejusque exercitus, instinctu dæmonico in furorem versi, in seipsum irruentes, usque ad interemptionem magna se strage occisionis prostraverunt. Angelus vero Domini apprehensum caput beati martyris posuit illud in ipsius brachiis, dicens : *Sequere me.* Secutus autem angelum Domini, cum jam passibus septuaginta sex a loco decollationis caput deportasset, substitit, jubente angelo ut sibi tumularia ibi fieret sepultura. Quem locum isdem angelus per gyrum circuiens benedicendo sanctificavit et sanctificando benedixit. Sepulto autem ibi sancto corpore, dictum est ab angelo, quia qui in bonis operibus perseveraverit et in fide christianitatis defunctus in beati Ausonii * cimiterio sepulturæ traditus fuerat, in resurrectione futura ipsius sancti viri meritis præmia merebitur * æternæ beatitudinis. Quo videlicet loco, præstante Domino, innumera patrata sunt deinceps miracula in cæcitate visui restituta, gressuum debilitate amissa et omnium morborum clade depulsa. Tu autem Domine qui eumdem beatum Ausonium Engolismensi urbi primum pontificem destinasti atque patronum, quem populo tuo intercedere constituisti; ejus intercedentibus meritis hic et in æternum miserere nostri. EXPLICIT.

* *cod.* i Ausonio

* *cod.* i merebatur

11 [**10**]. Fecerat autem beatus Ausonius diebus vitæ suæ has ordinationes : in presbyteratus dignitatem Gratulphum atque Eparchium, Nichetium et Sigetium, Benedictum atque Constantium; diacones quinque, Florentium et Auxilium, Valentinum et Savinianum, atque Cæsarium; subdiacones quatuor, Maximianum, Crescentianum *, Abundianum et Heraclium; acolythos tres, Cassianum, Aurelianum, * Gerontium; exorcistas duos, Avitum et Donatum; acolytum unum, Pastorem nomine; qui diurno et nocturno cursui insistentes cum eo jugiter in Dei laudibus perseverarent.

* *cod.* Crecentium. anum.

* et *add. Boll.*

12. Factum est autem post transitum Ausonii, primi Engolismensium antistitis, de quo superior sermo plura narravit, ut sanctus Aptonius, qui sancto fratre suo vineam Domini excoluerat et ejus virtutum in plurimis operator exstiterat, consensu omnium levaretur episcopus. Fraternæ vero substitutus cathedræ, longum est evolvere qualiter sibi plebem creditam * opere et verbo in spiritali pellixit servitio quantaque per eum Domino sit placitum operari magnalia.

* *cod. add* sibi

Longo igitur senio fessus, ad cœnam nuptiarum agni, stola byssina comptus, VII Kl. novembris evocatus, beatum euge audivit a Domino ad dexteram coronandus. Sepultus vero est ad dexteram partem corporis beati Ausonii fratris sui, ut quorum una mens in Christo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret. Ubi plurimorum patrantur insignia operum ad laudem Domini nostri Jesu Christi qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

CATALOGUS

CODICUM HAGIOGRAPHICORUM

BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ

CIVITATIS ET ACADEMIÆ

LEODIENSIS.

I. Codex signatus n° 1 (1).

Duobus partibus constat. Prior, foliorum 126 (præter tria vacua ad calcem et duo fere vacua initio), quorum 75 chartacea, 51 membranea sunt chartaceis (bina scilicet membranea post terna chartacea) intermixta, formæ mediocris (0^m,27 × 0,20), lineis plenis exarata est manu seculi XV, nullis ornamentis insignis. Continet collationes et Vitam Joannis Climaci, hac notula conclusas (fol. 126_v): *Glosam prædicti libri complevit frater Johannes nomine in profesto sancti Martini anno Domini millesimo* CCCC^mo^LVI^o^. *Orate pro eo intuitu caritatis.*

Altera pars constat foliis chartaceis 18, ejusdem formæ et ætatis.

In capite totius codicis, folio scilicet secundo ex duobus quæ nota numeri carent, manu item seculi XV scriptum est: *Liber conventus fratrum sanctæ Crucis Leodii. Et continetur in eo per ordinem : primo liber Johannis abbatis dicti Clymaci. Item in fine habentur vita et acta integre de beato Remigio, sed satis incorrecta, dein vita ejusdem breviata.*

1° Vita sub compendio S. Johannis, abbatis Montis Synai, dicti scolastici, qui scripsit has spirituales superiores tabulas, videlicet sanctam scalam ; edita a Daniele humili monacho Raychii (fol. 123^r-126^v) [421].

Versio latina Vitæ S. Joannis Climaci proxime accedens ad eam quam edidit

(1) In singulorum capitum titulis indicavimus numeros qui codicum tergo leguntur inscripti, et quibus ipsi codices discernuntur; subjecimus etiam numeros quibus in recentiori catalogo methodico, typis edito anno 1875, signatæ sunt diversæ eorum partes: idque sive post eosdem capitum titulos sive post titulum Vitæ qua singulæ illæ partes exordiuntur.

Lipomanus *Vitarum sanctorum* tom. II, fol. 401v-403r (Venetiis 1553); cfr. *Acta SS.*, ad d. 30 Martii, tom. III, p. 834-837.

2° Vita et acta integre de beato Remigio (fol. 129r-143v seu part. II fol. 1r-14v) [239].

Vita auctore Hincmaro edita in *Actis SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131 sqq. Prologus om., itemque numm. non pauci ac numerorum partes. In fine mutila est, et addita est hæc notula: *Verte folia quinque...;* sed post hæc quinque folia jam nulla supersunt.

3° Vita beati Remigii brevis, prout in choro legimus (fol. 144r-147r seu part. II fol. 15r-18r).

Vita auctore Fortunato edita ibid., p. 128-130. Sed num. 9 om.; add. autem ex vita auctore Hincmaro numm. 106, 107, 109 ex parte (*Post præmissas-de qua propheta dicit: Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini*), 110 ex parte (*Condito siquidem testamento-valeret*), 115, 117-121.

II. Codex signatus n° 12.

Membraneus, foliorum 101, formæ mediæ (0m,275 × 0,20), columnis binis, diversis manibus seculi XII exaratus. Tituli minio descripti, itemque litteræ initiales Vitarum et capitum adjuncto subinde cæruleo aut viridi colore. Paucæ litteræ initiales Vitarum haud ineleganti arte delineatæ, non tamen variis distinctæ coloribus. Folio chartaceo insiticio in capite codicis inscripta est hæc nota manu sec. XVII: *Liber monasterii sancti Trudonis. F. 5.*

1° [Vita S. Martini] (fol. 1r-13r) [76].

Vita auctore Sulpicio Severo edita in *Corp. Script. eccl. Lat.* (Vindobonæ 1867), tom. I, p. 109-137.

2° Epistola Severi ad Eusebium Presbyterum postea episcopum (fol. 13v-14v).

Edita ibid., p. 138-141.

3° Epistola [ejusdem] II, ad Aurelium diaconem (fol. 14v-16r).

Edita ibid., p. 142-145.

4° Epistola Severi ad socrum suam Bassulam, qualiter sanctus Martinus de mundo hoc recesserit (fol. 16r-18v).

Edita ibid., p. 146-151.

5° [Sulpicii Severi dialogorum Libri tres] (fol. 18v-49v).

Editi ibid., p. 152-216.

6° Epistola de transitu S. Martini (fol. 49v-50v).

Caput XLIII lib. I *Historiæ Francorum*, auctore Gregorio Turonensi (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 184-186).

7° Item versiculus ubi supra (fol. 50v-51r).

Cap. IV lib. I *De miraculis S. Martini*, auctore S. Gregorio (Migne ibid., p. 918).

8° Item alius sancti Ambrosii de transitu viri Dei (fol. 51r-51v).

Cap. V ejusdem lib., (ibid., pp. 918, 919).

9° Item qualiter corpus ejus translatum est (fol. 51v-52v).

Cap. VI ejusd. lib., (ibid., pp. 919, 920).

10° Beati vita Briccii episcopi et confessoris (fol. 52v-54r) [217].

Vita auctore S. Gregorio desumpta ex *Hist. Franc.*, scilicet lib. II cap. I (Migne, tom cit., p. 188-191). Fol. 54r reperiuntur nonnulla edit. apud Le Blant, *Inscriptions chrétiennes de la Gaule*, tom. I, pp. 245, 246; scilicet de basilica S. Martini Turonibus (*Basilica S. Martini-ordinationem episcopatus*).

11° Passio sanctarum virginum XI milium (fol. 54v-60r) [252].

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157-163. Num. 22 omm. verba : *Passæ sunt anno 238.* Passioni autem manu seculi XV hæc add.:

Quoddam utile exemplum de istis sacrarum virginum milibus. Legitur fuisse Bruxellæ in hospitali quamdam sororem, quæ rebus humanis exempta, cum ab hora diei tertia usque post vesperas mortua jacuisset, revixit subito et erexit se; convocatisque sororibus et omnibus qui præsentes aderant dixit : *Virginalem illum exercitum Coloniensem vivens quotidie venerata sum ; et earum precibus nunc a purgatorio liberata. Et ob hoc vitam redire compulsa sum, ut omnibus earum memoriam digne habentibus nuntiarem in morte suffragia affutura, dummodo tales de vita exeant, quibus oratio valere possit. In hoc testimonio reddo spiritum iterato.* Nec mora, sicut dixit, et fecit.

12° Sermo de passione sanctorum Gereonis, Victoris, Cassii atque Florentii, sociorumque eorum (fol. 60v-63r) [223].

Sermo auctore Elinando edit. in *Act. SS.*, ad d. 18 Oct., tom. V, p. 36-40.

13° Vita S. Severini Coloniensis archiepiscopi et confessoris (fol. 63r-66r) [243].

Edita ibid., ad d. 23 Oct., tom. X, p. 56-59; num. 10 med. om. hæc phrasis: *Unde Deo gratias-instantissime flagitavit.*

14° Relatio corporis ejusdem apud Coloniam (fol. 66r-67r).

Edita ibid., p. 61-63. Ad fin. num. 17 add.: *Nec mora, diem constituerunt quo ad hoc agendum necessariis sumptibus præparatis, idonei quique convenirent.*

15° Translatio unius martyris sanctorum Thebeorum martyrum (fol. 67v-69r) [253].

Relatio auctore Rodulfo abbate S. Pantaleonis Coloniensis edita ope hujus cod. apud Martene et Durand, *Vet. Scr. amplissima Collectio*, tom. VI, p. 1013-1020.

16° De Sto Martino episcopo (fol. 69r).

Traditur de sancto Martino, cuidam revelatum solitario quod die quadam sollemnitatis ejus tot animæ a pœnis ipsius meritis liberatæ sint, quot homines illa die ad solemnitatem ejus convenerint. O vere pontifex per omnia beatus, ab omni ecclesia digne per omnia beatificandus, per cujus beata merita animabus beata conferuntur gaudia. Virtutem namque semper invidia comitatur: quod hoc exemplo maxime comprobatur. Cum signis et virtutibus sanctus Martinus ut sol splendesceret et dulcis fama ejus longe per populos crebresceret, multi heu episcoporum, cupientes laudis ejus delere præconia, egerunt ut aliquo ingenio deponatur, qui dextera Dei exaltatur. Interea quædam male conceptum filium genuit; cujus sceleris auctor latuit. Itaque episcopi suæ vesaniæ opportunitatem invenientes consilium ineunt; consilio cum muliere inito, crimen Martino impingunt. Martinus autem infantulum sibi afferri jussit, quem brachiis complexus blandiens: *Fili, fili*, dixit. Puer vero cum adhuc septimanam non compleverit, in vocem absolutam erupit: *Non es tu*, inquiens, *pater meus, sed Johannes mercator.* Unde omnes stupefacti genibus ejus se advolvunt, veniam petunt. Quibus dignus Dei sacerdos injuriam suam benigne relaxat, infantem baptizat, Brictium nominat. Quem adultum monachicis disciplinis imbutum, presbyterum ordinat, multasque contumelias ab eo perpessus, pro mercede ei episcopatum a Deo impetrat. Martino itaque ad Dominum migrante, Brictius ecclesiæ præficitur, et anno episcopatus sui tricesimo quod in magistrum peccavit de manu ejus requiritur. (Cfr. Greg. Turon. *H. F.* II, 1).

17° [De sancto Clemente] (fol. 69r-69v).

De sancto Clemente papa fertur quod singulis annis duo virginali corpore florentes in ejus ecclesia remaneant, qui transacto anno totius Scripturæ notitiam habeant, quique servitio Dei deputentur in loco qui Familia sancti Clementis nominatur; hisque obitus suus semper ante unum annum reveletur.

18° [De Sta Maria Dei matre] (fol. 69v).

Quædam in ejus laudem breviter dicta.

19° Vita S. Trudonis (fol. 70r-93v) [250].

Vita auctore Theodorico abbate S.Trudonis, edita apud Surium ad d.23 Novemb. Ad nomen Gerardi, cui dedicatur hæc Vita, in margine hæc nota adjecta est : *Gerardus ille fuit præpositus et electus abbas, ubi Lantzo fuit intrusus.*

20° Sermo Theoderici abbatis de translatione sanctorum Trudonis et Eucherii, quæ facta est IIIº Idus Augusti, Nortmannis populantibus Franciam et Lotharingiam (fol. 93v-96r).

Edita ibid., ad eumdem diem, post vitam S. Trudonis.

21° In Cronicis (fol. 96r).

Karolus Romæ a papa Johanne in imperatorem benedicitur. Northmanni, adjunctis sibi Danis, Lotharingiam et Franciam pervagantes, Ambianis, Atrebatis, Corbeiam, Cameracum, Tarvennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brabactensium, omnemque circa Sclaldum *(sic)* flumen terram, monasteria sanctorum Walarici et Richarii ferro et igne devastant. Inde Wal fluvium ingressi, totam Batuam, palatium etiam Neomagi incendunt. Eodem anno Godefridus et Sigefridus, reges Nortmannorum, cum inæstimabili multitudine juxta Mosam in loco Haslon consedentes, Trajectum, Leodium, Tungris, Coloniam Agrippinam, Bonnam, cum adjacentibus castellis, comburunt; Aquis in palatio equos stabulantes, oppidum et palatium incendunt; monasteria præterea Sancti Trudonis, Stabulaus Malmundarium, Indam, Prumiam *. Sacri ordinis ministri ubi poterant opportunius, latebant et sanctorum pignera locis tutioribus abscondebant. Ad hæc mala Hug, filius Lotharii regis ex Waldrada pelice, in Lotharingia et Boso in Borgundia tyrannizabant. Hujus tempestatis tempore facta est translatio sanctorum Trudonis et Eucherii anno ab incarnatione sempiterni principii *(annum scriba om.)*.

* *hæc vox, litteris majusculis scripta, substituta est alteri erasæ.*

22° In festivitate S. Trudonis (fol. 96v-101v).

Officium divinum, neumatibus notatum, in festo S. Trudonis legendum. Vid. Append.

III. Codex signatus nº 18 [229].

Chartaceus, foliorum 159, formæ mediocris (0m,30 × 0,20), exaratus seculo XVI, nullis ornamentis. Totus est de sancto Huberto; contenta fuse describuntur in *Act. SS.*, tom. I Nov., in Commentario prævio de S. Huberto.

IV. Codex signatus nº 36.

Membraneus, foliorum 151, formæ mediocris (0m,282 × 0,20), duplici columna, sed lineis plenis a fol. 113 ad 129, exaratus diversis manibus seculi XII.

In folio primo recto legitur hæc nota manu seculi XV : *Liber monasterii sancti Trudonis.*

Tituli librorum S. Ambrosii et aliorum documentorum minio designati sunt, itemque singulorum initio littera capitalis nullis tamen ornamentis, nisi quod folio 1v et fol. 113v conspiciuntur litteræ cauliculis et animalium figuris decoratæ. Fol. 151v descripta est epistola quædam responsoria ad ecclesiam Metensem, quæ datis litteris significaverat tam de morte Stephani episcopi vita functi anno 1163 quam de electione Theoderici, qui fuerat primicerius ejusdem ecclesiæ.

1° De translatione reliquiarum sancti Laurentii martyris (fol. 111v-112v) [231].

Editum apud Pezium, *Thesaurus Anecdotorum*, tom. IV, part. III, p. 1-4; in cod. sub fin. add. hæc temporum notatio : *Actum Leodii II Nonas Junii.*

2° Translatio sancti Stephani prothomartyris, quæ est II nonas Maias (fol. 130r-132r) [244].

Edita in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, part. I, tom. I, p. 70-74. Add. clausula edit. ibid., tom. II, p. 309, 97°.

3° Translatio corporis sancti Stephani prothomartyris ab Iherosolymis Constantinopolim (fol. 149v-150r) [245].

Edita apud Migne, P. L., tom. XLI, p. 817-822.

V. Codex signatus n° 37.

Chartaceus, foliorum 220 (quorum quinque priora notata sunt numero 1) formæ mediæ (0m,35 × 0,25), columnis binis exaratus seculo XVI. Tituli et litteræ initiales minio signata. Fol. 138r in margine mediana, manu sec. XVII scriptum est : *Henricus Nicolaus De La Court Hasseletensis*; fol. 216v *Scriptus est liber hic per fratrem Theodricum ab Ubach sacristam hujus domus fontalis Ordinis Cruciferorum sacerdotem professum, anno Domini millesimo quingentesimo 2* (*3* add. man. rec.). F. Ubach. T.

Quod ad rem hagiologicam spectat, (præter conciones quasdam de sanctis inter sermones S. Bernardi) continetur tantummodo in eo codice

Vita beati Pauli primi eremitæ a divo Hieronimo conscripta (fol. 210r-216v) [237].

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Jan., tom. I, p. 604-607. In cod., vitio compactoris, Vitæ inserta sunt cujusdam homiliæ fragmenta scilicet foll. 211, 212.

VI. Codex signatus n° 41.

Chartaceus, foliorum 220, formæ minoris (0m,195 × 0,135), lineis plenis exaratus diversis manibus seculi XVI.

In capite codicis bis scriptum legitur hoc nomen : *Frater Amandus de S*to *Trudone* et fol. 101r, *De S*to *Amando Bruxellensi.*

1° Vita beati Trudonis confessoris (fol. 1r-51r) [249].

Vita auctore Theoderico abbate edita apud Surium ad d. 23 Nov.

2° Sermo domni Theoderici abbatis de translatione sanctorum Trudonis et Eucherii, quæ facta est III idus Augusti, Nortmannis populantibus Franciam et Lotharingiam (fol. 51v-57v).

Editus apud Surium continuo post vitam beati Trudonis ad eamdem diem.

3° [Opus] Stipelini monachi [de] miraculis S. Trudonis (fol. 59r-98v).

Editum apud Mabillon in *Act. SS. O. S. B.*, sec. VI, part. II, p. 86-102.

4° Epistola Domni Philippi abbatis de Elemosyna ad abbatem Hugonem de vita sancti Amandi (fol. 101v-105r) [212].

Edita apud Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1235-1237.

5° Alia epistola ejusdem ad abbatem Joannem de eadem re (fol. 105v-109r).

Edita ibid., p. 1237-1239.

6° Vita S. Amandi (fol. 109r-175v).

Edita ibid., p. 1239-1276.

7° Sermo de elevatione corporis sacratissimi pontificis Amandi (fol. 175v-183v).

Sermo Milonis monachi Elnonensis editus in *Act. SS.*, ad d. 6 Feb., tom. I, p. 891-893, num. 1-12.

8° De igne cælesti in memoriam beati Amandi divina virtute mirabiliter accensi (fol. 183v-187r).

Editum ibid., p. 893, num. 13-16.

9° Miracula S. Amandi quæ sunt facta per Gallias (fol. 187v-199v).

Enarratio auctore Gilleberto monacho Elnonensi edita ibid., p. 895-898, num. 1-15.

10° Quoddam miraculum de juvene suspenso in pago Noviomensi et per beatum Amandum suscitato (fol. 199v-201r).

Edit. ibid., p. 899, num. 18.

11° Quoddam miraculum de incarcerato Coceii per orationem beati Amandi soluto (fol. 201r-203r).

Edit. ibid., pp. 898, 899, numm. 16, 17.

12° Miracula S. Amandi quæ facta sunt per Bragbantum (fol. 203r-210r).

Edita ibid., pp. 900, 901, num. 1-12. In cod. facta esse narrantur ista miracula *M.C.VIIo.*

13° Miraculum in ecclesia S. Amandi intra urbem Rothomagensem ejus intercessionibus factum. De muliere quæ se laqueo interemit et Christi subveniente gratia vitam recepit (fol. 210v-215v).

Editum ibid., pp. 902, 903.

14° Qualiter corpusculum parvi infantis et magni martyris Cyrici translatum fuit in Elnonense cœnobium ab urbe Nivernensi (fol. 216r-220v) [218].

Enarratio auctore Philippo abbate Bonæ Spei edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Junii, tom. III, pp. 34, 35.

VII. Codex signatus n° 57 [210 tom. I].

Membraneus, foliorum 313, præter unum insiticium in capite, formæ majoris (0m,42 × 0,31), columnis binis, lineis graphide ductis, quas scriptura non contingit, sed in spatiis intermediis sequitur, exaratus seculo XIV.

Tituli rubricati. Complures litteræ exordio singularum sententiarum in textu rubro vel cæruleo colore designatæ, ceterum nullis ornamentis; initio vero singulorum capitum seu præcipuarum uniuscujusque Vitæ partium cauliculis et volutis eleganter ornatæ, quibus subinde adjectæ sunt appendices quæ totam paginam complectuntur. Præterea in capite singulorum documentorum conspicitur littera admodum ampla et similiter ornata, sed magis artificiose, interjectis etiam animalium phantasticorum figuris et aliis ad rem venaticam spectantibus. Denique fol. 3r (1) depicta est effigies S. Joannis Baptistæ variis decoribus distincta.

(1) Secundum recentiorem scilicet foliorum notationem, secundum primævam vero fol. 1r. In hac enim duo priora folia (nunc 1 et 2), quibus continentur prologus et index totius codicis, numeris carent; tertio inscriptus est in parte recta nume-

Folio insiticio verso inscripta est hæc nota : *Hunc librum fieri fecit domnus Robertus de Craenwic, piæ memoriæ, Dei gratia abbas hujus monasterii Sancti Trudonis, qui perfectus et ligatus fuit, anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo sexto.*

Fol. 1r descriptus est Prologus in totum opus : *Historiam priorum sanctorum ad ædificationem nostram Deus voluit provenire...* Quem sequitur hæc circa partitionem totius operis indicatio : *Incipit divisio libri passionalis in tria volumina. Notandum quod liber iste, qui passionalis vel passionale dicitur, partitus est in tres partes sive in tria volumina. Quorum hoc præsens* (cod. 57) *est primum, et incipit a die nativitatis beati Johannis Baptistæ et terminatur exclusive in die beati Dionysii. Secundum vero* (cod. 58, de quo num. seq.) *incipit a die beati Dionysii et terminatur exclusive in die purificationis beatæ Mariæ. Tertium et ultimum volumen* (cujus dolemus jacturam) *incipit a die purificationis beatæ Mariæ et terminatur exclusive in die nativitatis beati Johannis Baptistæ. Explicit divisio libri passionalis in tria volumina.*

Fol. 1v : *Incipit tabula hujus primæ partis sive voluminis libri passionalis de passionibus et vitis sanctorum sub numeris suis.* Sequitur index usque ad fol. 2v, eique subjuncta est hæc nota : *Notandum quod in hac prima parte libri passionalis et in aliis duabus, de quibus supra notatur, tantummodo tractatur de passionibus et gestis sanctorum de quibus memoria agitur apud nos et in nostro monasterio sancti Trudonis confessoris, quibusdam additis. Qui autem de aliis sanctis quorum in iis gesta non notantur legere velit, inspiciat Vincentium in Speculo Historiali et librum qui dicitur Vitas* (sic) *Patrum, et inveniet sub numeris tabularum eorumdem de singulis ibidem contentis.*

Fol. 309v : *Explicit libri passionalis prima pars, scripti per Martinum dictum de Venne, in nomine Domini. Amen.*

Porro monendus est lector in recensione documentorum quæ complectitur codex, prætermissos esse a nobis sermones nonnullos paræneticos qui sanctorum Vitis intermixti sunt. Hos tamen hoc loco breviter indicare visum est. Leguntur itaque in codice : (fol. 3r-7v) Sermones septem de S. Joanne Baptista; (fol. 18v et fol. 31r-32r) Sermones duo S. Maximi episcopi de SS. Petro et Paulo apostolis; (fol. 32r-32v) Sermo de iisdem; (fol. 47r-47v) Sermo de S. Maria Magdalena; (fol. 103r-112r) Sermo S. Hieronymi de assumptione B. Mariæ Virginis; (fol. 140v-141v) Sermo Joannis episcopi de decollatione S. Joannis Baptistæ; (fol. 164v-166v) Sermo Fulberti Carnotensis episcopi in nativitate S. Mariæ Virginis; (fol. 210v-212r) Sermo S. Augustini in dedicatione.

rus I et in parte versa numerus II; quarto, item in part. versa, numerus III; quinto, numerus IV et ita porro usque ad XV; deinde post duo folia quæ nullis numeris signata sunt, sequitur fol. XVI (secundum recentiorum notationem 19) et continuata est inde series numerorum (qui ubique in parte folii versa inscripti sunt, subinde autem compactoris scalpro excisi) usque ad finem. In describendo codice jam sequemur solam notationem recentiorem.

1° Passio SS. martyrum Johannis et Pauli (fol. 7ᵛ-10ʳ).

Initium Passionis refert Acta S. Gallicani edita in *Act. SS.* ad d. 25 Junii, tom. V, p. 37-39; reliquum vero est Passio SS. Joannis et Pauli edita ibid., ad d. 26 Junii, pp. 159, 160. — Præter alias lectiones variantes minoris momenti notetur: numm. 3, 4, omissa esse quæ uncinis inclusa sunt; num. 5 om.; num. 6 in cod. incipit ab his verbis: *Nam statim Julianus in bello Persico interfectus est. Joviniano facto christianissimo imperatore, apertæ.....* (secundum *annot.* x, p. 161), at post *sanatus est* ita cod.: *Hæc autem quæ scripta sunt, indicante ipso Terentiano cognovimus. Acta autem sunt hæc apud urbem Romam, die sexto Kalendarum Juliarum, regnante Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre et cum Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

2° Passio Septem Dormientium (fol. 10ʳ-14ᵛ).

Edita in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, *Florilegii* p. 252-259. In cod. non paucæ occurrunt lect. variantes. Cfr. etiam *Act. SS.*, d. 27 Julii, tom. VI, p. 375 sqq., ac versionem Syriacam quam ex cod. musei Britannici, (cod. 14641 inter additionales, vid. cl. Wright *Catalogue of the Syriac Manuscripts in the British Museum*, p. 1045) edidit J. Land, *Anecdoton Syriacorum* tom. III, p. 87-99; necnon et opus Joannis Koch, *Die Siebenschläferlegende* (Leipzig 1883).

3° Vita S. Leonis (fol. 14ᵛ).

Vita desumpta ex Anastasio bibliothecario, edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Junii, tom. V, p. 375. In cod. om. num. 4-9, necnon ultima phrasis num. 2 *(Verumtamen de suprascriptis...)*.

4° Passio SS. virginum Fidei, Spei et Caritatis, et Sophiæ matris earum (fol. 14ᵛ-16ᵛ).

Edita in *Legenda Aurea* (edit. Coloniensi 1483), foll. 443, 444.

5° Epistola sive planctus Dyonisii ad Thimoteum de morte beatorum Petri et Pauli apostolorum (fol. 16ᵛ-18ᵛ).

Edita in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, part. I, tom. I, p. 309 sqq.

6° Passio apostolorum Petri et Pauli (fol. 19ʳ-23ʳ).

Passio auctore, ut fertur, S. Marcello, edita apud J. A. Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, part. III, p. 632-653.

7° Passio S. Petri singulariter (fol. 23ʳ-26ᵛ).

Passio auctore beato Lino, edita in *Maxima Bibliotheca veterum Patrum* (Lugduni 1677), tom. II, p. 67-70.

8° Passio S. Pauli apostoli singulariter (fol. 26ᵛ-31ʳ).

Edita hocce modo ut prior pars legatur apud Fabricium, op. cit., part. II, p. 441-449, num. I-VI, altera autem in *Maxima Bibliotheca*, tom. II, p. 70-73.

9° Passio SS. Processi et Martiniani (fol. 32v-33v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Julii, tom. I, pp. 303, 304.

10° Passio beatorum martyrum filiorum sanctorum *(sic)* Felicitatis (fol. 33v-34r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Julii, tom. III, pp. 12, 13.

11° Translatio et adventus sancti Patris nostri Benedicti in Castro Floriaco (fol. 34r-41r).

Enarratio auctore Adalberto, edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Martii, tom. III, p. 302-305. In cod. num. 11 secundum annot. *d* ita pergit :

De quibus pauca pro tempore in laude Dei, cujus virtute patrata sunt, et honore tanti mirabilium patratoris operum (et ideo mirabilium quia sicut a ceteris sol differt cæli sideribus suæ magnitudinis et claritatis gratia, sic tam vitæ et doctrinæ ejus quam miraculorum prærogativa, ab aliorum sanctorum gestis distare videtur quadam singulari excellentia) huic opusculo annectere satis gratum duximus; illud maxime de quo dubitari a quibusdam minimæ fidei solet, utrum sacratissimi corporis ejus pretiosi cineres ut supra vera descriptione prælibatum est, apud nos habeantur. Super qua re cum non parva ac probatissima sint documenta, hoc super evidentius et celebrabilius, Christo cooperante ipsius meritis, ad omnem dubitationem procul pellendam et omnibus omnimodis satisfaciendum tam nostræ ætatis quam successuræ refertur.

Tempore quo Karlomannus filius Karoli qui Tutides appellatus est (Tutides enim (1) mallei dicuntur fabrorum quibus omnis durities atteritur), amore succensus contemplativæ conversationis, regni quam ad regendum susceperat fratri relinquens partem, monasticæ vitæ adeptus est normam. A beato Zacharia papa romano tonsuræ ecclesiasticæ gratia percepta ad monasterium sancti Benedicti situm in supradicto castro Cassini secessit, atque ibi quod reliquum vitæ fuit mortalis religiose conversando complevit. Ordinante autem Christi misericordia, Pippinus ejusdem frater regni Francorum summam et, auctoritate Stephani romani pontificis ex præfecto palatii rex constitutus, per annos ferme quindecim aut eo amplius regni Francorum principatum solus optime rexit, sicut videlicet compererat beatum Arnulfum eximiæ nobilitatis virum cum Ansegiso filio proavos suos olim apprime rexisse. Qui beatus Arnulfus, relicta post seculi gloria, episcopus Mediomatricum, quæ est Mettis, cleri populique acclamatione ordinatus, mirabiliter in pontificatu vivere studuit ac demum heremiticam eligens vitam leprosis universa præbens obsequia continentissime usque ad obitum vixit. Ea igitur

(1) Eamdem narrationem, at eam subinde contractam, subinde vero prolixiorem reperies apud Joannem a Bosco : *Floriacensis Vetus Bibliotheca* (Lugduni 1605, p. 31 sqq.). Locos communes, ubi breviores erant, integre iterum edidimus; alios punctis supplevimus.

tempestate (*Flor. Vet. Bibl.* p. 33)... bonum ad omnes. Innotuerunt (p. 34)... mittere. Verum etiam... sanctitatem vestram ut præfati beati Benedicti... reddat (p. 35). Odo tunc temporis... has procul positas expetiit voluntarie... digne (p. 36). Cum itaque res erronea animos illorum hac illacque traheret et partes tanto animi ardore decertarent, atque hi, quibus res pro animo inerat, sese orationibus communirent, illi vero audacter animos ad ea patranda propter quæ venerant præpararent, majestati... demigrante Carolus (p. 37) consensu omnium Francorum totius regni monarchiam suscipit. Qui quibusdam servorum suorum fisci debito sublevatis curam tradidit regni, eo quod multos ex Francorum nobili genere filio Pippino contulerit qui cum eo regnum Italicum noviter susceptum tuerentur et regerent. Atque imprimis Rahonem, ut diximus, fisci debito sublevatum Aurelianensibus comitem præfecit aliisque (p. 39)... exsequias (p. 40) agens gratias Deo et benefactori suo tutorique ac protectori sanctissimo Benedicto. Karolo denique magno, imperatore Francorum et Augusto, diem obeunte, Ludovicus filius ejus imperii gubernacula suscepit. Cujus temporibus res quarumcumque... elatus expeditionem parat viribus undecumque contractis adversum Matfridum atque Lambertum, qui ab imperatore ad Lotharium defecerant. Interea auxiliatores ex superiori Burgundia ad id properantes bellum, utramque Ligeris ripam tenentes, rapinis cuncta vastabant. Hujusce modi autem negotio, scilicet ad substantiolam familiæ sancti Benedicti, ne hostibus ut assolet pateret, prævidendam præficitur Erchamboldus presbyter, (p. 43)... et ecce (p. 45) nuntiatur ductores belli, Odonem scilicet fratremque ejus Guillelmum, cum multis aliis amplæ opinionis viris mortem oppetiisse. Quo nuntio diro graviter afflicti fratres communi concilio pro his preces ad Dominum fundere statuunt, memores præcepti dominici : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos*. Solemne...

Huic capiti, quod est cap. XXII apud Joannem Boscum, aliis omissis, annexa sunt continuo capp. XXVIII et XXIX (p. 71-73) cum hac clausula :

His et aliis venerandis actibus sancti viri comprehendi potest, cujus sit nobilitatis idem locus, in quo tantus thesaurus est reconditus. Nam cum eidem viro Deus machinam mundi in sphæræ modum ostendisset, præ omnibus locis plus eum locum creditur dilexisse, quo præscivit propria ossa propriis relictis sedibus transferenda. In quo hactenus tanta constant monstrata miracula ut si scriberentur proprio indigerent libro, præstante omnipotentia divinitatis Domini nostri Jesu Christi cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Tandem hac præposita phrasi : *Tempore Justiniani imperatoris, qui quinquagesimo loco ab Augusto Octaviano imperium Romanum gubernavit annis triginta octo* subjecta leguntur ex Pauli Diaconi *Historia Longobardorum*, cap. 26 lib. I, cap. 17 lib. IV, cap. 2 lib. VI a verbis istis : *Circa hæc tempora*, cap. 40 lib. VI usque ad verba : *scripta significavit*. (edit. Hanoveræ 1878, pp. 63 et 64, p. 122, p. 165, pp. 178 et 179.)

12° Passio S^{tæ} Margaretæ virginis (fol. 41r-43v).

Edita apud Mombritium, tom. II. Sed in cod. omittitur quidquid narratur de luctamine quod in carcere posita habuit cum dracone scil. a p. 4, col. 1, lin. 16 *(præcipe ut videam inimicum meum)* ad p. 6, col. 1, lin. 31 *(...de animabus quas perdidisti).*

13° Passio S. Liberti (fol. 43v-44v).

Hæc Passio desumpta est ex capp. IV et V (p. 258-262) Vitæ S. Rumoldi editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Julii, tom. I, p. 252 sqq. Hæc tamen ultima Passionis phrasis notanda : *Corpus ejus, ut aiunt (veri enim periculum ad me non recipio), illic sepultum* (scilicet ante aram S. Trudonis) ; *de loco autem sepulchri non ambigua sententia est.* — De S. Liberto actum est in *Act. SS.*, ad d. 14 Julii, tom. III, p. 700 sqq.

14° Vita S. Monulphi episcopi (fol. 44v-45r).

Vita auctore Ægidio Aureævallensi, edita apud Chapeavillum, *Gesta pontificum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium,* tom. I, p. 58-60; item nuperrime in *Mon. Germ.*, scr. tom. XXV, pp. 27, 28, num. 33. Sed in cod. ad hæc verba (init.) : *cum reverentia transtulit* add. : *et clericos Deum timentes et in amore superno ferventes, qui sub eo jugiter et digne militarent Deo, constituit atque secundum canonica instituta vivere in omnibus semper monuit. Erat enim doctor bonus, homo justus, orphanorum pater et peregrinorum. De manu inique agentium omnes oppressos liberavit ; juxta verbum Domini viduas semper fovebat, egenos alebat, infirmos visitabat : manus enim stillabant nec cessabant stillare aliquando opera misericordiæ. Cum esset domi, sacris vacabat lectionibus, assiduis vacabat orationibus, missarum solemnia frequentabat, quotidie offerens se Deo hostiam vivam et acceptam.* — Actum est de illo sancto episcopo in *Act. SS.*, ad d. 26 Julii, tom. IV, p. 152 sqq.

15° Vita S. Gundulphi (fol. 45r-46r).

Vita auctore eodem Ægidio, edita apud Chapeavillum, ibid., p. 61-63, et in *Mon. Germ.*, ibid., p. 28, num. 34. Cfr. *Act. SS.*, ibid., p. 159 sqq.

16° Vita S^{tæ} Praxedis (fol. 46r-47r).

Vitæ hujus prior pars, scilicet usque ad *cum omni gaudio baptizarentur* (fol. 46, col. 1) proxime accedit ad textum editum in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 350; posterior ad ea quæ edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 19 Maii, tom. IV, p. 300, num. 5-8.

17° De transitu ejus [S^{tæ} Mariæ Magdalenæ] (fol. 47r-48v).

Editum apud Faillon *Monuments inédits sur l'apostolat de sainte Marie Madeleine,* tom. II, p. 423-436; in cod. præpositus est prologus qui ibi Vitæ subnexus est.

18° Item de ejus translatione (fol. 48v-50r).

Editum ibid., p. 745-752. Cod. inc. *Nunc ergo largiente Domino...;* add. in fine clausula edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 321, ac versus aliquot de quibus cfr. Daniel, *Thesaurus Hymnologicus* (Halis 1841.), tom. I, p. 286.

19° Vita beati Wandregisili abbatis (fol. 50^{r}-52^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Julii, tom. V, p. 272-281. In cod. om. prologus et num. 13-28.

20° Passio S. Apollinaris martyris (fol. 52^{v}-56^{v}).

Edita ibid., ad d. 23 Julii, p. 344-350.

21° Vita $S^{tæ}$ Christinæ virginis (fol. 56^{v}-60^{v}).

Passio haud absimilis ab ea de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 517, 72°.

22° Passio S. Jacobi apostoli (fol. 60^{v}-62^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

23° Passio S. Christophori martyris (fol. 62^{v}-65^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I. Non paucæ tamen occurrunt lectiones variantes; incipit: *Tempore illo quo Dugnus rex regnabat in civitate Samon venit homo ab insulis genere Chananeus.*

24° Passio sanctorum VII fratrum dormientium sub alio stilo (fol. 65^{r}-66^{v}).

Passio auctore Gregorio Turonensi, edita in *Act. SS.*, ad d. 7 Julii, tom. VI, p. 389-391.

25° Passio S. Pantaleonis martyris (fol. 66^{v}-70^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II. — In cod. multæ lectiones variantes.

26° Passio S. Felicis martyris (fol. 70^{r}-70^{v}).

Edita ibid., tom. I.

27° Passio SS. Simplicii, Faustini ac Beatricis (fol. 70^{r}-71^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Julii, tom. VII, p. 36. Num. 2, pro *quarto Kalendas augusti*, in cod. *VII Kal. augusti*.

28° Passio SS. Abdon et Sennis (fol. 71^{r}-73^{r}).

Passio haud absimilis ab ea de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 519, 81°.

29° Sermo de institutione festi Petri ad vincula (fol. 73^{r}-75^{r}).

Editus in *Leg. Aurea* (Edit. Dresdæ 1846), p. 455-460.

30° Passio SS. fratrum Machabeorum (fol. 75^{r}-75^{v}).

Sermo S. Maximi editus apud Migne, P. L., tom. LVII, p. 693 sqq., sermo LXXX.

31° Passio S. Stephani papæ (fol. 75^{v}-79^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Aug., tom. I, p. 139-144.

32° De inventione SS. Stephani, Nichodemi, Gamalielis et Abb[ibonis] (fol. 79^{v}-81^{v}).

Editum apud Surium ad d. 3 Augusti.

33° Vita S. Dominici (fol. 81v-87r).

Edita in *Leg. Aurea* (Edit. cit.) p. 466-483; sed in cod. nil de nominis etymologia. Fol. 87v narratur iterum mors S. Dominici, sed in margine appositum est *vacat.*

34° Translatio corporis S. Stephani prothomartyris ab Iherosolymis Constantinopolim (fol. 87v-89r).

Edita apud Migne, P. L., tom. XLI, p. 817-822. In cod. epistola Anastasii ad Landuleum om.

35° Translatio ejusdem a Constantinopoli ad urbem Romanam, quæ est pridie nonas Mayas (fol. 89r-91v).

Edita in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, part. I, tom. I. In fine add. clausula edita ibid., tom. II, p. 309, 97°.

36° Passio S. Syxti papæ (fol. 91v-93r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Aug., tom. II, pp. 140, 141. Incipit: *In diebus illis Decius Cæsar et Valerianus præfectus jusserunt.*

37° Passio S. Donati episcopi et martyris (fol. 93r-94v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

38° Passio SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi (fol. 94v-96r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., tom. II, p. 5-9; scilicet num. 10-24. Incipit: *Tempore illo nuntiatum est Diocletiano.*

39° Passio beati Laurentii martyris (fol. 96r-98v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

40° Sermo Theoderici abbatis de translatione SS. Trudonis et Eucherii (fol. 98v-100r).

Editus apud Surium ad d. 23 Novembris.

41° Passio S. Tyburtii (fol. 100r-100v).

Contracta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Aug., tom. II, p. 621-624; scilicet ex num. 9-14.

42° Passio S. Eupli (fol. 100v-101v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Aug., tom. II; prior pars bene convenit cum numm. 1, 2 Actorum Consularium (ibid., p. 721), nisi quod in num. 2 inveniuntur lect. var. indicatæ in annot. *l*, p. 722; altera pars edit. est p. 716, num. 31-33.

43° Passio SS. Yppoliti et sociorum ejus (fol. 101v-103r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

44° Vita S. Eusebii (fol. 103r-103v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Aug., tom. III, pp. 166, 167, num. 5-7. In cod. add.: *Mortuo autem Liberio levatur Damasus. Factus Damasus episcopus voce publica damnavit Liberium, facta synodo cum episcopis viginti et novem et presbyteris* xxv;

et sic cessavit persecutio, non tamen per multum tempus, donante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.

45° Vita beati Arnulfi episcopi (fol. 112r-115v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Julii, tom. IV, p. 435-440. Num. 7 om. Num. 8 ita incipit : *Cumque in his atque diversis bonis tamquam potentissimus auriga jugiter vigilaret, forte fuit ut urbs Mettensium præsule indigeret. Tunc una vox populorum Arnulfum domesticum atque consiliarium regis dignum esse episcopatu acclamavit. Ille autem...* Num. 9 incipit : *Miracula saltem aliqua de multis quæ gessit vir sanctus narranda aggrediar. In contiguis...;* ad finem omm. hæc verba : *Ecce Reverentissime Domine Chlodulfe.*

46° Passio S. Agapiti (fol. 115v-117r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

47° Passio beati Magni martyris (fol. 117v-119r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Aug., tom. III, p. 713-716.

48° Vita S. Bernardi (fol. 119r-123v).

Edita in *Leg. Aur.*, p. 527-538. In cod. omm. quæ ibi de nominis etymologia scripta sunt, sed additur revelatio, qua quidam decanus Lingonensis, qui in nemore Ardanensi annos xxv eremetice vixerat, indicavit ex viginta millibus, qui ea qua ipse et S. Bernardus obierant die, quinque tantum fuisse de numero salvatorum. Vitæ (fol. 123r-123v) subnectitur capitulum perperam adjectum, ut ipse scriba notavit bocce modo : *Quod sequitur vacat totaliter;* in hoc capitulo compendiose narrata sunt mirabilia quædam a beato viro patrata.

49° Vita S. Philiberti (fol. 123v-127r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Aug., tom. IV, p. 75-80. Sed in cod. legitur prologus quem Surius Vitæ a se ad hunc diem editæ præposuit; deinde num. 2 inde ab *ea de causa maxime* ad fin. om.; num. 12 *vox manitia* ita exponitur : *quæ nos peregrina lingua wantos vocamus;* num. 16, post *in Neustria*, ita cod. : *Longum est enarrare cuncta per ordinem quanta ejus opinio excreverat, ut alii abbates sua propria monasteria relinquerent vel monachos suos probatissimos ad eum dirigerent, ut cum eo longo tempore demorantes discerent ejus vitam vel conversationem, ut in suis propriis recte prodesse deberent. Qui universis prædicans rectam fidem Domini nostri Jesu Christi tenere in unitate et in trinitate personas coæqualis naturæ vel essentiæ totis viribus suis admonebat, ut unitam et mutuam inter se haberent caritatem.*

50° Passio S. Symphoriani (fol. 127r-128v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Aug., tom. IV, pp. 496, 497. Sed num. 1 omm. voces *Sub Aureliano principe;* itemque num. 10 eæ quæ in ed. uncinis continentur.

51° Passio SS. Tymothei et Apollinaris (fol. 128v-129v).

Lectio haud absimilis ab illa, de qua in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, part. I, tom. I, p. 40, 84°.

52° Passio S. Bartholomei apostoli (fol. 129v-132r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34-38.

53° Passio S. Rufi martyris (fol. 132r-132v).

Desumpta ex Passione S. Apollinaris edita ad d. 23 Julii, tom. V, p. 344 sqq., scilicet numm. 14, 15. Hæc add.: *Beatus vero Rufus, cujus hodie festa percolimus, per inspirationem sancti Spiritus discipulus devotus factus et auditor humilis sancti Apollinaris, instructus evangelicis institutis, baptismum a magistro veritatis suscepit. Qui in fide Christi quotidie crescens, ad ultimum palmam martyrii adeptus est. Cujus corpus apud Capuam civitatem sepultum requiescit in Domino: cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.* Cfr. *Act. SS.*, ad d. 29 Aug., tom. VI, p. 9 sqq.

54° Vita beati Augustini episcopi abbreviata (fol. 132v-138r).

Edita in *Leg. Aur.*, p. 548-566. Sed in cod. nihil de etymologia nominis.

55° Passio S. Hermetis (fol. 138r-140v).

Edita in Act. S. Alexandri ad d. 3 Maii, tom. I, p. 371-375. — Sed num. 10, post verba *alii malefici*, cod. cetera usque ad finem num. 12 ita contrahit: *sunt, et quomodo possunt cis sacramenta sancta committi? Ait sanctus Alexander: Date nomina vestra ut efficiamini christiani;* num. 14, post *pervenit ad illa sancta Balbina,* ita cod.:

Et cum invenisset, gratias cœpit agere Domino Jesu, quod repperisset vincula beati Petri apostoli; et prosternens se in oratione, dixit: *Benedictum nomen tuum, omnipotens Deus, quod per famulum tuum Alexandrum mihi ancillæ tuæ thesaurum spiritalem manifestasti.* Et cœpit ea vincula cum tremore nimio deosculari et gratias agere regi cœlorum. Audiens hæc Theodora illustris femina, cœpit velle rogare eam ut sibi ea derelinqueret. Tunc concessit beata Balbina et tradidit vincula beati Petri apostoli Theodoræ illustrissimæ feminæ, sorori sancti Hermetis præfecti. Illustrissimus vero Hermes et fide christianissimus cum nec blanditiis nec minis ab Aureliano posset revocari, ad ultimum jussus est subire sententiam capitalem. Cujus corpus soror ejus Theodora collegit et cum digno honore in Salaria vetere sepelivit non longe ab urbe Roma. Tunc beatissima Balbina cum fiducia revertens ad carcerem ad beatum Alexandrum papam et ejus socios, cœpit eorum adhærere vestigiis et rogare ut pro ea Dominum deprecarentur et suis eam eloquiis confirmarent. Eodem tempore ira repletus Aurelianus impiissimus, missis militibus jussit omnes christianos, qui erant in carcere baptizati, duci ad mare et illic in navi vetusta imponi, et in altum deduci, et illic ligatis collo lapidibus mergi in profundum maris. Cum quibus et virgo perrexit, glorificans Deum. Acta sunt hæc circa famulos Dei Hermetem et Quirinum temporibus Trajani imperatoris et Aureliani crudelissimi tyranni, regnante Domino nostro Jesu Christo in secula seculorum. Amen. — Cfr. *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 142 sqq.

56° De revelatione capitis S. Joannis Baptistæ (fol. 141v-144v).

Editum in *Act. SS.*, ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 716-718, num. 113-118; p. 724-728, num. 144-157.

57° Vita beati Augustini non abbreviata (fol. 144v-150r).

Vita maxima parte desumpta ex Vita S. Augustini auctore Possidio, edita apud Migne, P. L., tom. XXXII, p. 53 sqq., et Vita auctore Philippo Bonæ Spei, edita ibid., tom. CCIII, p. 1205 et sqq. Inc.: *Beatus itaque Augustinus ex provincia Affricana, civitate Cagastensi, de numero curalium honestissimis valde parentibus oriundus fuit; pater ejus Patricius, mater vero Monica vocabatur.*

58° De translatione S. Augustini (fol. 150r-151r).

Editum apud Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1230-1234. Inc.: *Defunctus* ... (ad fin. p. 1230). In cod. tamen omm.: *Scriptum quippe est-muliere loqueretur* (p. 1231 ante med.) et *Eapropter prudens lector-dum ad propositum tardius remeatur* (p. 1231 post med.).

59° Legenda festi nivis, quomodo ecclesia beatæ Mariæ ad majores Romæ ex ostenso miraculo constructa primo fuit (fol. 151r-152v).

Edita apud De Angelis, *Basilicæ S. Mariæ majoris de urbe a Liberio papa I usque ad Paulum V descriptio ac delineatio* (Romæ 1621), p. 19-21.

60° Vita SS. confessorum Eucharii, Valerii et Materni (fol. 152v-157v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Jan., tom. II, p. 918-922.

61° De vita S. Materni compendiose (fol. 157r-158r).

Contractis his quæ de beato viro in Vita præcedenti referuntur annexa sunt in cod. quæ de beato episcopo Ægidius Aureævallensis tradidit. Cfr. *Mon. Germ*, scr. tom. XXV, num. 13-16, p. 16-18. In fine add.: *et post septingentos annos*, IIII *Kl. aprilis reliquiæ corporis ejusdem Leodium sunt translatæ.*

62° Passio beatæ Sabinæ (fol. 158v-159r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Aug., tom. VI, in Passione S. Serapiæ, pp. 503, 504, num. 12-15.

63° Passio SS. martyrum Felicis et Adaucti (fol. 159r-159v).

Edita ibid., tom. VI Aug., pp. 546, 547, numm. 5, 6. Inc.: *Beatissimi martyres Christi Felix et Adauctus passi sunt sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, præfecto et judice Flacco. Fuerunt...*

64° Vita S. Egidii abbatis (fol. 159v-162v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Sept., tom. I, p. 299-303. Prologus om.

65° Vita S. Remacli (fol. 162v-164v).

Edita ibid., ad d. 3 Sept., tom. I, p. 692-695. Prologus om.

66° Miraculum de Sta Maria (fol. 166v-167r).

Enarratur quid mirum acciderit Constantinopoli cuidam imagini beatissimæ Virginis a Judæo inter sordes projectæ, quum ipsam inventam honestissimo loco reposuerunt christiani.

67° De genealogia et nativitate virginis Mariæ (fol. 167r-169r).

Editum in *Leg. Aur.*, p. 585-591 ; num. 3 et sqq. omm.

68° Passio S. Adriani (fol. 169r-170v).

Edita ibid., p. 597-601.

69° Passio SS. Gorgonii et Dorothei (fol. 170v-172v).

Edita in *Act. SS.*, ad 9 Sept., tom. III, p. 340-342.

70° Vita et passio S. Theodardi (fol. 172v-176r).

Vita auctore Sigeberto Gemblacensi, edita ibid., ad d. 17 Sept., tom. III, p. 593-599.

71° Passio SS. Proti et Jacincti (fol. 176r-182r).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXIII, p. 605-620, in vita sanctæ Eugeniæ virginis ac martyris. Non paucæ occurrunt variantes lectiones.

72° In exaltatione Stæ Crucis (fol. 182r-183r).

Editum apud Mombritium, tom. I.

73° Passio S. Cornelii (fol. 183r-183v).

Edita ibid., tom. I.

74° Passio S. Cipriani (fol. 183v-184v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Sept., tom. IV, pp. 732, 733. In cod. non paucæ lectiones variantes.

75° Passio SS. Luciæ, Geminiani (fol. 184v-187v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

76° Passio Stæ Eufemiæ virginis (187v-188r).

Edita in *Leg. Aur.*, p. 620-622. In cod. nil de nominis etymologia.

77° Vita et Passio S. Lamberti (fol. 188r-197v).

Passio auctore Sigeberto, edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 589-601.

78° Passio beati Eustacii martyris et filiorum ejus (fol. 197v-202r).

Edita ibid., ad d. 20 Sept., tom. VI, p. 123-135. Prologus om.

79° Passio S. Mathei apostoli (fol. 202r-205v).

Lectio haud absimilis ab ea de qua in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, part. I, tom. I, p. 47, 116°.

80° Passio S. Mauricii sociorumque ejus (fol. 205v-208r).

Edita apud Surium ad d. 22 Sept. Omm. epistola Eucharii et prologus; deinde cap. II, post *validus cursus offertur* add. in cod.: *Qui more suo leviter fluens regionis ipsius grata amœnitate commendat prata...;* ac post *committendi sacrilegii prœteriret* add.: *Agaunum accolæ interpretatione gallici sermonis sexum dicunt.* Cap. III: *Viri in rebus bellicis strenui-Cæsari restituebant*, om.; in fine reperitur inversio illa de qua in cod. Brux. 64; vid. *Catal. cit.*, Part. I, tom. I, p. 16, 79°.

81° Passio SS. Cosmæ et Damiani (fol. 208r-210v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 474-478. Prima phrasis num. 1, *(Licet omnium-palmas festinare)* om.

82° De Sto Mychaele (fol. 212r-215v).

Editum in *Leg. Aur.*, p. 642-653. At in cod. nil de nominis etymologia.

83° Vita S. Ieronimi (fol. 216r-219r).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 202-214. Sed lectio codicis procedit secundum annott. *b*, p. 203, *a*, p. 206, *c*, p. 209, *c*, p. 213.

84° Vita beati Remigii brevis prout in choro legimus (fol. 219r-221v).

Vita auctore Fortunato, edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p 128-130. Num. 9 om.; sed ex vita auctore Hincmaro annexa sunt numm. 106, 107, 109 ex parte *(Post præmissas-hereditas Domini)*, 110 ex parte *(Condito-valeret)*, 111, 115-121.

85° Vita et acta integre de beato Remigio (fol. 221v-233v).

Vita auctore Hincmaro, edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131-166. Om. præfatio, ac subinde numm. aliquot seu numerorum partes.

86° Vita S. Germani Antisiodorensis episcopi (fol. 233v-247r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Julii, tom. VII, p. 201-220. In cod. descriptæ sunt epistolæ duæ ibid. edit. p. 200 et 201 ante Vitam; om. argumentum lib. II, et pro epitaphio in cod. legitur:

Explicit egregii Germani præsulis alma
Vita actusque, obitus virtutum lumine clarus.
Impetret æternæ nobis quoque gaudia vitæ. Amen.

87° Vita S. Bavonis Jesu Christi confessoris (fol. 247-253v).

Vita auctore Theoderico abbate, edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 243-252. Num. 41 inde a *Gloriosa dicta sunt...* om.; num. 42 om.

88° Passio S. Piatonis martyris (fol. 253v-255v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 22-24. Hæc notanda :

Inc.: Illis igitur diebus cum Julianus impiissimus Cesar decreta principum accepisset ut Christiani qui diis et ceteris deorum officiis non immolarent *(Anal. Boll.*, tom. I, p. 619, lin. 38)... gaudere cum Christo.

Beatissimus itaque Piatus, ut supra diximus, ab urbe Roma *(Act. SS.*, tom. cit., p. 23, num. 4)... candidatos (num. 5) *ac pergit cod. ut in annot.* i, p. 25, *usque ad* divina gratia roborabat. Cumque, ut supra diximus, Julianus impiissimus Cesar furore *(ibid., p. 25, E)*... revocatos. Interea *(ibid., num. 5, p. 23)*...

Num. 11... in supradicto loco Sacellinio basilicam in qua sancti martyris corpus cum hymnis et laudibus divinis posuerunt ubi per orationes...

89° Passio S. Leodegarii martyris (fol. 255v-261r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Oct., tom. I, p. 485-490. Num. 22 ut in annot. *ii*, ibid., p. 491; quem sequuntur miracula edita ibid., p. 478 sqq. Hæc præterea notanda sunt:

Num. 51... *fulsisse nocte. Unde rumor...*;

Num. 52... *didicit ubi sanctum corpus requiesceret. Sed accedens orationi...*;

Num. 53 om. præter *His ita cognitis-diminuta in populis*; num. 54 om.; item num. 55 præter ultimam phrasim *(Transacto-ipse periit)*; item num. 56 præter primam *(Infelix-fecit habere)*; num. 57 om.; num. 61 om. præter initium *(Nam quis-fimbrias)*; numm. 65, 66 omm.; num. 72 ita conscriptus est ut primæ phrasi *(Deinde-allatum est)* inseratur ex num. 73 initium *(Cum autem...* usque ad *trahebat postmodum cæcum)*. Inde continuo annexa est epistola Ursini ibid. edita p. 485, ac inde sed contractim quæ edita sunt, p. 481, num. 73 sub fin. *(Et cum monachi ex ipso cœnobio...)* ac num. 74-76.

90° Vita beati Beregisi abbatis et confessoris (fol. 261r-265v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Oct., tom. I, p. 520-529. In cod. invenitur additamentum edit. in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 618.

91° Vita beati Francisci (fol. 265v-304r).

Vita auctore S. Bonaventura, edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Oct., tom. II, p. 742-798.

92° Passio Stæ Fidis (fol. 304r-306v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Oct., tom. VIII, p. 823-825. In cod. num. 1 om. Num. 11 sub fin., post verba *consilio adjutus ad effectum usque perduxit*, add. in cod. ex Historia translationis Stæ Fidis cultæ 6 Octobris *(Act. SS.*, tom. III Oct., p. 294 et sqq.,) num. 5, p. 295: *Nam ecclesiam extra murum ejusdem urbis ad septentrionale.... deposuit Quorum meritis ad salutem omnium innumera cælitus patrantur miraculorum insignia, præstante Domino nostro Jesu Christo qui in trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.* Sequuntur ejusdem historiæ num. 6, num. 7 præter *Denique id ipsum quondam ab exercitu Saracenorum-restauratum est*; num. 9... *pervenisset sub peregrini habitu... degens ut ignotum decuit... præbuit. A clericis... receptus est. Hic itaque cum omnibus complacuisset...*; num. 10 om.; num. 12-18 om.; num. 19 ab his verbis: *eodem quippe tempore* usque ad fin. om.; num. 20... *æternaliter sibi præcipuum elegit... festivum*

recolunt. In honore Domini nostri Jesu Christi et beatissimæ Fidis virginis et martyris quæ cum Deo per sua merita regnat in cælis. Cætera omm.

93° Vita S. Amoris confessoris (fol. 306v-309v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 343-347. Prologus deest.

94° Defectus B. De Sto Vedasto (fol. 309v-313r).

Edit. in *Act. SS.*, ad d. 6 Feb., tom. I, p. 794-799. Sed in cod. om. prologus; explicit vero secundum annot. *d*, ad num. 20.

VIII. Codex signatus n° 58 [210, tom. II].

Foliorum 272, quoad reliqua similis codici superiori 57. Singularem tamen mentionem merentur litteræ initiales fol. 2 (olim I : nam in antiqua foliorum notatione fol. 1 numero caret), coloribus et auro pulcherrime depictæ et ornatæ, quod ornamenti genus etiam totum folii circuitum complectitur; et quæ ibidem conspiciuntur duæ tabellæ, quarum altera exhibentur S. Dionysius et socii ejus orationi intenti et Jesu Christi apparitione dignati, altera idem Dionysius decisum caput manibus gestans : hæc imposita est quadro aureo, illa quadro vermiculatum opus repræsentante tessellis rubris et cæruleis variegatum.

Fol. 1r (qui numero signatus non est in antiqua notatione) inscripta est hæc nota manu seculi XIV : *Liber iste pertinet venerabili monasterio Ordinis Sancti Benedicti in Sancto Trudone Leodiensis diocesis*; et paulo inferius, manu seculi XVII : *Liber monasterii Sancti Trudonis, B. 1.* Eodem folio verso descriptus est index eorum quæ in codice continentur.

Præter Vitas sanctorum inferius recensitas complectitur codex (fol. 55r-58v) sermones duos in solemnitate Omnium Sanctorum et (fol. 231r-233r) sermonem de nativitate D. N. Jesu Christi.

1° Passio SS. martyrum Dionisii, Rustici et Eleutherii (fol. 2r-12r).

Edita apud Surium ad d. 9 Oct.; in cod. præfixus est prologus edit. in *Act. SS.*, ad hunc diem, tom. IV Oct., pp. 925, 926, numm. 1, 2.

2° Inventio ejusdem martyris a rege Dagoberto (fol. 12r-14r).

Edita in Gestis Dagoberti apud Bouquet *Rec. des Hist. des Gaules*, tom. II, p. 580-582, num. I-IV, VI-XI, ac p. 584, num. XVII, XVIII cum initio num. XIX *(Gazofylacium-unicuique restitueret)*.

3° Revelatio quæ ostensa est sancto papæ Stephano (fol. 14r-14v).

Edita apud Surium ad d. 9 Oct.

4° Passio SS. Gereonis, Victoris, Cassii et Florencii (fol. 14v-17r).

Passio auctore Helinando, edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Oct., tom. V, p. 36-40.

5° Passio SS. Nigasii, Quirini et Scuviculi (fol. 17r-20r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 628-632. Sed pro num. 1 scripta sunt in cod. quæ in Appendice edentur. Insuper iste prologus Passioni præfixus est :

Cum a fidelibus populis sanctorum venerabiliter amplectuntur merita eorumque quodam mentis intuitu a Deo sibi collata dulcissime recensentur beneficia, fides titubantium solidatur, spes fluctuantium erigitur, caritas trepidantium zelo divini fervoris accenditur, ejusque præcipue honoris magnificentia extollitur, qui mirabilis in sanctis suis per lati orbis spatia voce cunctorum laudabiliter prædicatur. Siquidem cum sequentibus se dixisset : *Sine me nihil potestis facere*, et alias : *Ego sum ostium : si quis introierit per me, salvabitur et pascua inveniet*, accessit per semetipsum cum nostræ imbecillitatis coagulo, mortem sibi indebitam nostræ damnationi prætendens, et rumpheam versatilem primi reatus ac flammeam aditum vitæ intercludentem triumphando submovens, artam nobis et angustam regni semitam paulatim calcabilem patefecit. Cujus exemplo apostolorumque succedentium doctrina, quibus ipse ait : *Vos estis lux mundi*, præveniente ac subsequente pietatis ipsius gratia tanta stirps pullulando ac fructificando enituit, ut non modo de urbibus artiumque scholasticarum colluctationibus disertissimi magnarumque virtutum ac documentorum insignibus excellentissimi, verum et rusticani ex agresti multitudine, etiam et pueri cum puellis morum probitate teneros annos trangressi, non tantum suis meritis immo sanctorum præcedentium piis interventionibus, per eamdem semitam ex cunctis mundi finibus ad vitæ gaudia se pervenire posse confidant. De quorum saluberrima copiositate facundiæ miraculorumque incomprehensibili coruscatione, qua ut psalmographus vates : *In omnem*, inquit, *terram exivit sonus eorum et in fines mundi verba eorum*, licet multa a sanctis patribus sufficientissime sint prolata, et ad utilitatis cognitionem ac fidei roborationem audientiumque devotionem posteris commendata, in tantum ut ante deficiat tempus vivendi quam copia audiendi, non tamen incommodum duximus et de iis qui ex ipsorum partibus et eorum temporibus ad nos venire, nostramque regionem prædicationibus illustrare, beneficiis sanare ac suo sanguine consecrare dignati sunt, aliquid vel breviter dicere et, ut præfixum est, ad utilitatis memoriam fidelibus commendare.

6° De S. Quirino martyre (fol. 20r-22r).

Relatio de translatione ejusdem sancti ad Malmundariense cœnobium edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Oct., tom. V, p. 550 sqq. In cod. inveniuntur tantum num. 1-13; om. ultima phrasi num. 13 *(Nam ut de præsentia...)*.

7° Passio S. Calixti papæ (fol. 22r-23v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Oct., tom. VI, p. 439-441.

8° De S. Columbano (fol. 23v-30v).

Vita S. Galli de qua in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, part. I, tom. II, p. 6, 40°.

—Sequitur in cod., sub inscriptione *Incipit prologus de S. Luca evangelista*, elogium S. Columbani a S. Gallo concinnatum, editum ibid. p. 12; nec quidquam hic legitur quod ad S. Lucam spectet.

9° De S. Luca evangelista (fol. 30v-31r).

Brevis notitia de sancto evangelista; cui adjectus est sub finem locus editus in *Leg. Aur.*, pp. 699, 670, num. 2.

10° Passio S. Justi martyris (fol. 31r-34r).

Edenda in Append.; cfr. *Act. SS.*, ad d. 18 Oct., tom. VIII, p. 325, num. 11.

11° Passio sanctarum virginum undecim milium, quæ celebratur duodecimo kalendas Novembris (fol. 34r-38r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157-163. Ultima verba: *Passæ sunt anno 238*, omm.

12° Passio Stæ Ursulæ (fol. 38r-43r).

Revelationes S. Elisabethæ Schœnaugiensis editæ ibid.. p. 163-172. Om. præfatio Egberti; ac num. 17 quæ in edit. uncinis inclusa sunt.

13° De Sto Severino episcopo Coloniensi (fol. 43r-45v).

Edita ibid., ad d. 23 Oct., tom. X, p. 56-59, num. 1-14.

14° Passio Crispini et Crispiniani (fol. 45v-46r).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 535-537; scilicet num. 3 inde ab his verbis: *Rictiovarus præfectus furore insaniens molas ad colla sanctorum...*, ac numm. 4, 5.

15° Passio SS. apostolorum Symonis et Judæ (fol. 46r-50r).

Edita apud Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, part. II, p. 608-636, num. VII-XXIII. In fine add. quæ edita sunt in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, part. I, tom. I, p. 95, 18°.

16° Passio S. Quintini martyris (fol. 50v-53v).

Edita in *Act. SS*, ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 794-799, num. 2-18; om. prologus ac versiculi numeris singulis præpositi.

17° Miraculum de inventione S. Quintini martyris (fol. 53v-54r).

Editum ibid., pp. 785, 786, num. 14-19.

18° Item inventio ejusdem S. Quintini martyris (fol. 54r-54v).

Edita in Vita S. Eligii, *Act. SS. Belgii*, tom. III, p. 232-234, cap. VI; cfr. *Act. SS.*, ibid., pp. 748, 741, num. 52-55.

19° Passio S. Cæsarii diaconi (fol. 58v-60r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 1 Nov., tom. I, p. 106 sqq.

20° Vita beati Huberti episcopi et confessoris (fol. 60r-65r).

Vita auctore Jona, edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 3 Nov.

21° Vita Odradæ virginis (fol. 65r-68r).

Edenda ope hujus cod. ibid., ad d. 3 Nov.

22° Vita S. Leonardi confessoris (fol. 68r-71v).

Edita apud Arbellot, *Vie de saint Léonard*, (Paris 1863), p. 277-289. Vitæ annexa sunt duo miracula, quæ gallico translata sermone leguntur ibid., p. 55-59, capp. II, III.

23° Passio innumerabilium martyrum (fol. 71v-73r).

Edita ope hujus cod., in *Act. SS.*, ad d. 3 Nov., tom. I, p. 643 sqq.

24° Vita beati Willebrordi episcopi et confessoris (fol. 73r-75v).

Contracta ex Vita auctore Alcuino, edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. III, part. I, p. 603-616.

25° Passio SS. quatuor Coronatorum (fol. 75v-78v).

Edita apud Mombritium, tom. I, sub hoc titulo : *Passio SS. Claudii, Nicostrati, Simphoriani, Castoris, Simplicii et Quatuor Coronatorum.*

26° Passio S. Theodori martyris (fol. 78v-80v).

Edita ibid., tom. II.

27° Sulpitii Severi de vita B. Martini liber unus (fol. 80v-87r).

Editus apud Migne, P. L., tom. XX, p. 159-176.

28° Item adhuc de eodem (fol. 87r-88r).

Epistola Supicii ad Eusebium presbyterum edita ibid., p. 175-178, (Epist. I).

29° Item adhuc sermo de eodem (fol. 88r-89r).

Epistola Sulpicii ad Aurelium diaconum edita, ibid., p. 178-180, (Epist. II).

30° Sermo qualiter sanctus Martinus de hoc mundo recesserit (fol. 89r-90r).

Epistola Sulpitii ad Bassulam, edita ibid., p. 180-184, (Epist. III).

31° [Dialogorum Severi Libri tres] (fol. 90r-106r).

Editi ibid., p. 183-222.

32° Item adhuc de Sto Martino episcopo : de ejus transitu (fol. 106r-106v).

Ex Gregorio Turonensi, *Hist. Franc.*, Lib. II, cap. XLIII (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 184-186).

33° Item sermo S. Severini de transitu S. Martini (fol. 106v-107r).

Ex Gregorio Turonensi Lib. I *De miraculis S. Martini*, cap. IV (ibid., p. 918).

34° Sermo S. Ambrosii de S. Martino (fol. 107r).

Ex eodem opere S. Gregorii, cap. v (ibid., pp. 918, 919).

35° Item qualiter corpus ejus translatum est (fol. 107r-107v).

Ex eodem S. Gregorii opere, cap. vi, (ibid., pp. 919, 920).

36° Adhuc de S. Martino (fol. 107v).

Vide supra p. 316, 16°.

37° Passio S. Mennæ martyris (fol. 107v-109r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

38° Vita S. Chuniberti Coloniensis episcopi (fol. 109r-110v).

Edita in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, Part. I, tom. II, p. 244, 245. In cod. inc.: *Temporibus Dagoberti regis Francorum fuit quidam adolescens nobilis Chunibertus nomine...* — Secundum lectionem cod. translatum est corpus sancti episcopis in æde S. Clementis *XVIII Kl. decembris.*

39° Vita S. Livini martyris (fol. 110v-116v).

Vita auctore Bonifacio edita apud Migne, P. L., tom. LXXIX, pp. 871-888. Sed omm. *Jam gaudeamus-sanctorum coæqualem* et paulo inferius *Et ut sibi mundum-tenacitatis implicaretur* (p. 877), itemque *Beatus vero Livinus-herbarum vernantem* (p. 878). Pro *Quis hujus viri præconia tacet* (p. 880 sub fin.) usque ad : *tamquam os abhorruit flammivomi draconis.* (p. 882 initio), in cod. : *Pro his autem omnibus animus ejus in elationis jactantiam non est subrectus, quia non meritis suis sed clementiæ Altissimi, qui per servos suo talia operatur, attribuit.*

40° Vita beati Brictii episcopi et confessoris (fol. 116v-117r).

Edita apud Surium ad d. 13 Nov.

41° Vita Stæ Elyzabeth viduæ (fol. 117r-121v).

Capitula quædam, eaque mutila, desumpta ex Vita auctore fratre Cæsario in Valle S. Petri sacerdote et monacho, et dicata Ulrico priori domus Teutonicæ in Marburg.

42° Passio Stæ Ceciliæ virginis (fol. 121v-128r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

43° Vita ac virtutes felicissimi patris sancti Trudonis presbyteri (fol. 128r-137v).

Vita auctore Donato diacono edita in *Act. SS. Belgii*, tom. V, p. 23-47. Post voces *in pace dimiserunt* (tom. cit., p. 36, lin. 7) add. in cod.:

Igitur postquam venerabilis Trudo sacrarum litterarum studiis a sancto Glodulpho, Metensi episcopo, erat imbutus et sic ab eodem in sacerdotem ordinatus, disposuit ad propria remeare, et valedictis omnibus arripuit iter. Cum autem

approximaret Seny, villæ scilicet cujusdam nobilis sed nimium leprosi, adeo ut vi lepræ visu privatus, multoque tempore hanc passus et frustra plurimis in medicos expensis, magis ac magis dolore torqueretur, pius Deus merita beati viri volens manifesta fieri, ac nobilis prædicti misertus languori, in somnis ostendit eum debere sanari, si mereretur liniri aqua ablutionis juvenis, qui jam villæ appropians manus proprias esset abluturus. Mane facto consolatus insinuavit suis visionem ac aditus itinerum observari præcepit : ut talis hospitis visitatione gaudere mereretur. Post modicum vero sanctum Dei, cujus meritum Dei gratia prodiderat, cernentes eminus observatores, intellexerunt hunc esse quem leprosus prædixerat. Qui mox ecclesiam, ut erat solitus, ingressus, post factam orationem egrediens, ad hospitium nobilis ab his observatoribus inducitur. Ob cujus ingressum ille nimium exhilaratus indicavit ei quæ sibi divinitus erant revelata, et ut remedium sanitatis sibi conferre dignaretur precatur. Quo audito sanctus obstupescens indignum se ad talia fatetur; sed ægro a precatu non desistente, sanctus vir Dei misertus, ut fructum languidi fides caperet sanitatis ab Omnipotente impetravit; statimque lotis manibus, ubi de ablutionis suæ aqua linivit ejus oculos et corpus, cæcus lucidius quam prius vidit, et corpore totus sospitatus gratias egit Deo et sancto ejus Trudoni. Qui ne pro tanto munere ingratus videretur, prædictam villam, Seny nomine, in qua degebat, sancto Trudoni hereditarie tradidit; usque in hodiernum diem juri monasterii S. Trudonis subest. Porro frater viri hujus nobilis non assentiens traditioni, corripiens fratrem vendicat sibi villam; sed citius correptus a Domino et corpore debilitatus, atque membris contractus, mox mittens qui revocaret sanctum Dei, veniam precatur et sic sancti precibus sanitati reparatur. Qui statim, prout frater, sic suam villam sancto viro conferre volebat. Sed vir Dei renuens voluit ut daretur sanctæ Metensi ecclesiæ, cujus juri subjecta usque in præsens, ab eadem possidetur.

Deinde post *ut diximus tertio* (ibid., p. 42 lin. 3), add. in margine inferiore hæc glossa : *Propter interpositum ab antiquo tempore nemus spatiosum; sed nunc grata campestris planities dimidio tantum miliario illuc usque perducit.*

44° Adhuc de miraculis sancti Trudonis (fol. 137v-150r).

Tractatus auctore Stipelino monacho editus apud Mabillon, *Acta SS. O. S. B.*, sec. VI, part. II, p. 86-102.

45° Passio S. Clementis martyris eodem die (fol. 150r-152v).

Edita apud Mombritium, tom. I. Sed clausula Passionis et prologus in miracula omm. in cod.

46° Passio S. Longini martyris (fol. 152v-154r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Martii, tom. II, p. 384-386. Num. 5 scriptus est in cod. juxta annot. *g;* num. 10, pro *idibus Martii*, in cod. *X Kal. Decembris.*

47° Passio S. Chrisogoni (fol. 154r-161r).

In fine : *Explicit Passio SS. Chrisogoni, Agape, Herene, Theodote cum tribus filiis suis et S. Anastasiæ.*

Hujus Passionis prior pars edita est apud Mombritium, tomo I, sub hoc titulo : *Passio SS. Chrysogoni, Anastasiæ, Agapes, Chrysogoniæ, Irenes et Theodotæ;* posterior in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florileg. p. 179-184, sub titulo : *Passio S. Anastasiæ et sociorum martyrum.*

48° Passio Stæ Katerinæ (fol. 161r-172r).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ ex Cod. Salm.*, p. 729 sqq.

49° Passio S. Saturnini episcopi et martyris (fol. 172r).

Caput XXVIII lib. I *Historiæ Francorum*, auctore Gregorio Turonensi. (Migne, P. L., tom. LXXI, pp. 175, 176).

50° Passio SS. martyrum Saturnini, Sennis et Sisinnii (fol. 172r-172v).

Contracta ex iis quæ referuntur in Passione S. Marcelli edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., tom. II, pp. 6, 7, num. 4-8.

51° Vita de S. Chrysantio martyre et de Sta Daria (fol. 172v-177r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 469-484.

52° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 177r-179v).

Edita apud Surium ad d. 30 Novemb.

53° Vita Eligii episcopi (fol. 179v-198r).

Vita auctore beato Audoeno edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 479 sqq. In cod. multa sunt omm.

54° Passio beatæ Barbaræ (fol. 198r-199v).

Edita apud Zaccaria, *Dissertationes Latinæ* (Fulginiæ 1781), tom. I, p. 137-142. Multæ sunt variantes lectiones.

55° Vita S. Nycholai (fol. 199v-210v).

Vita auctore B. Methodio in latinum a Johanne diacono translata, edita apud Carminium Falconium, *S. Nicolai Acta primigenia*, p. 112 sqq. Num. V, *Tandem aliquantisper sciscitandus est-stabili jungere possis* om.; num. VI, *O virum omni imbutum-valerent atterrere fructum* om.; item *Sed nos nonnulla-indagare eligimus* et *Felix felicem-oblectatione sua projecit;* num. VII, *Mira prorsus mira-libenter amplectatur* om.; num. VIII, *In suscipiendis-in corripiendo* om.; itemque *Rapinam-violentos;* num. IX, *His aliisque talibus instructi-discesserunt* om.; num. X, *Quodam itaque tempore-apud regium exactorem* om.; num. XII conceptus est secundum lectionem editam apud Mombritium, tom. II, p. 8, col. 1, lin. 7 a fine *(Armata itaque juventute...)* usque ad p. 12, col. 2, lin. 8 *(... aucti benedictione remearunt ad propria).* Continuo subsequitur num. XIV (p. 126) usque ad : *liquor stillare more solito cœpit;* deinde num. XIV (p. 122); num. XV ultima phrasis om. Post num. XIX sequun-

tur miracula edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151-156, præter ultimam phrasim *Ejus itaque* (lin. 8); dein numm. XXI ac XXII cum clausula edita p. 126, num. XV *Lætemur ergo...*

56° Passio beatæ Luciæ virginis et martyris (fol. 210v-211v).

Edita apud Beaugrand, *Sainte Lucie vierge et martyre de Syracuse* (Paris 1882), p. LXI-LXIV.

57° Passio beati Nicasii (fol. 211v-214v).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 609-613; tom. II, pp. 156, 157. Sed post num. 2 (tom. I, p. 610), in cod. add. :

Nam quia excidium illud humani generis primum a quieta paradisi deliciarum dignitate prothoplasti statum sua cum mortali successione hac in erumnosa dejectione repulit; antiquus ille inimicus truculenta semper intentione sævire non desistit, sed magis magisque perpetuæ damnationis avidus, sibi socios inseparabiles creans, arma semper iniquitatis acuens, invidus universæ bonitatis, furores suos diversis perditionum studiis peritus adhuc incessanter exercet, sicut semper ab initio veris a christicolis provocatus exercuit; eo quod non est illi damnationis plena satisfactio, ubi non inesse poterit ullius salutis certa recuperatio. Quapropter et quosdam aliquando dum irrecuperabiliter per adversa præcipitare nequit, carnalibus oblectamentis et vana prosperitate perituris desideriis decipit, quoadusque noxiis delibuti blanditiis propriis delectationibus seducti et irretiti pereant; qui iram indignationis atque perpetuæ damnationis obcæcati diabolicis inspirationibus non considerant. Æternorum vero suppliciorum providos suaque sodalitate alienos durissimis pœnarum generibus afficit, quatinus atrocissimis afflictos tormentis a veritate, quæ est in Christo Jesu, violenter præcidere vel extinguere valeat, ut vel intolerabilibus tentationum cruciatibus deficiant, qui perniciosa prosperitate ei succumbere in omnibus recusant. Deliniendo ergo suadens et concutiendo extorquens, interius exteriusque totam sibi vendicare fragilitatis humanæ sortem præsumit, qui divinam contra majestatem supercilium erigens totam præsentis mundi gloriam periturus invasit.

Igitur duplici hac internecione mortiferos satellites habens, ad expugnandam reparationis æternæ gratiam, quæ per ecclesiasticam dispensationem in misericordia uberi ex redemptione Salvatoris mundi mortalibus porrigitur, indesinenter geminam acuere malignantium aciem ubique decertat, et inevitabilia pericula aliquoties per incertos vel infestos inimicos, aliquoties per falsos amicos suscitat. Et quia jam nutu Dei cunctipotentis quasi certa inimicorum conamina mitigata ex unitate sanctæ suæ Ecclesiæ videntur, periculis tamen semper in falsis fratribus reservatis, impedire iter illud nititur quod ex remissione peccatorum ad vitam conceditur, quatinus ad cœlestis hereditatis gloriam libere nunquam perveniatur. A principio ergo, sacra testante Scriptura, sicut persequitur spiritualis illum qui secundum carnem natus est, ita et nunc carnalis intentio infestare spiritualem nunquam cessat devotionem. Resistit autem spiritualis intentio carnalibus desi-

deriis expeditissimo studio, eo quod iste ardenter desiderat, ille contemnens respuendo conculcat. Unde et sacra auctoritas denuntiat: *Quænam pars est luci ad tenebras, aut quæ conventio Christi ad Belial?*

A passione igitur et resurrectione Domini nostri Jesu Christi, salvatoris mundi, distinctio hæc evidentius patefacta in omnibus declaratur: dum sectatores veritatis, renuntiatores atque contemptores perituri mundi esse volens, publicis exemplis edocuit. Propter quod et contra rempublicam idolatriis deceptam et vanæ gloriæ sectatricem sequaces Christi sanctissimi per universum orbem apostoli debellantes antiqui hostis fallacias et serpentinas mortis insidias, persecutiones a prædictis satellitibus satanæ, id est vane mundi amatoribus, perpessi, triumphalem martyrii gloriam meruerunt, suisque invictissimis exemplis filios sanctæ Dei Ecclesiæ et heredes regni cælorum roborantes, dignitatem perituri seculi ad gloriam divini cultus et ecclesiasticam transtulerunt utilitatem. Ibi etiam, ut prædictum est, insidiosis artibus callidus serpens ille, qui et paradisum mortalibus intercepit, a regno cælorum seducere diversis machinationibus incessanter satagit et modo fremens ut leo circuit, quærens quem devoret, modo serpentinis inspirationibus demulcet, quærens hinc inde superando in actum quem damnabiliter præcipitet.

Fuit ergo frons leonis sæviens temporibus paganorum, Cæsarum et persecutorum apostolorum usque ad Constantinum Cæsarem sacro baptismate renatum. Milleformis vero anguis hæretica pravitate effectus, sanctitatis integritatem odio commaculans et sic *(tom. cit., p. 610, lin. 42)*... diaboli *(p. 611, lin. 9)* quia semper salutis hostem non dubium est noxiam esse securitatem, jocundari et epulari, propriis delectationibus frui, hæc gallica cœpit... avocarent *(lin. 29)*. Sed pro dolor, sicut scriptum est, impius cum in profundum peccatorum venerit contemnit. Propter quod tradidit eos Deus in desideriis cordis sui ut faciant ea quæ non conveniunt et thezaurizent sibi viam in die iræ et revelationis justi judicii Dei; instantes tamen continuis studiis *(lin. 29)*... subvertendam divinam impetravit clementiam quatinus pro reatibus suis tribulatio mortis non ad judicium sed ad indulgentiam persistentibus in vera fidei confessione esset profutura et dixit eis: Pugnare *(p. 612, lin. 4)*... corporibus *(tom. II, p. 156, lin. 41)*. Tamen ubique spiritu hinc inde mentes fidelium corroborant inviolabili perpetuitatis benedictione, ita ut eorum meritis et precibus multitudo languentium debilesque recuperationis recipiant salutem et eorum exemplis ad cælestem properare discant aulam, ubi immutabuntur omnes imitatores ipsorum angelica vel immortali gloria, et fulgebunt sicut sol in conspectu patris eorum; quia scriptum est: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sanctissimus vero Anianus *(p. 157, lin. 1)*...

57° Passio beati Ignatii martyris (fol. 214v-218r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Febr., tom. I, p. 29-33; num. 20 om.

58° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 218r-223r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

59° De conceptione beatæ Mariæ virginis (fol. 223r-224r).

Incipit : *Anselmus Canthuariensis, archiepiscopus et pastor Anglorum, coepiscopis suis salutem et perpetuam in Domino benedictionem...* Vide Migne, P. L., tom. CLIX, p. 319-324. In cod. om. *Rursum hæc solemnitas...* (p. 320 med.) usque ad *conceptionem celebret annuatim* (p. 321 ad fin.)

60° Vita S. Landoaldi sociorumque ejus (fol. 224r-229r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Martii, tom. III, p. 35-41. Cod. desinit : *per sanctorum merita immensas retulit* (num. 9 ad fin.).

62° Passio Stæ Barbaræ virginis et martyris (fol. 229r-230v).

Edita apud Zaccaria, tom. cit. Passioni subnexa est, sub inscriptione : *Vacat illud quod sequitur in ista columpna*, fragmentum ex vita S. Nicolai episcopi.

63° De Sta Anastasia (fol. 233r-233v).

Editum in *Leg. Aur.*, p. 47-49. Sed nihil de nominis etymologia.

64° De S. Stephano prothomartyre (fol. 233v-235v).

Edita ibid., p. 49-56.

65° De miraculo sanguinis S. Stephani quod accidit in monasterio Sancti Trudonis (fol. 235v-236v).

Cum magnam beato protomartyri Stephano reverentiam debeat locus iste ex facta singulari beato Stephano a sancto Trudone traditione, debet ei non minorem meritis ejus mirabiliter ditatus pretioso reliquiarum ejus munere, ejus scilicet sanguine. Ejus enim tantum meritis credimus nobis pretiosum reliquiarum ejus indultum thesaurum. Cujus ad nos adventum sicut diverse audivi narrari, subnectere curavi. Audivi enim quod domnus Adelardus senior, loci nostri abbas, familiam ecclesiæ nostræ viscerabiliter dicitur dilexisse. Unde et usque in hodierna die de eo a plerisque solet tale quid memoriale referri.

Cum ex sterilitate terræ, aiunt, fames aliquando ejus tempore accidisset, concurrebat ad elemosinam fratrum omnis sexus et ætas importune et miserabiliter. Quorum aliquibus interdum ad se vocatis quærere dicebatur jolculariter : *Cujus servus, tu ille? Tu ve illa, cujus ancilla es?* Respondentibus verbi gratia : *Sancti Lamberti* aut *sancti Petri* sive *sancti Servatii* sive *sancti Remacli*, postremo cujuslibet sancti, aiebat : *Quid igitur tibi et familiæ Trudonis? Pascat te tuus dominus, cujus tu es servus.* Qui sancti Trudonis se esse profitebatur, paterne ab eo audiebat : *Pascet te ergo hodie sanctus Trudo dominus noster ; conservus enim noster es.*

Quorumdam fratrum suorum inquietatione Theodericus Metensis episcopus in eum adeo commotus extitit, quod eum aliquamdiu quasi exulem abductum Mettis teneret et per præpositos interim res nostras curaret. Sed episcopo Leodiensi, cujus diocesis erat, jus suum in illo defendente, tandem honorifice reversus est.

Hic etiam cum valde beatum Stephanum diligeret et in suis orationibus frequentaret, pro acquirendis reliquiis ejus Mettensem Mettis adierat ipsum Theodericum

episcopum : episcopatus enim Mettensis sedis in honore ejus est. Cui cum episcopus dixisset præter os unum nil apud se reliquiarum ejus haberi, et de hoc se nec posse nec audere propter scandalum ei impertiri, respondit : *Et quid si meritis ejus aliquid de ipso osse divina mihi indulserit clementia? Spero in Deo, dummodo mihi acquiescatis, quod meo non privabor desiderio. Os tamen jubete deferri, et rem Deo committite et sancto martyri.* Quid plura? Tandem difficile persuasum est episcopo : allatum est os et leniter fleotomo percussum. De quo continuo sanguis exivit qui in vase ad hoc præparato exceptus, abbati nostro est datus. Aliis referentibus audivi quod de prædicto osse cum in dubium venisset, utrum de corpore ejus esset, ad explorandam rei veritatem communi consilio rem prædictam gestam fuisse et continuo post ictum fleotomi sanguinem quem habemus fluxisse. Sed quacumque ex causa id evenerit, profecto mirabile omnino fuit, quod de osse contra naturam sanguis effluxit. Et ne quis forte suspicetur non esse, quid post inde contigerit audiat et fluvidum manere hodieque cognoscat.

Vir quidam nobilis et castellanus cum de alto cecidisset et crurum debilitatem incurrisset, compunctus corde et collato ecclesiæ nostræ allodio quodam, quod adhuc habemus, ad conversionem venerat; et factus monachus tanto ardentius omnium bonorum operum studiis invigilabat, quanto gravius in seculo se deliquisse recolebat. Qui dum solito sibi more quadam nocte in monasterio ante matutinos pernoctaret, contigit ut prostrato in orationem super gradus sanctuarii somnus irreperet. Et soporatus albatos quosdam puerulos, specie et pulchritudine omnem superantes decorem, circa altare decurrentes vidit, sed tam miserabiliter flendo crines capitis vellendo, pectora tundendo se habentes, ut omnem humanum affectum, quantumcumque durum, pulchritudo eorum planctu dejecta in fletu resolvere posset. Unde et ipse motus, blande tamquam solamen præstiturus eos compellat et primo qui sint interrogat. At illi : *Innocentes,* aiunt, *sumus.* Et ille : *Quidnam omnino causæ potest esse, quod cum tanta plangitis amaritudine? Quia sanguis,* aiunt, *domini nostri effunditur sancti Stephani.* Post quam vocem ille protinus evigilavit, et certus vera se vidisse ad dormitorium properat et excitatum somno priorem evocat et facta oratione, accepta loquendi licentia, quid viderit narrat. Quibus ille auditis, cum eodem ad cellam pergit abbatis et excitato rem pandit. Abbas autem domnus Guntramnus erat. Ille autem matutinos pulsari et sub celeritate jubet decantari. Et ipse interim fabrum aurificem peritum jubet accersiri. Post matutinos, fratres vocat, rem narrat. Illi tremefacti Deum super hoc humilitate placare studuerunt, et facta omnes a majori usque ad minorem confessione, et accepta disciplina ad loculum aperiendum accesserunt. Faber aurifex præsto erat, ad quem causam referentes, ut in quantum cautius posset accederet, monuerunt. Apertus est tandem loculus cum summa cautela, et inventus est sanguis ipse adhuc fluvidus, in calice vitreo, sed inclinato ipso calice, adeo effusioni proximus esse, ut non plus quam junci vel festucæ potest esse grossitudo de ore calicis, qua retinebatur, restaret. Quo summa cautela erecto abbas *Te Deum laudamus* lætabundus incepit et chorus ad confitendum Domino in voce exsultationis et confessionis se subjungit. Hinc faber accedit, et ferramentis firmiter

omnino stabilit. Et quasi hoc parum esset, quædam alia apponuntur quibus adeo firmiter stabilitur, ut ulterius tale aliquid non timeatur, dummodo debita reverentia diligenter tractetur.

66° De S. Joanne evangelista (fol. 236v-238v).

Editum in *Leg. Aurea*, p. 56-62. Sed in cod. nihil de etymologia.

67° De Innocentibus (fol. 238v-239v).

Editum ibid., p. 62-66.

68° De S. Thoma Cantuariensi archiepiscopo (fol. 239v-240v).

Editum ibid., p. 66-69. Sed nil de etymologia.

69° Vita S. Sylvestri papæ (fol. 240v-241v).

Fragmentum Vitæ editæ apud Mombritium, tom. II.

70° Miraculum de S. Silvestro (fol. 241v-242r).

Narratio de victoria quam beatus papa, Deo juvante, de dracone immanissimo retulit. Vid. Mombritium, ibid., ad finem Vitæ.

71° Item de Sto Silvestro (fol. 242r-249r).

Altera pars lib. I Vitæ editæ apud Mombritium, tom. II; itemque lib. II, qui est de disputatione beati pontificis cum magistris Judæorum. In cod. iste liber valde contractus est.

72° Vita Stæ Genofevæ virginis (fol. 249r-253r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Jan., tom. I, p. 143-147. — Inde (fol. 243r-254v) descriptæ sunt legendæ SS. Pauli, Hylarii, Felicis desumptæ ex *Leg. Aur.*

73° Vita S. Mauri abbatis, discipuli S. Benedicti (fol. 254v-266r).

Vita auctore Fausto edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039-1050. — Inde (fol. 266r-271r) iterum ex *Leg. Aur.*, legendæ SS. Marcelli, Sebastiani, Fabiani, Agnetis, Vincentii, ac de conversione S. Pauli.

74° Vita Stæ Brigidæ virginis (fol. 271r-272r).

Breve compendium Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 118 sqq.

IX. Codex signatus n° 84.

Foliorum 293, formæ mediocris (0m,29 × 0,21), columnis binis, chartaceus partim, partim membraneus, intermixtis scilicet foliis membraneis 110, ita ut fere post terna folia chartacea, subinde etiam post quaterna, aut etiam post singula, bina vel octona, inserta sint bina membranea; exaratus seculo XV. Litteræ initiales minio designatæ, et sobrie, sed haud ineleganter ornatæ.

Originis suæ hæc servat indicia. Fol. 1 scripta sunt sequentia : *Conventus Cruci-*

ferorum Huensium, et iterum in membrana tegumento agglutinata ad calcem codicis : *Liber conventus Fratrum sanctæ Crucis Huyensis, Leodiensis diocesis.*

1° Vita S. Anthonii abbatis et heremitæ (fol. 142r-170r) [216].

Vita auctore sancto Athanasio edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, p. 120-141.

2° Vita S. Bernardi Clarævallensis primi abbatis (fol. 200r-258r) [177].

Edita ibid., ad d. 20 Aug., tom. IV, p. 256 sqq. Hæc notanda videntur :

Secundum lectionem codicis, sanctus *Castellioni* Burgundiæ oppido oriundus fuit. Num. 8 scriptus est ut in cod. Bruxellensi 1079 (*Catal. codd. hag. Brux.*, part. I, tom. 1, p. 285); num. 14, pro *cum ab his interrogaretur quibus celare non poterat,* in cod. *nobis;* num. 19 ut in Brux. 1079; num. 26 ut in Brux. 428 (ibid., p. 235); num. 82 inde a *Audito tantorum virorum* om.; num 83 om.; num. 185 ultima phrasis om.

Pro ultima parte num. 256 scilicet ab istis verbis : *Sed nostrum sub tam gravi,* usque ad fin. num. 257 ita cod. :

Sed et mœstos ei inter hæc animos aliquatenus æstimare ac sibimet exhibere licebit et vultus exsangues, singultus graves, crebra suspiria, anxias cogitationes, nimirum cum thesaurus tantus et tam amabilis adhuc nobis esset in manibus, nec tamen esset spes diutius nobis retinendi seu facultas pariter commeandi. Nec lugendum nobis super illum qui in gaudium Domini sui feliciter invitatus intrabat; sed super nos utique, quibus erat jam vita tædio et mors adhuc timori. Jam enim tibi, serve fidelis et bone, bonum illud euge dicebatur a bono Domino; sed nostra gravis in hac separatione conditio, post mirificam lucem horrere magis tenebras subintrantes, post aurea secula gravius ferre ferreum quod successit.

Num. 258 inde a *Nam et solitus erat* om.; num. 259 sub fin., hæc phrasis : *Nam et usque modo-anxie doleant sibi* om.; num. 260, pro clausula nomini *Ludovici* postposita, cod. *anno gratiæ millesimo centesimo quinquagesimo tertio ;* num. 271-275 om. Tunc add. (fol. 257r-258r) miraculum de mortuo a S. Bernardo suscitato Friburgi in partibus Brisgaudiæ (vid. *Exordia sacri ordinis Cisterciensis*, Rexhemii 1871, lib. II, cap. XIX, p. 118-120); ac eodem folio scripta sunt capitula aliqua quæ nullomodo ad S. Bernardum spectant, scilicet de quodam converso inobediente ac de quodam monacho defunctis debita negligenter persolvente. Tandem sub hoc titulo : *Numerus miraculorum beati Bernardi,* add. seq. :

Beatus Bernardus sexaginta claudis gressum reddidit, cæcis quinquaginta lumen, surdis viginti octo auditum, et paralyticis tredecim et mancis tredecim sanitatem; dæmoniacos decem liberavit, mortuum unum suscitavit. Exceptis aliis miraculis innumeris quæ Dominus per eum fecit, ut de pane ab eo benedicto, per quem et homines et bruta animalia sanabantur, et de ejus prophetia. Deo patri luminum gratiarum actio ex hoc nunc et in perpetuum.

3° Opus ejusdem *(scilicet S. Bernardi)* de vita venerabilis sancti Malachiæ episcopi Hibernensis : quorum eadem ecclesia humata tenet veneranda corpora (fol. 258r-279r).

Editum apud Migne, P. L., tom. CLXXXII, p. 1073-1118.

4° Epytaphium S. Bernardi (fol. 293v).

Mira loquar sed digna fide. Bernarde, quid hoc est?
Vivis adhuc? — Vivo. — Non es tu mortuus? — Immo. —
Et quid agis? — Requiesco. — Taces an faris? — Utrumque. —
Cur taces? — Quia dormio. — Cur loqueris? — Quia vivo. —
Quid loqueris? — Sacra mystica. — Cui? — Mea scripta legenti. —
Num cunctis? — Non. — Ergo quibus? — Qui dulcia quærunt. —
Nomen habes? — Ita. — Quod? — Bernardus. — Num sine causa? —
Non. — Dic ergo, quid hoc est Bernardus? — Bona nardus. —
Cur nardus? — Quia fragro. — Quo in fragmine? — Dulci. —
Cui fragras, et ubi? — Studioso, codice sacro. —
Quod tibi cognomen? — De Clara Valle. — Manes hic? —
Mansi, sed modo non. — Ubi nunc? — In vertice montis. —
Qualis eras in valle manens? — Humilis. — Modo quantus? —
Tanto nunc major quo tunc minor ipse videbar. —
Nil tui * vallis habet? — Etiam. — Quid? — Ossa. — Quousque? — * *cod.* tis
Donec celeste fiat terrestre cadaver.
Lactis virginei ros infusus faciei
Bernardi dat ei lactea verba Dei.
Doctor mellifluus Bernardus dicitur esse.

X. Codex signatus n° 99 [422].

Membraneus foliorum 118, præter unum insiticium in capite, formæ mediæ (0m,27 × 0,193), lineis plenis graphio deductis exaratus seculo XIV. Tituli rubricati; litteræ initiales rubro vel cæruleo colore designatæ, nonnullæ etiam arte ornatæ. Plurima in marginibus adscripsit manus seculi XV. Fol. 1r inscripta est seculo XVII nota : *Conventus Cruciferorum Hui*, et fol. 118v : *Liber conventus fratrum sanctæ Crucis Huyensis Leodiensis diocesis.*

Vita sub compendio sancti Johannis abbatis sancti montis Synay, dicti Scalascici, qui scripsit has spirituales superiores tabulas videlicet sanctam scalam, edita a Daniele humili monacho Raychii (fol. 115v-118v).

Vita eadem quæ reperitur in cod. signato num. 1; vide supra p. 313.

XI. Codex signatus n° 115.

Codex iste ex duobus valde diversis in unum compactis constat : altero membraneo, quo continentur sermones et opuscula quædam S. Augustini, quique proinde ad rem nostram non pertinet; chartaceo altero (nonnullis membranis intermixto inde a fol. 268) foliorum 62 (secundum recentiorem notationem fol. 232-293), formæ mediocris ($0^m,29 \times 0,21$), columnis binis, exarato seculo XV, ornamentis nullis, nisi quod litteræ initiales minio designatæ sunt. Fuit olim Fratrum sanctæ Crucis; etenim hæc scripta sunt in membrana tegumento agglutinata initio codicis : *Hic liber pertinet Fratribus S. Crucis in Leodio.*

1° Gesta beati Johannis Evangelistæ post ascensionem Domini usque ad dormitionem ipsius (fol. 232r-265v) [201].

Versio latina operis inscripti Πράξεις τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ θεολόγου, συγγράφοντος τοῦ αὐτοῦ μαθητοῦ Προχόρου, editi a Theodoro Zahn (Erlangen 1880). Versio latina edita est in *Sacra bibliotheca sanctorum Patrum,* tom. II, col. 185-230 (Par. 1575), inde in *Historia christiana veterum Patrum* auctore La Bigne, fol. 1 sqq. (Par. 1583) ac tandem in *Maxima Bibliotheca Patrum,* tom. II, p. 46-67 (Lugd. 1657). Vid. Zahn, tom. cit., pp. VI, VII. Codex non pauca habet quæ in editione Lugdunensi desiderantur. De opere Prochori cfr. Lipsius, *Die apocryphen Apostelgeschichten,* etc., tom. I, p. 355 sqq.

2° Vita S. Antonii (fol. 268r-292r) [215].

Vita auctore sancto Athanasio, cum Evragrii præfatione, edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, p. 120-141.

3° [Vita S. Hieronymi] (fol. 292r-293r).

Fragmentum Vitæ editæ apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 201 sqq. Cod. desinit : *Cumque aliquantis peractis morando diebus cognovisset quod absque...* (cfr. ibid., p. 203, annot. *b).*

XII. Codex signatus n° 134.

Foliorum 220, formæ mediocris ($0^m,275 \times 0,21$). Cetera omnino similis codici 84. Fol. insiticio inscripta est hæc nota : *Iste liber pertinet conventui Fratrum sanctæ Crucis de Claro loco in suburbio Hoyensi;* fol. 1 manu recentiori : *Conventus Cruciferorum Hui.*

1° Epistola beati Dyonisii Arriopagitæ ad Thymotheum

discipulum beati Pauli de passione apostolorum Petri et Pauli (fol. 76-79ᵛ) [52].

Vid. supra, p. 322, 5°.

2° [Hymnus in honorem S. Bernardi]. Ad honorem beatæ Mariæ virginis et beati Bernardi sui devoti cappellani, qui infra octavas assumptionis beatæ Mariæ assumptus fuit ex hoc mundo, compositus est hymnus iste (fol. 198ᵛ-199ʳ) [174].

Jam regina discubuit,
Sedens post unigenitum;
Nardus odorem protulit
Bernardus tradens spiritum.

Dulcis reginæ gustui
Fructus sui suavitas;
Dulcis ejus olfactui
Nardi Bernardi sanctitas.

Cum esset in accubitu,
Fructus saporis intulit;
Cum esset in occubitu,
Nardus odorem obtulit.

Ille dulcis accubitus
Propter saporem gloriæ;
Iste dulcis occubitus
Propter odorem gratiæ.

Venit sponsa de Libano
Coronanda divinitus,
Ut Bernardus de clibano
Veniret sancti Spiritus.

Quæ est ista progrediens
Sicut aurora rutilans?
Quis est iste transiliens
Colles sanctis conjubilans?

Hæc gloria terribilis
Ut castrorum acies;
Hæc gloria mirabilis
Ut Assueri facies.

Ora pro nobis Dominum,
Prædulcis fumi virgula,
Inclina patrem luminum,
Pastor ardens ut facula.

3° Item alius hymnus de sancto Bernardo tantum (fol. 199ʳ).

Bernardus doctor inclitus,
Cælos conscendit hodie;
Quem attraxit divinitus
Splendor paternæ gloriæ.

Exultet cælum laudibus
De Bernardi consortio,
Quem conjungis cœlestibus,
Jesu nostra redemptio.

Rufum dorso per catulum
Præfigurasti puerum
Fore doctorem sedulum,
Conditor alme syderum.

Nascentis ei claruit
Clara Christi nativitas;
Hoc donum a te habuit,
O lux, beata Trinitas.

Archana sacræ paginæ
Declarat, et mysterium
Quod effecit in virgine
Deus creator omnium.

Rore perfusum gratiæ
Monstrat dulcor eloquii.
Per te, fons sapientiæ,
Summi largitor præmii,

Detentos a dæmonibus,
Sanat, morbos languentium
Curat, confert dolentibus
Magnum salutis gaudium.

Vita vivit feliciter
Cum Maria Christifera,
Cum qua degustat dulciter
Æterna Christi munera.

Summe Deus potentiæ,
Tibi sit laus et gloria;
Da post cursum miseriæ
Beata nobis gaudia. Amen.

Ora pro nobis, beate pater Bernarde. — Ut etc.

Oremus. Perfice, quæsumus, Domine, in nobis pium sanctæ religionis effectum, et ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem beatus Bernardus abbas et doctor egregius suis apud te perpetuo pro nobis meritis et precibus intercedat. Per Christum Dominum nostrum.

Christi mellifluus ardens in matris amorem
Utque preces fundit Bernardus nardus odorem.

XIII. Codex signatus n° 135.

Partim membraneus, partim chartaceus, ita scilicet ut in priori parte (fol. 1-114) post quaterna folia chartacea inserta sint bina membranea, altera vero pars (a fol. 115) vix ulla membranea habeat; foliorum 250, formæ mediocris (0^m,285 × 0,20), columnis binis, exaratus diversis manibus sec. XV. Tituli et litteræ initiales minio designata.

Fol. 1ª recto (post folium numero non notatum, ubi exhibetur index contentorum in codice) legitur hæc nota manu seculi XVII : *Conventus Cruciferorum Huy;* et rursus fol. 171r manu sec. XVI : *Liber conventus Fratrum sanctæ Crucis Huiensis Leod. dioc.* Ac fol. 147r : *Explicit vita sanctæ Helenæ christianissimæ reginæ matris Constantini imperatoris, necnon translatio ejusdem, cum quibusdam miraculis, scripta per manus fratris Wolteri de Novimagio anno Domini M°CCCC°LXVII°. Oretis propter* (sic) *Deum pro eo.*

1° [Vita venerabilis Elizabeth Spalbecana monialis in Erkenrode] (fol. 119r-130v) [220].

Edita ope huj. cod. in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, part. I, tom. I, p. 362 sqq.

2° Historia de translatione beatæ virginis et martyris Odiliæ (fol. 131r-134r) [236].

Edita in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 20-28.

3° Vita Stæ Helenæ reginæ matris Constantini magni

imperatoris, cujus transitus celebratur xv Kl. Septembris (fol. 134r-140v) [226].

Vita de qua in *Act. SS.*, ad d. 18 Aug., tom. III, p. 579, num. 137.

4° vii idus Februarii, adventus Stæ Helenæ a Romana urbe in hanc Remanam provinciam, et ipso die translatio ejus (fol. 140v-142r).

Narratio auctore Almanno edita ibid., p. 601-603, num. 10-16; num. 16 annexa est in cod. ultima pars num. 19 *(Postquam Deus corpore...)* ac prior num. 20, scilicet usque ad : *venerationem ipsi attribuit.*

5° Egregia Christi miracula quæ mirifice ostendit Deus per suffragia Stæ Helenæ christianissimæ reginæ (fol. 142r-147r).

Edita ibid., p. 612 et sqq., num. 53-73. In cod. nonnullæ lectiones variantes; numm. 71, 72 omm., cum ultima parte num. 73, scilicet inde a verbis *Carolus autem imperator.*

6° Vita Stæ Mariæ gratiosæ, quam compilavit domnus Jacobus cardinalis Tusculanensis episcopus (fol. 171r-207r) [232].

Vita S. Mariæ Ogniacensis, edita ibid., ad d. 23 Junii, tom. IV, p. 636-666.

7° Libet nunc magnifica gloriosissimi patris et doctoris eximii laudum subjicere præconia, quæ ex plurimorum venerandorum atque præcipuorum doctorum auctoritatibus ac nonnullorum præclarissimorum virorum dictis et scriptis authenticis sunt congesta. Commendatio S. Augustini (fol. 207v-216v) [394].

Tam ex coævis quam ex posterioris ævi scriptoribus congesta hic sunt dicta scriptave in laudem præclarissimi doctoris. Simile quid leges in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 359-362, num. 715-729. His laudibus fol. 216v annectitur hæc nota : *Si cui curæ sit facere depingi vitam beati Augustini, his versibus poterit picturam ordinare, ita quod singulis versibus binis vel quaternis secundum exigentiam mensuræ et picturæ et figuræ debite secundum decentiam ordinentur. Tituli vero et notulæ prosaice de rubro poni poterunt supra picturas, alterum autem ponatur infra sive ex transverso, sicut placet.* Ac consequenter describitur hocce modo vita beati Patris (fol. 216v-218v), addita clausulæ instar serie chronologica ejusdem vitæ.

8° Sequuntur quædam additiones cujusdam canonici Cantinpratensis cœnobii de vita Mariæ de Oingnies, quas venerabilis Jacobus de Vitriaco, Tusculanus

præsul et Romanæ curiæ cardinalis, in vitam suam conscribendo prætermisit (fol. 221r-231v) [234].

Supplementum ad Vitam beatæ virginis auctore fratre Nicolao, editum in *Act. SS.*, ad d. 23 Junii, tom. IV, p. 666-676. In prologo, post verba *manus effugerunt* (sub fin.), hæc add. in cod. : *In fine quoque operis hujus libellum, quem de quadam Christina sanctissima femina cunctis petentibus scripsi, non sine causa huic operi immediate conjunxi : idcirco videlicet quod ejusdem Christinæ* (ad hanc vocem abrupta est sententia, exiguo spatio vacuo relicto).

9° Vita beatæ virginis Idæ (fol. 232r-250v) [230].

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 29 Oct., tom. XIII, p. 107-124.

XIV. Codex signatus n° 191.

Foliorum 227 præter insiticium unum in capite, binis membraneis post terna chartacea insertis; formæ mediæ (0m,293 × 0,213) binis columnis exaratus seculo XV. Tituli rubricati; litteræ initiales rubro colore pictæ; prima haud ineleganter ornata. Folio insiticio recto ineunte seculo XV apposita est nota : *Liber conventus fratrum sanctæ Crucis Leodiens.;* quæ etiam nota ejusdem folii versa parte seculo XVI post indicem contentorum addita est.

1° Vita fratrum heremitarum sancti Augustini (fol. 1r-156v) [284].

Opus fratris Jordani de Quedlinburg Saxonis, eremitæ O. S. Aug., editum Romæ anno 1587 et Leodii anno 1625. In indice contentorum titulo addidit manus seculi XVI : *quæ compilavit frater Jordanus ejusdem ordinis.*

2° De corde beati Augustini notabile (fol. 224r).

Titulum hunc refert index contentorum. Fol. 223v atramento depicta est imago S. Augustini vestibus pontificalibus induti, cor dextra gerentis et sinistra baculum tenentis. Sequitur hæc narratio :

Legitur in historia sancti Sigisberti Londoniensis archiepiscopi quod ipse beatum Augustinum in maxima devotione habens, sedule exorabat Deum ut aliquam portiunculam de reliquiis sanctissimi præsulis et egregii doctoris Augustini accipere mereretur; cumque hora prima Sigisbertus in sua capella pia ad Deum fudisset precamina, vidit in exstasi angelum Domini mirabili claritate fulgentem, ad altare procedentem receptaculum miræ pulchritudinis in manibus gestantem. Quod cum reverenter super altare posuisset, episcopo dixit : Sigisberte, dormis? At ille ait : Quis es, Domine? Cui respondit angelus : Ego sum angelus, qui beato Augustino viventi in custodia fui deputatus. Cum autem ex hoc seculo migrasset, præcipiente altissimo, sustuli et sic incorruptum servavi cor ejus; præscivit enim Dominus cui illud dare vellet, nec corrumpi voluit, quia magni Dei capax fuit, quod

tam dulciter, fideliter et subtiliter de sancta civitate sensit et docuit. Surge ergo, et munus tibi a Deo destinatum conserva, nobile depositum sanctitati tuæ creditum. His dictis Sigisbertus ad se rediens, sicut viderat, cor recens super altare in crystallo invenit; et gratias Deo de miraculo reddidit. Tandem cum populus catervatim ad tam grande spectaculum conflueret, præcepit episcopus ut pro gratiarum actione *Te Deum laudamus* inciperetur. Mira res, cum versiculum *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth* cantarent, cor in crystallo movere cœpit, et os cordis quasi ad laudandum Deum aperire, quasi diceret: O sancta Trinitas, quam libenter te dictando, scribendo, prædicando laudarem, si in corpore meo viverem! Quo viso, clerus et populus Deo laudes decantaverunt et beatum Augustinum præconiis extulerunt. Singulis quoque annis in festo sanctissimæ Trinitatis, cum missa cantatur, et cor super altare ponitur, tempore præfationis, quam Augustinus composuit, ut dicitur, mox omnibus videntibus se movere incipit hinc inde, sicut piscis in aqua. Hæc vera sunt.

XV. Codex signatus n° 200 [281].

Partim membraneus, chartaceus partim (ita scilicet ut post bina folia membranea chartacea terna ex ordine succedant), foliorum 186, præter quatuor folia indicis et quintum insiticium in capite codicis, formæ mediæ ($0^{m},29 \times 0,21$), columnis binis, exaratus seculo XV. Tituli minio scripti, itemque litteræ initiales singulorum capitum. Littera major variis coloribus depicta conspicitur initio indicis, et altera initio libri I (fol. 1r). Minori arte designatæ sunt, ornatiores tamen litteris initialibus capitum, et cæruleo ac rubro colore depictæ litteræ quibus exordiuntur singuli libri.

In capite codicis, videlicet in folio insiticio verso, eadem manu, ut videtur, quæ codicem descripsit, apposita legitur hæc nota : *Pertinet conventui fratrum sanctæ Crucis in Leodio; scriptus per manus fratris Lamberti Xantis presbyteri ibidem professi.*

Complectitur codex historiam illam Cisterciensem ordinis quæ sub titulo *Exordium magnum sacri Ordinis Cisterciensis* edita est Rixhemii anno 1871 cum prologo metrico integro; sed in eo desiderantur libri I, cap. 15-26, et prima phrasis capitis 27 *(Vir-merito beandus)*; ex libri III cap. 4, Sermo de obitu B. Humberti (Ed. p. 181) et cap. 9, Epistola S. Bernardi ad Robertum (p. 195); ac denique totus liber VII.

XVI. Codex signatus n° 227 [282].

Membraneus, foliorum nunc 139, formæ majoris ($0^{m},385 \times 0,235$), columnis binis, exaratus seculo XV. Tituli minio scripti, itemque litteræ initiales capitum. Littera major et haud ineleganter depicta conspicitur initio indicis et altera initio

libri seu distinctionis secundæ; ceteræ litteræ initiales singulorum librorum minio tantum signatæ et minori arte.

In capite folii 1 manu seculi XVII adscripta legitur hæc nota: *Conventus cruciferorum Huensium.*

Eadem continet codex, et quidem cum iisdem lacunis, quæ complectitur codex signatus n° 200; ut vix dubitari possit quin alter ex altero descriptus sit. Sed præterea ob folia excisa desunt nunc in Huensi ultimi versus prologi (qui desinit in his verbis: *Nunc igitur quisquis vult his intendere scriptis, Moribus et vita probet),* libri I caput 1 et pars 2ⁱ (usque ad *Passo vere,* ed. p. 30); deinde posterior pars capitis 5 (post verba *gestiebat unde)* et prior pars capitis 6ⁱ (post verba *loci in claustro);* denique desinit liber VI in his verbis: *districti judicis sententiam* sub finem capitis 5ⁱ (ed. p. 474, lin. 1).

XVII. Codex signatus n° 256.

Membraneus, foliorum 98, formæ minoris ($0^m,225 \times 0,165$), lineis plenis graphide ductis, exaratus diversis manibus sec. XII. Tituli minio et litteris capitalibus designati. Litteræ majores initio singulorum capitum rubro colore delineatæ. Littera R fol. 1ʳ non ineleganter ornata cauliculis et etiam littera Q fol. 1ᵛ; ceteræ nullis aut vix ullis ornamentis insignes.

Fol. 1ʳ manu seculi XVII descripta legitur hæc nota: *Liber monasterii S. Trudonis. M. 5;* et fol. 74ᵛ, manu seculi XVI: *Liber monasterii sancti Trudonis Leodiensis diocesis.*

1° Passio SS. Nigasii archiepiscopi, Quirini presbyteri, Scuviculi archidiaconi (fol. 75ʳ-80ʳ) [238].

Eadem de qua in *Anal. Boll.,* tom. I, p. 492, 45°. In cod. post *venerunt* (ibid., p. 629, lin. 18) add. in *pagum Vilcassinum.*

2° De adventu corporis S. Quirini martyris apud Malmundarium (fol. 80ʳ-82ᵛ).

Edit. in *Act. SS.,* ad d. 11 Oct., tom. V, p. 550-552, num. 1-13.

3° Miracula in adventu corporis S. Quirini martyris et reliquiarum Nigasii et Scuviculi, Audoeni et Melantii (fol. 82ᵛ-92ᵛ).

Edita ibid., p. 552-559, num. 14-48. Miracula S. Petri reliquis immixta et in ed. omissa post numm. 32, 42, 48 (Cfr. annot. *g, x),* requiras in Append.

4° Passio S. Justi martyris Christi (fol. 92ᵛ-97ᵛ).

Passio de qua supra p. 336, 10°.

5° De S. Oswaldo rege ac martyre (fol. 97ᵛ-98ᵛ).

Hoc præmisso exordio: *Successores Eadwini regis Anglorum, in apostasiam*

corruentes, cum suæ genti et fidei et regno magno extitissent detrimento, et ob id justo Dei judicio regnum pariter et vitam in brevi amisissent, Oswaldus rex christianissimus, eorum loco succedens Deo annuente, et fidei statum propagavit, et regni imperium ampliavit : erat enim nepos ipsius Eadwini regis ex sorore Acca, dignumque fuit ut tantus prædecessor talem haberet de sua consanguinitate et religionis heredem et regni; sequuntur nonnulla desumpta ex *Historia ecclesiastica* Bedæ, scilicet ex lib. III, cap. I, inde a *Unde cunctis placuit* (Migne, P. L., tom. XCV, p. 117) usque ad *Nam monachi erant maxime qui* (cap. III, p. 120 sub fin.); in his desinit cod., in fine mutilus.

XVIII. Codex signatus n° 257.

Membraneus, foliorum 74, formæ minoris (0^m,235 × 0,16), lineis plenis stylo ferreo ductis, exaratus partim (fol. 1-68) seculo IX vel ineunte X, partim (fol. 69-74) extremo seculo X; nullis ornamentis.

In folio chartaceo in capite codicis a compactore adjecta legitur hæc nota manu seculi XVII : *Liber monasterii sancti Trudonis.* R. 1. In folio ultimo verso hi subjuncti sunt versus manu seculi XII :

ORDO MONASTICUS.

Ordo monasticus ecclesiasticus esse solebat,
Quando cibaria per pecuaria rura colebat;
Nulla pecunia, nulla negotia præpediebant;
Sobria copia, parva colonia sufficiebant;
Pro venialibus et capitalibus invigilabant ;
Tam venialia quam capitalia nostra piabant.
Sed miserabilis et lacrimabilis est sibi factus;
Post venialia, post capitalia damna redactus
Ordo monasticus ecclesiasticus est violenter :
Ecclesiastica comparat omnia dona patenter.
Ordo monasticus ecclesiasticus est sine fructu :
Intrat ovilia desuper ostia non sine luctu.
Ordo monasticus ecclesiasticus est sine causa :
Christus et atria spiritualia sunt sibi clausa.
Ordo monasticus ecclesiasticus est sine sensu :
Æstimat omnia spiritualia divite censu.
Ordo monasticus ecclesiasticus unde vocatur,
Quando tenacibus atque rapacibus assimilatur?
Terra pecunia templa palatia magna parantur;
Tanta potentia, tanta superbia magnificantur.
Lucifer extulit, et Deus expulit, et cruciatur (1).

(1) Post hunc versum vacuum in codice relictum est unius lineolæ spatium, et margine apposita litera *s*, quæ indicet supplendum esse versum omissum.

Sed duo crimina per sua nomina nolo notare,
Quæ reverentia vel sapientia nescit amare;
Dicere planius esset amarius; ultro placebit.
Ultro quis audiat, ultro subaudiat, ultro docebit.
Sed dominus meus, omnipotens Deus omnicreator,
Insipientibus et sapientibus auxiliator,
Hæc pius auferat et bona conferat, ut mereantur
Spiritualia quærere pascua, ne moriantur,
Qui monachos simoniacos mercede tuetur,
Cum monachis simoniacis damnandus habetur.

[Passio XL martyrum Sebastenorum] (fol. 69r-74v) [224].

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Martii, tom. II, p. 19-21. In cod. ob folium excisum initio mutila est. Apparitio de qua num. 2, in cod. præcedit interrogationem relatam num. 1; in cod. loco *Quironis* ponitur *Gorgonius;* ac ipse sociusque ejus sanctus Candidus ita laudantur: *Præcellebat igitur eos sanctus Gorgonius in responsionibus et sanctus Candidus.* Dux ille de quo initio num. 4, in cod. *Licinius* nuncupatur; episcopus vero ille, cui (num. 13) revelatum est de sanctorum martyrum reliquiis, vocatur *Agapus.* Pro tribus ultimis phrasibus hujus num., ita cod.:

> *Et ita sanctorum martyrum levantes reliquias reverentissimi viri una cum episcopo Agapo Dei cultore posuerunt eas in loculis qui dicitur* (sic) *via Appia inter duos lauros juxta ecclesiæ sanctæ Ceciliæ virginis ab urbe Roma miliario 2o.*

Tandem pro num. 14 hæc in cod.:

> *Et ita impiorum in christianis per annos plurimos persecutionis turbo transiret. Ita certantes sancti quadraginta martyres fulgentesque per miracula multa sicut luminaria, diligentes, Christo credentes, sanctoque Spiritui confitentes, conglorificatis Christo vitam temporalem relinquentes, supplicantesque pro salute omnium in Christo credentium, cui est gloria et potestas per infinita secula seculorum. Amen.*

XIX. Codex signatus no 258.

Chartaceus, foliorum 246, formæ minoris (0m,219 × 0,147), præter insiticium unum in capite; exaratus sec. XV. Sec. XVI inscriptum est fol. insit. recto: *ad usum fratrum Cruciferorum;* fol. insit. verso et fol. 1r: *Liber fratrum sanctæ Crucis conventus* (verbum illud abest fol. 1r) *Leodiensis.*

Brevis historia de vita et doctrina Alberti Magni, quondam Ratisponensis episcopi, in omnibus expertissimi (fol. 183r-189v) [329].

Edita in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, part. I, tom. II, p. 95 sqq.

XX. Codex signatus n° 260.

Membraneus, foliorum 158, formæ minoris (0m,22 × 0,155), lineis plenis, diversis manibus seculi XII exaratus (seu potius ex diversis codicibus seculi XII compactus). Tituli et litteræ initiales minio designata, ceterum nullis ornamentis notatu dignis.

Fol. 102v manu seculi XVI legitur hæc nota : *Liber monasterii divi Trudonis confessoris in diocesi Leodiensi ;* et fol. 103r manu seculi XVIII, *Liber monasterii sancti Trudonis. I. 5.*

1° Excerptum de libro Jocundi presbyteri quem edidit de vita et virtutibus S. Servatii episcopi (fol. 53r-55v) [242].

Pauca hic narrantur de sancti nativitate, divina missione miraque ad sedem Tungrensem electione ; fit etiam mentio de gestis ejus in concilio Agrippinensi contra Æphratam arianum. Deinde add. in codice alia manu :

Anastasii Romani pontificis tempore florebant in Ecclesia Joannes Chrysostomus apud Constantinopolim, Ambrosius Mediolani, Martinus Turonis, Donatus Epiri episcopus, qui ingentem draconem exspuens in ore ejus interfecit, quem octo juga boum vix trahere potuerunt ad cremandum ; in Hispania Orosius historiographus, in Aquitania Severus qui vitam Martini et alia multa scripsit ; qui in senecta a pelagianis seductus, silentium usque ad mortem tenuit, tacendo corrigens quod loquendo peccavit ; in Gallia Severinus Agrippinensis archiepiscopus, Servatius quoque decimus Tungrensium episcopus, Domini nostri Jesu Christi consanguineus non solum ex eo quod voluntatem Dei Patris faciebat, sed etiam secundum carnem, qui natus quidem in Perside, filius fuit Emmiu, cujus pater fuit Eliud, frater Elisabeth, quæ peperit Joannem Baptistam. Mater vero Eliud et Elisabeth Esmeria soror fuit Annæ, quæ genuit Mariam matrem Domini nostri.

Sequenti folio 56r exhibetur eadem genealogia descriptis descendentium nominibus in circulis eodem fere modo quo reperitur in codice Valencenensi 471 (1).

2° Vita S. Servatii episcopi et confessoris (fol. 56v-64r) [241].

Vita edita in *Mon. Germ.*, scr. tom. VII, p. 172-176, num. 20-28 ; add. in fin. quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 101, lin. 7-24 *(De ipso oratorio-permansit).*

3° Vita S. Heriberti archiepiscopi (fol. 64r-79r) [227].

Vita auctore Lamberto Tuitiensi edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Martii, tom. II, p. 467-475. In cod. num. 32 om.

(1) *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque de Valenciennes* (1860), p. 476.

4° Miracula S. Heriberti (fol. 79r-102r).

Edita ex hoc codice in *Comptes rendus des séances de la Commission royale d'Histoire*, 1re série, tom. XVI, p. 125 sqq. Cfr. ibid., tom. XIII, p. 303 sqq.

5° Vita sanctæ Christi ancillæ Mariæ de Œgnies (fol. 103v-146r) [233].

Vita auctore Jacobo de Vitriaco edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Junii, tom. IV. p. 636-666. Vitæ in codice præmissi sunt (fol. 103r) sequentes versus :

Ecclesiæ custos, sancti Trudonis amicus,
Fratribus hanc vitam tribuit valde venerandam.
Ergo sibi vitam donet Deus immaculatam
Hic et in æternum quoque possidere beatam. Amen.

XXI. Codex signatus n° 278.

Chartaceus, foliorum 220, præter primum numero non notatum (in cujus utraque facie glutine affixæ sunt imagines sculptæ : aliæ imagines similiter foliis vacuis affixæ passim reperiuntur in codice), formæ minoris (0m,195 × 0,135), lineis plenis, exaratus variis manibus seculi XV et XVI. Nulla ornamenta insignia præter imagines fol. insiticio (ante 1) recto et verso et foliis 8v, 13v, 32v, 48v, 131v, 205v et 207v : hæc repræsentat S. Trudonem et rubro colore expressa est, ceteræ nigro.

Originis suæ vestigia servavit codex in parte recta folii non notati (ante fol. 1) ubi scriptum est : *Liber monasterii sancti Trudonis in Hasbania in usum fratris Trudonis de Gemblaco in Gallo-Brabantia ;* ac fol. 49r, ubi in margine superiori legitur : *Liber monasterii sancti Trudonis.*

1° De Sto Huberto episcopo (fol. 1r-6v) [228].

Inc. *Hubertus nobili exortus prosapia, Theodorici regis Francorum temporibus.* Vita conscripta, ut videtur, seculo XV : edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 3. Nov., tom. I.

2° [Passio S. Dorotheæ] (fol. 8r-11r) [219].

Edita nonnullis adjectis in *Leg. Aur.*, p. 910-912. Cfr. de hac beata martyre *Act. SS.*, ad d. 6 Feb., tom. I, p. 771 sqq.

3° De miraculo sanguinis S. Stephani quod accidit in monasterio S. Trudonis (fol. 11v-13r) [246].

Vide supra p. 343, 65°.

4° Passio sanctorum Rumoldi et Liberti martyrum authore Theodorico abbate S. Trudonis circa annum

Domini 1100, qui obiit 1107, VII Cal. Maii (fol. 33r-46r) [240].

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 1 Julii, tom. I, p. 241-247. — Fol. 46r in margine inferiore inscriptum est hoc nomen *Fr. Lambertus Stapel.*

5° Vita et conversatio beati Guilhelmi heremitæ et confessoris eximii (fol. 49r-126r) [225].

Edita ibid., ad d. 10 Feb., tom. II, p. 450-468. Desinit in cod. post primam phrasim num. 27, *(E quibus aliqua-incipiamus).* Genealogia beati confessoris, quæ edita est ibid., p. 451, num. 3, in cod. reposita est in fine Vitæ sub hoc titulo : *Hæc est genealogia nobilis ducis Aquitaniæ et comitis Pictaviæ beati Guilhelmi.* — Hinc a fol. 126-129 descripta sunt flandrice nonnulla de sancto Trudone ac de fatis Trudonopolitanæ civitatis versibus concinnata [685].

6° Vita beati Trudonis confessoris (fol. 132r-184r) [248].

Vita auctore Theodorico, edita apud Surium ad d. 23 Nov.; in cod. add.:

Pausat in hac tumba vir simplicitate columba,
Qui leo virtute, jubilis simulatur alaudæ,
Aut turtur gemitu, visu simul atque volatu
Par aquilæ, salamandræ novæ, quia vixit in igne.
Nobilis egrediens hospes de corpore mortis,
In patriam rediit ad primæ gaudia sortis.

Plangite cum lacrima quod mortis ferrea lima
Hunc elimavit, limatum terra voravit.
Sed qui carne ruit, hanc mortis falce secante,
Vivit nunc anima melius quam vixerat ante.
Nunc canit in *delasol*, qui quondam flevit in *are*.

7° Sermo domni Theoderici abbatis de translatione sanctorum Trudonis et Eucherii, quæ facta est tertio idus Augusti, Nortmannis populantibus Franciam et Lotharingiam (fol. 186r-191v).

Editus ibid., post Vitam S. Trudonis.

8° Vita S. Eucherii episcopi et confessoris (fol. 193r-199r) [221].

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Feb., tom. III, p. 217-219. In cod. prologus om.

9° In depositione sanctissimi patroni nostri Trudonis confessoris (fol. 200r-204v) [277].

Officium S. Trudonis. Vid. Append.

Sequuntur inde a fol. 206r ad 220r non pauca documenta quæ conferre pos-

sunt ad illustrandam historiam abbatiæ Santrudopolitanæ; ac primo quidem de gestis Adelardi II ac Rudolphi abbatum; deinde, hoc præfixo titulo,

Catalogus abbatum monasterii sanctissimi Trudonis confessoris, compendiumque gestorum eorumdem (fol. 208r-220r),

chronicon aliquod ex antiquioribus documentis compilatum; e quo describere libuit quæ de sanctis notata fuerunt.

Fol. 208r. — Vitam sanctissimi Trudonis, tutelaris nostri, præter D. Theodoricum etc., superioribus annis scripsit noster Moringus, sacræ theologiæ licentiatus, diserto ac vero sermone.

Divus Trudo nascitur anno salutis 628; plus minus septennis simulachrum templi exstruit, quod dum conculcat femina, perdit, resumit lumina.

Hujus mater sancta Adela anno salutis 644 in Domino obdormivit; cujus corpus in Zelem, villa D. Trudonis gentilicia, in ecclesia sepultum miraculis claruit.

Fol. 208v. — Pater S. Guiltboldus subsequente anno plenus dierum fato concessit, anno pueri Trudonis 17; in ecclesia villæ suæ ex nomine suo denominatæ Webethom sepultus est, prope oppidum Diest.

Eodem anno Metas sive Mediomatrices adiit, oraculo monitus, litterasque sacras secutus, anno salutis 655 sacerdos consecratur, ac in patriam mittitur annos natus 27.

Anno salutis 657, templum ac monasterium a se conditum consecrari fecit a sancto Theodardo, Trajectensi præsule, tertio Cal. Octobris.

Obdormivit in Domino anno salutis 693, nono Cal. decembres, annos tum natus 65, ut in vita, sic post mortem miraculis clarissimus. Atque hæc Moringus latius luculentiusque.

Fol. 209r. — Hujus tempestate *[Grimonis qui factus est abbas S. Trudonis anno 727]* divus Eucherius Aurelianensis antistes in hoc cœnobio aliquandiu sedem habuit, vita et moribus, velut fax lucidissima, omnibus ad virtutem vitæque sanctitatem mire prælucens.

Fol. 209v. — Horum tempore *[scilicet abbatum sec. IX]* corpora sanctorum Trudonis et Eucherii anno salutis 883 in editiorem locum omnibus conspicuum restituuntur a Francone Leodiensi episcopo; nec multo post metu Normannorum ea ipsa corpora humo defossa delituere usque ad tempestatem abbatis Wirici.

Fol. 210r. — Anno salutis 883 ab eisdem Normannis divus Libertus, sancti Rumoldi Mechliniensis discipulus, apud aram sancti Trudonis trucidatur.

Fol. 213v. — Miracula vero [S. Trudonis] posteris ad memoriam copiose clareque

tradidit Stephelinus quidam monasterii hujus eo ævo *[tempore Guntrammi abbatis 1034-1082]* monachus.

Fol. 214r. — [Theodericus abbas 1098-1107] sermonem de translatione sanctorum Trudonis et Eucherii, Vitam item divi Trudonis, cujus initium est: *In exaltando*, responsoria insuper, antiphonas, hymnos denique, quæ in natali sancti Trudonis cantantur condidit, denique Vitam sanctorum Bavonis et Rumoldi.

Fol. 215v. — Corpora divorum Trudonis et Eucherii ac Liberti reperta anno salutis 1169; festum instituunt diem tertium idus Augusti.

Fol. 220r. — Describebat frater Petrus Crullus a Ghinghelim juxta monumenta nova et vetera, anno salutis 1566, decimo quarto Cal. Martii.

XXII. Codex signatus n° 343 [222].

Partim membraneus, chartaceus partim, ita scilicet ut ex ordine binis foliis membraneis succedant terna chartacea, foliorum 160 (præter duo insiticia numeris non notata in fronte codicis), formæ mediocris (0m,285 × 0,21), columnis binis, ineunte seculo XV exaratus. Tituli capitum et litteræ initiales minio descripti.

In altero folio insiticio (ante fol. 1) verso adscripta est hæc nota manu seculi XV: *Liber fratrum sanctæ Crucis in Leodio;* et rursus paulo inferius altera manu ejusdem seculi: *Liber conventus Ordinis fratrum sanctæ Crucis Leodiensis;* et in fine codicis (fol. 160r, perperam notato 163): *Explicit liber de actibus quibusdam mirabilibus beati Francisci et sociorum ejus primorum, finitus anno Domini .m°.cccc°.viii°. in proximo die sequenti Ascensionem Domini.* Hæc nota minio descripta est. Quam sequitur (fol. 160v) carmen de Portiuncula editum apud Fr. Waddingum, *Ann. Min.*, tom. II, p. 142, n. 33.

1° Hæc sunt quædam scripta per tres socios beati Francisci de vita et conversatione ejus in habitu seculari, de mirabili et perfecta conversatione ipsius et de perfectione originis et fundamenti ordinis in ipso et in primis fratribus; et hoc per hunc modum sequentem (fol. 1r-28r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Oct., tom. II, p. 723-742.

2° Speculum perfectionis status fratrum minorum (fol. 28r-90r).

Inc. *Istud opus compilatum est per modum legendæ ex quibusdam antiquis, quæ in diversis locis scripserunt et scribi fecerunt socii beati Francisci.* — Hujus operis editiones indicatas vide in *Act. SS.*, ad d. 4 Oct., tom. II, p. 550, num. 26 sqq.

3° Actus quidam mirabiles beati Francisci et sociorum ejus primorum (fol. 90r-160r).

Inc. *Ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi et sanctissimi patris Francisci, hic scripta sunt quædam notabilia de beato Francisco et sociis ejus et quidam actus eorumdem mirabiles, quæ in legendis ejus prætermissa sunt ; quæ etiam sunt valde utilia et devota.* — Hujus operis editiones indicatas vide ibid., num. 25.

XXIII. Codex signatus n° 389 [214].

Chartaceus, foliorum 239, formæ mediocris (0^m,287 × 0,18), manu seculi XVII valde nitide exaratus.

Continet Vitam venerabilis Matris Annæ a sancto Bartholomæo, ab ipsamet conscriptam.

Fol. 1r adscripta est hæc nota manu item seculi XVII : *Carmelitarum discalceatorum Conventus Leodiensis.*

Vita venerabilis matris Annæ a sancto Bartholomæo ab ipsa composita.

Versio latina Vitæ lingua castellana conscriptæ. Ex manuscripto autographo Antverpiensi conventus carmelitani gallice versam hanc edidit P. Marcel Bouix : *Autobiographie de la vénérable mère Anne de Saint-Barthélemy* (Paris 1869). Jam anno 1632 prodiit Antverpiæ versio flandrica approbata a Miræo, iterum Antverpiæ recusa anno 1733; gallica vero versio anno 1646 apud Séb. Huré, et alia item gallica, quam confecerat Cyprianus a Nativitate, alias Andreas de Compans, Bruxellis apud Joannem de Smedt anno 1708. Conf. etiam : *Histoire de la vie, vertus et miracles de la vénérable mère Anne de Saint-Barthélemy, compagne inséparable de la sainte mère Thérèse de Jésus, composée en espagnol par le R. P. Chrysostome Henriquez, traduite de l'espagnol en français par messire René Gaultier, conseiller d'état. Paris, Sébastien Huré, 1633.* Anno 1735, die 29 junii decretum est constare de virtutibus ven. servæ Dei tam theologalibus, quam cardinalibus in gradu heroico. Vid. Bouix, op. cit., pp. 339, 340.

XXIV. Codex signatus n° 413 [213].

Chartaceus, paginarum 360 (præter sex folia in capite, quorum primum vacuum est, secundum exhibet titulum margine picta circumdatum, in tertio depicta sunt insignia D. Frederici Panhuysen abbatis Averbodiensis, cui inscribitur epistola

dedicatoria tria sequentia folia complens), formæ minoris ($0^m,16 \times 0,10$), perquam nitide exaratus; initium et finem singularum partium signant ornamenta in summa vel in ima pagina depicta.

Materiam in codice contentam et tempus scriptionis distincte indicat titulus :

Vita B. Andreæ primi Averbodiensis abbatis, conscripta ab amplissimo Domino D. Nic. Hogelandio abbate Middelburgi Ordinis præmonstratensis, notis aucta. Diligam dum moriar, 1730.

Hæc vita, quæ primum prodiit Antverpiæ 1682, iterum typis est excusa Gandæ 1849 in opusculo *Notice historique sur l'ancienne abbaye d'Averboden*, p. 131-151. Apographum suum Frater N. N. dedicavit amplissimo Domino D. Frederico Panhuysen abbati Averbodiensi. Vitæ multas addidit notas : nam complent p. 95-336. Sequitur (p. 337-341) *Chronologia annorum B. Andreæ ut est in notis emendata*, videlicet (1) :

B. Andreas nascitur 1067.

B. Andreas *[Hidulphi de Altena archiepiscopi Coloniensis]* abnepos ad eum a matre mittitur decennis 1077.

Fit canonicus Coloniensis 1079.

B. Andreas fit præpositus S. Gereonis 1087.

B. Andreas Romam proficiscitur 1095.

B. Andreas Roma redux 1099 aut tardissime 1100.

Trecis synodo B. Andreas præsens fuit 1107.

Viennensi concilio ut legatus episcopi Coloniensis 1112.

B. Andreas cum S. Godefrido Cluniacum petit 1113 : inde Carthusiam 1114.

B. Andreas fit Præmonstratensis 1120.

Mittitur Antverpiam 1123.

Eligitur primus abbas Middelburgensis, et onus ægre deprecatur 1126.

Mittitur cum sex sociis fundando Averbodiam 1128.

B. Andreas pie in Domino moritur 11 Aug. 1139.

De hoc viro sanctitate insigni actum est *Act. SS.*, ad d. 6 Junii, tom. I, p. 962, num. 9, in coroll. ad vitam S. Norberti.

XXV. Codex signatus n° 983 [251].

Codex chartaceus, foliorum 65 (præter duplicem epistolam in fine insertam), formæ mediocris ($0^m,32 \times 0,20$), initio seculi XVII exaratus.

Continetur in eo *S. Willibrordi primi Frisiorum archiepiscopi Vita ex fidissimis*

(1) Prætermissis iis quæ ad Andream ipsum non spectant.

auctoribus, monumentis et diplomatibus digesta, ac scholiis et chronico illustrata studio ac opera G. S. (Gerardi Sandelin) *V. N. et J*[ti].

Adjecta est, ut supra diximus, duplex epistola, altera Heriberti Rosweydi, Antverpia die 10 martii anno 1623 missa ad P. Joannem Roberti Leodii commorantem, ubi Commentarium Gerardi Sandelini de S. Willibrordo vel nonnulla ex eo exscripta ad se mitti postulat, altera ipsius Gerardi ad eumdem Joannem Roberti scriptam *ad fossam Corbulonis. XI Cal. Octob. anno MDCXIX*, in qua item de eodem Commentario sermo est.

APPENDIX

AD

CATALOGUM CODD. HAGIOG.

BIBLIOTHECÆ CIVITATIS ET ACADEMIÆ

LEODIENSIS.

Ex codicibus Leod. n° 12 et 278.

OFFICIUM S. TRUDONIS. (Vid. supra, pagg. 317, 22° et 359, 9°.)

In festivitate sancti Trudonis.

Ad vesperas super psalmos.

A. Læta dies, æterna quies : sol filius astri
Emerito sibi pro merito sine nube resplendet.
Sancte Dei, dant vota rei; tu suscipe, parce.
Da quod abest, remove quod obest, quidquid premit arce.

A. Annua jocundo redeunt solemnia mundo,
Quæ recolenda bonis rutilant in honore Trudonis.

A. Hunc * natura parens habuit, quæ maxima tradens
Exceptum statim levat ad bona cuncta gradatim.

* *cod. prius* Huic.

A. Inclita præcipuæ sunt hæc monimenta juventæ :
Vix poterat fari redditque diem mulieri.

A. (1) Ergo triumphantem mortalia cuncta terentem
Rex suus invitat, et quo solet ordine ditat.

℟. O flos paradisi Domini, altior cedris Libani, cujus odore sanantur languidi et reviviscunt mortui, Trudo Pater sanctissime, succurre huic familiæ.

℣. Plurima debemus et debita nostra timemus. Trudo. — Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Succurre huic.

(1) *Omittit cod. 278 ultimam antiphonam, cujus loco sequentia habet :* **Capit.** Dedit Dominus confessionem sancto suo excelso in verbo gloriæ; de omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum qui fecit illum.

Hymnus ad vesperas (1).

Iste confessor Domini sacratus,
Festa plebs cujus celebrat per orbem,
Hodie lætus meruit secreta
Scandere cœli.

Qui pius prudens humilis [pudicus*],
Sobrius castus fuit et quietus,
Vita dum præsens vegetavit ejus
Corporis artus.

* *suppletum ex conj.*

Ad sacrum cujus tumulum frequenter
Membra languentum modo sanitati,
Quolibet morbo fuerint gravata,
Restituuntur.

Unde nunc noster chorus in honore
Ipsius hymnum canit hunc libenter,
Ut piis ejus meritis juvemur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui supra cæli residens cacumen
Totius mundi machinam gubernat
Trinus et unus. Amen.

Super magnificat.

A. Sancte pater, clare doctor,
Dulce decus, noster amor,
Funde preces tuo regi,
Ut succurrat suo gregi.
Trudo sacer, recognosce,
Tui sumus; Jesum posce
Ut solutos a peccatis.
Nos componat cum beatis (2).

(1) *Hymno* Iste confessor *sequentem substituit cod. 278 :*

Eja, fratres, jam plaudite
Trudonis ob memoriam;
Laudes patris attollite,
Sequendo sanctimoniam.

Qui velut sol in æthere,
Fulsit in domo Domini,
Clarus signis et opere,
Deo carus et homini.

Ex angeli consortio
Sancto Remaclo paruit;
In largo patrimonio
Christum heredem statuit.

Cordis amans munditiam
Vir totus Deo deditus,
Bibit abunde sobriam
Ebrietatem spiritus.

Ad fontem vitæ sitiens
Fontem dare promeruit;
Æternam lucem ambiens
Lumen cæcis restituit.

O Trudo, trude longius
Nostræ salutis æmulum;
Fac nos videre citius
Æternitatis speculum.

Laus dominorum Domino,
Qui nos Trudonis precibus
Coronet sine termino
Cum sanctis suis omnibus. Amen.

℣. Os justi meditabitur sapientiam.

℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

(2) *Post antiphonam addit cod. 278 :* **Collecta.** Deus qui hodiernam diem

Invitatorium.

Ad jubilos vitæ Christo psallendo venite,
Qui sibi Trudonem sociat post carnis agonem. Venite exultemus (1).

In primo nocturno. **A.** Annua jocundo.
A. Hunc * natura. (* *cod.* Huic.)
A. Inclita præcipuæ.
A. Iste puer talis jam totus spiritualis,
Discere quærebat id quod scriptura tegebat.
A. Angelus ad votum noctu dat in ordine notum
Quo pergat, quid agat, sub quo doctore quiescat (2).

℟. primum. Exortum est in tenebris
Præclari lumen sideris,
Cum edidit Hasbania
Trudonem plenum gratia.
℣. Accrevit cælis gaudium
Et terris patrocinium,
Cum edidit.

℟. II. Hinc puerili opere
Instar jacit ecclesiæ;
Quod dum conculcat femina,
Perdit, resumit lumina.
℣. Viva futurus hostia,
Hæc Deo libat munia.
Quod dum.

sacratissimam nobis in beati Trudonis, confessoris tui, solemnitate tribuisti, adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus, ut cujus gloriamur meritis, muniamur suffragiis. Et famulos. Per Dominum nostrum Jesum Christum. — (1) *Hunc hymnum in matutino addit cod. 278 :*

Somni spreta dulcedine
Astamus tibi Domine,
Sancti Trudonis precibus
Intende nostris vocibus.

Caro quam gestat anima
Nociva suadet plurima
Trahit captivam hospitam;
Claudit tenebris obsitam.

Præ peccatorum pondere
Caput nequit attollere,
Suspirat tantum anxie
Spem habens in te veniæ.

Jesu prostratam erige,
Hostes obstantes abige;
Pie amator hominum,
Everte moles criminum.

Per confessoris gloriam
Præsta nobis hanc gratiam
Ut unus Deus Trinitas
Laudes acceptet debitas. Amen.

(2) *Singulis ex quinque his antiphonis psalmi recitandi indicationem subjicit cod. 278, nempe 1a Ps.* Beatus vir; *2a Ps.* Quare fremuerunt; *3a Ps.* Cum invocarem ; *4a Ps.* Verba mea ; *5a Ps.* Domine Dominus noster. *Insuper sextam addit antiphonam, nempe* Sic post Remaclum... *(ea nempe quæ in cod. 12 prima est II nocturni), cum Ps.* In domino confido. *Et prosequitur :* Lectiones : In exaltando (require in capite hujus codicis) ; *hæc autem verba sunt initium Vitæ editæ apud Surium ad d. 23 nov., de qua supra p. 359, 6°.*

** numerus erasus est.*

℟. [III*] Florebant eo tempore
Multi verbis et opere,
Ad quorum Trudo studia
Jugi tendit instantia.
℣. Spirabat hortus Domini
Flores rosæ et lilii,
Ad quorum.

℟. IIII. Orabat quamvis dormiens,
Christumque semper sitiens,
Cum edocet cælicola
Quid faciat christicola.
℣. Remaclum, inquit, præsulem
Tibi designo consulem.
Cum edocet.
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. — Cum edocet.

In II nocturno. **A.** Sic post Remaclum Mettis subeundo Glodulfum,
Dum redit instructus, sanctos studet edere fructus (1).

A. Impiger accepti diffundens lucra talenti,
Quomodo vivebat, alios sic erudiebat.

A. Hos fovet, hos sanat, hos largo munere donat,
Omnibus accedit, sine munere nemo recedit.

A. Nocte soporati meritum testata beati
Lux caput atque pedes et totas ambiit ædes.

A. Elicuit fontem, monuit cælestia gentem,
Eripuit furem, domuit post cetera verrem,

A. Aggregat hinc tales vir sanctus cœnobiales,
Quorum vita mori, mors esset vivere Christi.

A. Ergo triumphantem.

℟. V. Jam tunc plenus virtutibus
Ipsisque par doctoribus,
Omne mandatum litteræ
Pio complebat opere.
℣. Humilibus consentiens
Et nihil altum sapiens,
Omne.

℟. VI. Exutus ergo laicum
Adolescit in clericum,
Donec electus rapitur
Et sacerdos inungitur.
℣. Prudens pudicus sobrius,
Qualem docet apostolus.
Et sacerdos.

℟. VII. Communicato gaudio
Præsul cum dulci filio,
Assumit eum socium
In opus evangelicum.
℣. Remaclus theoretice,
Ut instet Trudo practice,
Assumit.

(1) *Omissa hac antiphona (vide p. 367 annot. 2), codex 278 habet 1° loco Ant.* Impiger *cum Ps.* Domine quis habitabit; 2° Hos fovet *cum Ps.* Domine in virtute tua; 3° Nocte *cum Ps.* Domini est terra; 4° Elicuit *cum Ps.* Benedicam Domino; 5° Aggregat *cum Ps.* Te decet; 6° Ergo *cum Ps.* Bonum est confiteri. *Quæ antiphonarum in utroque nocturno divisio potior utique apparet esse.*

℟. VIII. O virum laude, gratia,
Omnique dignum gloria,
Cui se duo lumina
Infundunt noctu cælica.

℣. Caput et pedes ambiunt
Et soporato serviunt.
Cui se.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto (1).

Super cantica.

A. Radix, flos, fructus, lignum quod non timet æstus,
Testantur meritum, vir benedicte, tuum (2).

℟. VIIII. Sacerdos ergo populis
Diviso pane dogmatis,
De terra fontem elicit,
Qui nunc usque non deficit.

℣. Has erogat divitias
Bonus pater familias;
De terra.

℟. X. Vir pietatis unicæ,
Nullius expers gratiæ,
Erudiebat homines,
Ejiciebat dæmones.

℣. Imperitabat bestiis
Et omnibus incommodis;
Erudiebat.

℟. XI. Applicabatur interim et hora transplantationis ad radicem sanctissimæ arboris, et cupientem dissolvi et jam cum Christo esse, discipulorum tamen gemitus et querelosa ne se desereret supplicatio morabantur.

℣. Jamque recedentem,
Jam Christum respicientem,
Discipulorum.

℟. XII. Quod sperasti ecce tenes,
Quod amasti Christum vides;
Hic sepultus, ibi regnas.
Hic rogaris, ibi præstas.
Nos commenda, sancte Trudo,
Trino atque uni Deo.

℣. Memor esto plebis tuæ quam possedisti ab initio. — Nos commenda.
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. — Trino.

Ad Laudes.

A. Regnum, virtutem Deus induit atque decorem;
Et quam firmavit sedem, tibi, Trudo, paravit.

A. Exsequias celebres summi comitantur odores,
Mixtaque caligo, lux cælica cujus origo.

A. Janua pulsatur solaque fide reseratur;
Credit et accedit cæcus : cum luce recedit.

(1) *Deficiente spatio, sex ultimarum vocum solas vocales litteras scriba depinxit.* — (2) *Hoc loco addit cod. 278 :* ℣. Magna est gloria. Evangelium. Sint lumbi vestri præcincti.

A. Plectuntur fures; homicida reus perit alter,
Justus contractus curam redit alter adeptus.

A. Laude tua, Christe, pater est laudabilis iste,
Et quotiens petitur, animæ carnique medetur (1).

Supra benedictus.

[**A.**] Lux emergit, nox liquescit;
Trudo sole plus candescit,
Nive nova candidior,
Auro vitroque purior.

Cælos scandit, terras fovet,
Mare totum laude replet.
Ejus obtentu oriens
Nos regat indeficiens.

Ad primas. A. Exsequias (2).

Ad tertiam. A. Janua.

CAPITULUM ET ORATIO UT IN LAUDIBUS.

Ad sextam. A. Plectuntur.

(1) *Quibus addit cod. 278 :* CAPITULUM UT IN PRIMIS VESPERIS. ℟. Magna est gloria ejus in salutari tuo. — ℣. Gloriam et magnum honorem impones super eum in salutari tuo.

Hymnus.

Ad laudem regis gloriæ
Tota plaudat Ecclesia,
Quem in decoris specie
Trudo cernit in patria.

Sol verus, sol justitiæ
Clarum misit luciferum,
Dum Trudonem Hasbaniæ
Sanctum dedit presbyterum.

Respondit dignis moribus
Suscepto sacerdotio,
Quem docuit in omnibus
Magistra dulcis unctio.

Quæ soporato cælitus
Assistunt luminaria;
Monstrant quantæ sit præditus
Internæ lucis gratia.

Gaude felix, et jubila,
Trudo, consors cælestium,
Tui mœroris nubila
Jam versa sunt in gaudium.

Conserva tuis precibus
Nos a cunctis periculis,
Qui tot flores virtutibus,
Tot coruscas miraculis.

Patri, Nato, Paraclito
Potestas, honor, gloria,
Qui nos Trudonis merito
Ducat ad cæli gaudia. Amen.

℣. Os justi meditabitur.

(2) *Horæ minores in solo cod. 278 descriptæ sunt, præter Antiphonam super Magnificat* (Magna te), *quæ etiam in cod. 12 legitur, immediate Antiphonæ supra Benedictus* (Lux emergit) *subjecta.*

Capitulum. Magnificavit eum in conspectu regum, et dedit illi coronam gloriæ.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit...

[**Collecta.**] Adesto, Domine, precibus nostris, quas in sancti Trudonis confessoris tui solemnitate deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit, meritis adjuvemur. Et famulos. Per Dominum.

Ad nonam. **A.** Laude tua.

Capitulum. Collaudabunt multi sapientiam ejus et usque in seculum non delebitur. Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. Deo gratias.

℣. Magna est.

Collecta. Deus, fidelium remunerator animarum, præsta ut beati Trudonis, confessoris tui, cujus venerandam celebramus festivitatem, precibus ipsius indulgentiam consequamur. Et famulos. Per Dominum nostrum.

In secundis Vesperis super Psalmos.

A. Annua jocundo, CUM RELIQUIS. CAPITULUM ET ℟ UT IN LAUDIBUS. — HYMNUS. Eia fratres jam plaudite (1).

℣. Os Justi meditabitur.

Ad Magnificat.

A. Magna te Deum cantica,
Clara decent præconia,
Cujus virtute dexteræ
Trudo splendet in æthere.
Ejus, Jesu, nos precibus
Peccati solve nexibus.

COLLECTA UT IN PRIMIS VESPERIS (2).

In translatione S. Trudonis et Eucherii (3).

A. Urbis æternæ consules,
Audite vestros supplices.
Trudo cum Eucherio,
Nos commendate Domino.

I. ℟. Gloriosum est hodierna die tractare de margaritis sanctorum et delectat intueri duas confessorum gemmas de thesauris cælorum.

℣. Ipsi enim ex vitæ merito sunt nobis a Deo patres constituti — de thesauris.

V. ℟. Isti etenim, isti, inquam, sunt incliti propugnatores tui, o redempta Christi cruore Ecclesia; isti stant pro filiis tuis.

℣. Ne eos barathro oris absorbeant toto aere vagantes animarum corruptores, — isti.

(1) *Vide p. 366, annot. 1, hymnum vesperarum e cod. 278.* — (2) *Quibus addit idem cod. 278 :* PRO COMMEMORATIONE PER OCTAVAM AD BENED. ANT. Sancte Pater. — AD MAGNIF. ANT. Lux emergit, nox... — (3) *Ex solo cod. 12 (fol. 100^v-101^r).*

VIII. ℟. Hæc duo perpetui candoris lilia cælestis nobis permisit munificentia; quorum verna fraglantia non deficiet, viriditatis gratia non marcescet.

℣. Hi reos Deo conciliant, orbem portant, tartara spoliant. Quorum.

℟. O viri misericordiæ, cælorum margaritæ, superni diadematis gemmæ, o admirabiles cæli columnæ, noctem nostram ignis vestri splendore depellite et diem nubis blandimento componite.

℣. Vestro ducatu quicunque fruuntur, jacturam de Amalech non patiuntur. Noctem. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Et diem.

Supra Magnificat.

A. Trudo virtutum opifex,
Eucheri sancte pontifex,
Vestra excusent merita
Quæ nos accusant debita.

Invitatorium.

Exultemus cum jubilo
Deo deorum Domino,
Qui nos sanctorum gloria
Invitat ad cælestia (1).

Ex codice Leod. nº 58.

DE S. NICASIO ET SOCIIS. (Vid. supra, pag. 335, 5º.)

1. Post beatam et gloriosam passionem sanctorum Petri et Pauli apostolorum, quorum alter exemplo Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi cruci confixus, alter vero gladio truncatus Christo testimonium reddiderunt, residente jam beato Clemente apostolorum successore in cathedra apostolatus, venit quidam vir ab Atheniensium curia Romam nomine Dionysius, nobilissima græcorum prosapia editus, atque ex hoc tam Græcorum quam et Romanorum facundia decentissime comptus, omnium quoque liberalium litterarum studiis imbutus, nihilominus etiam beato Paulo apostolo instruente, sanctique Spiritus gratia cooperante, totius cælestis philosophiæ dulcedine eleganter ornatus, cupiens, utpote verbi divini semina orientalibus sparserat, etiam occiduis partibus erogare, ac pro fide nominis Jesu usque ad martyrii palmam fideliter decertare. Cujus adventu beatissimus Clemens inopinabili gaudio tactus, eum devotissime suscepit et cum omni honorificentia, ut tantum virum decebat, secum diutius commorari fecit.

2. Cum vero omnipotens Deus populum Galliarum ab hostis antiqui noxia

(1) *Tandem ultimo fol. 101v, cujus tota pars superior mansit vacua, legitur in cod. 12 Ant.:*

O clara mundi vespera,
Qua inter cæli sidera
Celsa effulsit gloria
Quintinus in ecclesia;
Gaude, Roma, hoc filio;
Nos ejus patrocinio.

servitute et veri solis fulgore lustratum, suæ ditioni mancipare decrevisset, posuit in cor beatissimi Clementis, ut sanctissimum Dionysium tali alloquio conveniret, dicens : *Frater et coepiscope Dionysi, cernis quam multa in partibus occiduis seges dominici germinis emersit, ad quam non dicam rarus, sed nullus umquam operator accessit; immo volucres comederunt, bestiæ saltus conculcaverunt, spinæque suffocaverunt omnia. Quia ergo es verissimus testamenti Domini relator, et inflexibilis bellorum Domini prœliator, aggredere viriliter partes Galliarum, ac scuto dominicæ protectionis vallatus oppone te ipsum pro domo Israel murum validissimum, et sta pro eo invictus in bello : pugna cum antiquo serpente et libera animas ipsius fraude deceptas, ut reddens eas Domino merearis intrare in gaudium Domini tui.* Hisque peroratis, osculatus est eum, interque amplexus lacrimis invicem se rigantes, post multam lacrimarum effusionem commendantes animas suas Domino, soluti sunt cum pace. Sanctus vero Clemens ad tanti oneris pondus subportandum beato Dionysio idoneos socios totius ecclesiastici ordinis adhibuit, ut in iis partito prædicationis ac sanctæ administrationis opere, facilius posset corda rebellium infidelia a suis pravitatibus refrenare. Inter quos fuerunt et isti patres nostri sanctissimi, Nigasius scilicet a beato Clemente Romæ ordinatus episcopus, Quirinus presbyter ac Scuviculus diaconus, de quibus nobis dicendum est modo. Hi pari voto eademque sententia cum beato Dionysio prædicando ministrando curationumque gratiam operando Parisius accesserunt.

3. Cumque inibi assiduis prædicationibus, vigiliarum orationum pernoctationibus, jejuniorum eleemosynarum largissimis erogationibus, cunctisque bonorum actuum exhibitionibus Domino se sollerter commendare studerent, cœpit eorum meritis jubar veri luminis coruscare ac Parisiorum urbem, cunctis opulentam commerciis ac innumerabilium multitudinum superbam frequentiis, Christi gratia serenare. Nam cooperante Domino ac signis sequentibus eorum prædicationis sermonem confirmante, dæmones ex obsessis corporibus ad invocationem nominis Domini nostri Jesu Christi confitentes ipsum Dominum extrudebantur. Orationibus eorum cæci illuminabantur, membra paralytica signo crucis salutifero consolidabantur, claudorum gressus tactu eorum medicabili erigebantur, cunctorumque adventantum infirmitates per fidem Christi nominis ipsorum meritis ad pristinam salutem reducebantur. At vero sanctissimi comites præclari Dionysii videntes a Deo tantam salutem in urbe ac territorio Parisiorum per servos suos operari, cœperunt et ipsi de talenti sibi crediti propria erogatione meditari, et ut populis diversarum urbium tam e vicino quam etiam longe positarum evangelium Christi ad medelam animarum infunderent cunctis sensibus anhelare.

4. Comperta autem beatus Dionysius hac devotione et intelligens a Deo, a quo bona cuncta procedunt, etiam hanc pronam servorum suorum unanimitatem exire, gratias retulit Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad cognitionem veritatis venire, et convocans sancti collegii fraternitatem exhortatus est in sancto servitio Dei, monens unumquemque pro lege Domini certare usque ad mortem et a verbis impiorum non cedere, sed totam spem suam in Christo fiducialiter ponere, qui eis promisit dicens : *Ego vobiscum sum usque ad finem seculi;* memores semper inter

adversa illius apostolicæ consolationis : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Hæc et alia quam plurima disserendo valedicens dimisit eos, dans caritatis pacem omnibus et commendans eos salvatori omnium Domino. Illi vero dimissi dispersi sunt per universam Galliam, Germaniam, Aquitaniam ceterasque longe lateque provincias, prædicantes evangelium regni superni et sanantes languores omnesque infirmitates.

5. Sancti autem quorum superius mentionem fecimus, id est Nigasius episcopus, Quirinus presbiter, Scuviculus diaconus, audientes... (Tom. cit., p. 629, lin. 11).

Ex codicibus Leod. n° 58 et 256 (1).

DE S. JUSTO MARTYRE. (Vid. supra, pagg. 336, 10° et 354, 4°.)

Incipit prologus in passione sancti Justi martyris Christi [1].

Scripturus passionem beati Justi martyris, simplicitate eloquii auditorum facundiam offendere timerem, nisi scirem indoctis humanæ sapientiæ, quam æterna sapientia, Filius Dei, veniens e cælis destruxit, regnum Dei non constare ; ad quod non disputando, verum bonis operibus insistendo, pervenitur. Ideo quisque imitari, non reprehendere debet quod legit : sua majorum factis æquare, cælestibus suspirare, hinc sese torporis sinu excutere, illinc penna amoris volare; sed hæc ad excusationem nostri sufficiant; jam locum strictim præfigimus nativitatis, ut ad venerandum passionis ejus triumphum mox, Deo auctore, veniamus.

Incipit passio sancti Justi martyris.

I. Regnantibus igitur sævissimis imperatoribus Diocletiano et Maximiano, cum pæne irremediabilis procella persecutionis passim desæviret et multus pro Christi nomine sanguis effunderetur, beatus puer Justus Autysiodori [1] patre Justino, matre Felicia, christianis parentibus, nativitatis sumpsit exordium. Qui, ut spero, jam prætendebat nomine quod postmodum patuit in merito; nam ut sinceritas ejus fidei ad multorum exemplum innotesceret, quantusque lateret in puerili canitie, sic eum dignatus est conditor rerum ad martyrii palmam vocare. Patruus ejus nomine Justinianus in captivitatem ductus fuerat : suisque ignorantibus, Ambianis

Prol. — [1] *om.* 2.
Num. I. — [1] Antysiodori 2 *et sic deinceps.*

(1) De hac Passione vide num. 11 Comm. præv. de S. Justo in *Act. SS.* oct. tom. VIII, p. 325. In notandis lectionibus variantibus, codicem 256 designamus numero 1, codicem 58 numero 2. Ceterum si quæ difficultates occurrunt, elucidatæ fuere, in quantum licuit, in annotatis ad duas alias S. Justi Passiones editas tom. cit., pp. 338, 339 et 340-342.

in obsequio cujusdam negotiatoris Lupi detinebatur. Huic itaque cum novem esset annorum, Dominus revelavit per visum ubi vel qualiter esset, et quia per se ad propria remeare deberet. Quod puer Deo deditus ut viderat, parentibus notificare curavit. Unde factum est ut, audita voce filii, lætus pater super ostensa visione, quæreret aliquem, qui secum proficisceretur ad inquirendum ipsum Justinianum; quo minine reperto, ait beatus ac sæpe memorandus puer Justus patri : *Para, pater mi, itineris suppetias; et me dispositi negotii, volente Domino, habebis socium ; divinæ enim voluntatis est per me implere, quod meæ parvitati disposuit revelare.* Et ille : *Non est,* inquit, *possibile, fili mi, quoniam imbecillitas ætatis, tum longitudo viæ obsistit sine ductore nobis prorsus difficilis.* Mater quoque Felicia cum diceret : *Timeo vitæ tuæ, ne quid tibi ad augmentum doloris accidat,* ille in Domino sperans, cui se totum devoverat, fiducialiter respondit se penitus adversa non formidare, se Christum adjutorem habere, ejusque voluntatem in se impleri optare. Hic parentes videas gaudentes, atque Deo de tanta prolis sapientia gratias exhibentes.

II[1]. Cedunt ergo ætati, et, paratis necessariis, exit pater cum filio de civitate, in mandata properaturus Domini. Et prima mansione manserunt apud Melidonense castrum. Ubi sancti pueri eximiæ pietatis innotuit devotio. Denique cum ab eis cæcus et claudus opem misericordiæ humiliter, utque sui misererentur, orarent, ipse patrem admonuit, quatenus inopes ob Christi amorem reficeret; insuper ipseque misericordiæ visceribus compunctus, veste qua tegebatur, pauperes texit, jam condens cælo quod, carne solutus, erat recepturus a Domino. Pro qua re cum argueretur a patre, respondisse fertur quia, secundum prophetam David, *beatus qui intelligit super egenum et pauperem ; in die mala liberavit eum Dominus ;* et qui nunc dat pauperibus, *justitia ejus manet in seculum seculi,* cum pro modicis magna, pro labentibus stabilia, pro terrenis mercaretur cælestia. Facto autem mane exeunt de castro, prosperoque gressu viam carpentes, jam fervente meridie Parisiorum civitatem intrant, gratia refocillandi lassitudinem; quibus mox obviam fit quidam Appolitus, itidem christianus, cultor eleemosinarum erga omnes et maxime domesticos fidei, juxta apostolum. Is ergo edoctus qui, cujusve religionis essent, quo tenderent, in domum suam eos hortatus descendere, pedes lavit, mensam apposuit, omnique humanitate opipare refocillatos, ad hoc necessariis viæ adhibitis, in pace dimisit.

III. Illi autem muneribus divinis gratias agentes, læti venerunt super ripam fluminis Yseræ ; sed navi[1] non reperta, senior turbabatur, et, ut est consuetudo ejus ætatis, de itineris difficultate querebatur [2]. Et puer ad patrem : *Quid,* inquit, *turbaris sine causa ? quid incassum te affligis ? spera in Domino, qui non derelinquet servos suos, quos hactenus consolatus est. Et ecce, jubente*[3] *clementia, homo cum navi statim descendet, cujus vehiculo transibimus.* Vixque verbum ediderat, et homo cum navi veniens properabat. Vere templum Dei, sacrarium Spiritus sancti, quod

Num. II. — [1] om. 2 *et reliquorum etiam numerorum indicationem.*
Num. III. — [1] uia, *prius* viam 2. — [2] (et ut est-querebatur) *om.* 2. — [3] *sequitur verbum erasum in* 1.

ore sic indubitanter promebat, ab interiori hospite affluenter hauriebat. Cum igitur eum sanctus rogaret, transposuit eos, et dum, suggerente beato Justo, vellet Justinus laborem ejus mercede donare, accipere noluit; sed hortatos labori viæ restituit. Didicerat enim eos esse christianos, et pro caritate proximi tantam itineris prolixitatem subire.

IIII. Illis autem properantibus, multis laboribus et difficultatibus insumptis, post paucos dies ventum est ad diu quæsitam Ambianensium civitatem [1], ubi quæsitum et repertum prædictum negotiatorem his verbis [2] conveniunt : *Famam tuæ bonæ conversationis, quodque christianus effectus sis, præterea qualem misericordiam impendas maxime captivis, audivimus ; et gavisi sumus. Relatum est etiam nobis propinquum nostrum, in hanc patriam transductum, apud te conversari. Quapropter volumus data redemptionis pecunia, si tuæ placet fraternitati, eum ad propria post multa annorum curricula deducere.* At ille qui essent, cujusve religionis, quo nomine vocaretur quem quærebant, diligenter cœpit inquirere. Ad hæc occulte respondit Justinus, se christianos esse, Autysiodorenses natione; fratrem quem quærebant, Justinianum vocari. Titulus enim christianitatis, cum nusquam eo tempore honori, ibidem maxime ducebatur supplicio, quod nimiæ crudelitatis bellua, Rictiovarus scilicet præfectus, humano ibi sanguine pascebatur; quem ad exstinguendum christianos, quorum supra meminimus principes, urbi præfecerant, quique non tantum ex præcepto, quantum crudelis erat ex voto. Propterea dixit Justinus occulte, quia *christiani sumus.* Nemo enim audebat se manifestare, nisi qui decreverat pro Deo mori.

V. Post hæc dixit ad illos præfatus negotiator : *Accedentes ad domum meam vesperi, et quiescite mecum hac nocte, et considerate utrum inter pueros qui mihi sunt ministraturi, ipsum quem dicitis, valeatis recognoscere. Quod si acciderit, dato pretio pro quo detinetur, in patriam cum Dei benedictione reducatur.* Placet utrisque pactio, illisque hospitio succedentibus, Lupus non immemor suæ sponsionis, duodecim protulit servos, inter quos Justinianus minime est repertus. Egerat enim arte prædictus hospes, ut seorsim positum nosset si post multos annos eum vel frater recognosceret. Sed cedant necesse est humana, ubi divina præsto sunt ingenia; beatissimus enim puer Justus Spiritus sancti gratia repletus, prior cognovit patruum, quem investigabant, inter adstantes, non ante visum; tandemque in hæc verba prorumpens: *Adest,* inquit, *quem quærimus, virorum optime, ecce lumen ipse accendit. Hi omnes in tui remaneant obsequio ; horum, ut libet, utere servitio: neminem præter hunc quærimus.* Cujus vocem cum pater approbaret, miratus, quod se non eatenus visum tam prudenter extra ceteros secerneret [1], ipse Justinianus [2] exclamat hunc vere beatum, hunc cælestem scientiam habere, qui nunquam visum tam perspicaciter cognosceret, tam scienter etiam, Justino ignorante, annotaret.

VI. Hæc dum utrimque dicuntur et sermo longius protrahitur, ecce adsunt

Num. IIII. — [1] urbem *post ras* 2. — [2] (ubi-conveniunt) *om.* 2.
Num. V. — [1] se cerneret 1, 2. — [2] Justianus 2.

quidam ex militibus Rictiovari tyranni, quem paulo superius commemoravimus persequi christianos; qui dum quod christiani essent cognovissent, statim quasi gaudium relaturi domino, nuntiant esse quosdam in urbe christianæ superstitionis cultores, magicis artibus suæ deorumque voluntati contrariis insistentes; decerneret quid de his fieri deberet, ne, illis evadentibus, etiam malum publicum supercresceret. Quo audito, tyrannus jussit ut redeant velociter, remque diligenter perscrutentur, inventosque rebelles divinis numinibus, vel suæ præsentiæ statim repræsentent, aut traditos custodiæ in crastinum puniendos reservent. Verum interea prædictus negotiator, ut erat vere christianus, memor nequitiæ tyranni, quanta videlicet inferret Christi confessoribus supplicia, admonuit prædictos viros, ut sumpta pecunia, quam ad redemptionem Justiniani obtulerant, una cum ipso ab urbe discederent, ne indignatio sævusque furor principis[1] involveret, ipseque qui vix latebat, secum interiret[2]; ad cujus admonitionem illi egressi sunt de civitate.

VII. Venientes autem ministri iniquitatis, non inventis illis, nimio furore succensi, retulerunt præfecto quæ acciderant. At leo immanissimus prædam sibi ereptam ingemiscens et totis sensibus evasorum sanguinem sitiens, præcepit satellitibus, ut festinarent eos persequi et comprehensos aut sibi repræsentarent, aut gladio punirent. Inter hæc benedictus Dei puer Justus pervenit cum suis comitibus in territorium Belvacense in locum videlicet cui vocabulum est Synomovicus, ubi fons purissimus et ad potandum habilis sese offert iter facientibus. Hic primum Justinianus ad fratrem : *Quoniam*, inquit, *itineris prolixitate, tum æstu ferventis solis lassi sumus, requiescamus hic, si bonum tibi videtur, paululum; et sumpto cibo, quia hora exigit,* — erat enim quasi sexta, — *roborato*[1] *spiritu melius reliquum itineris, Deo præsule, peragamus.* Illis itaque, ut placuerat, pro fontis amœnitate discumbentibus, sancti Spiritus habitaculum sæpe memorandus Justus, divino oraculo præmonitus, sic ait ad illos : *Ecce tyrannus, quem sperabamus nos posse declinare, satellites suos in exitium*[2] *nostri dirigit, qui nos aut vinctos reducent aut morti cruciatos tradant. Audite ergo consilium meum, ut possitis vivere; adest spelunca opportune. Venientibus illis, vos absque mora in eam intrate; me enim oportet cum illis conflictum habere.* Et cum insuper, quod divinitus præscierat, illis recumbentibus, sedulus speculator præstolatur, ecce persecutores a longe equis sudantibus concito gradu properare videt, istisque adhuc remorantibus, atrium speluncæ ostendit et intrare compellit. Ipse autem signo Christi se muniens, totamque sui fiduciam in ipso, cui se totum devoverat vivumque holocaustum effecerat, ponens, intrepidus persecutorum impetum exspectat, felici cruore militaturus.

VIII. Appropiantes igitur lictores cœperunt terribili voce sanctum Dei martyrem interrogare de parentum discessu, de religionis professione, quo illi abissent,

Num. VI. — [1] *supple* eos. — [2] interirent 1, 2.
Num. VII. — [1] roborato *corr. ex* roboratu 1; roborati *corr. ex* roboratu 2. — [2] exitum 2.

quid iste profiteretur. At ille unum tantum patrem suscipiens in cælis, constanter respondit se christianum esse; se unum et verum patrem Christum in cælis habere; se illum solummodo confiteri et adorare, quem isti miseri cum domino suo nescirent. Tunc illi veritate magis efferati, postquam se vident contemni, dixerunt: *Ut quid, parve puer, tu talia loqueris? nescis quia in manus nostras traditus es sive ad mortem, sive ad vitam?* Et ille: *Vivit Dominus et benedictus Deus meus; ipse est mihi vita et mors.* Ad hæc isti respondent: *Recede, puer, ab hac stultitia qua teneris, ne male de superficie terræ pereas.* Sanctus martyr constantior præsentia Dei effectus: *Stultus*, inquit, *non sum, qui sapientiam quæro, colo et confiteor; sed vos profecto stulti et cæci estis, qui Rictiovaro, perpetuæ mortis filio, ad iniquitatem obœditis. Quapropter oportet vos perpetuo igne cum ipso cremari, ut cujus estis participes criminis, sitis etiam pœnalis remunerationis.* Tunc illi tantam sancti constantiam non ferentes, simul dolentes a puero vinci, dicunt inter se non debere talem vivere, ne ejus errore multi decepti perirent. *Quapropter amputetur*, inquiunt, *caput ejus, et ad indicium patratæ jussionis domino nostro præfecto feratur.*

VIIII. His auditis, sanctus martyr, lætus de promissa corona, fusa silenter oratione, ait: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum, qui non derelinquis humilitatem præsumentium de te, et in sua vanitate gloriantium superbiam humilias. Infunde adhuc, Domine, quid in tuo honore dicam, ut erubescat hæc victa portio diaboli.* Tunc vox cælitus emissa insonuit, dicens: *Confortare, gaude, et esto robustus: hodie enim coronam lætitiæ et stolam gloriæ mereberis de manu Domini, et cum angelis perpetuo gratulari.* Et illi: *Gratias*, inquit, *ago tibi, Pater et Rex cælorum, qui me puerulum tua misericordia innocentem ad titulum tuæ confessionis vocare dignatus es, et inter martyres coronam vitæ indulgere.* Hac oratione expleta, quidam lictorum amputavit sanctum caput ejus, cervice extenta. Sed qui stulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ea quæ non sunt, ut quæ sunt, destrueret, quatenus ostenderet, non despiciendos, qui propter nomen suum humiliantur, simul quod prædixerat factis roboraret: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, et postea non habent amplius quid faciant,* sanctum corpus jam exanime divina virtute elevavit, atque obtruncato capite manibus martyris imposito oravit ejus anima, miro et tremendo spectaculo adstantium, quod statim ipse, Domino tribuente, promeruit. Moxque lux intolerabilis persecutorum oculis illuxit, cum qua vox illapsa dixit: *Veni ad præparatam tibi in cælestibus mansionem, percipe coronam vitæ in cælis, pro qua meruisti triumphare in terris.* Tunc crudelitatis auctores, nimio pavore soluti, se illæsos evadere gaudent; factumque est ut qui erant suam renunciaturi victoriam, confusi referrent alienam; et cui prævaluerant vivo, fama et laudibus servirent jam defuncto; et qui caput martyris venerant auferre, sua suspecti metuunt amittere.

X. His igitur sic redeuntibus, parentes beati martyris, qui se ad ejus jussionem in atrium speluncæ sustulerant, egressi viderunt non sine admiratione cadaver stans et adhuc caput in manibus tenens; cumque Justinus diceret: *Frater, quid facturi sumus? Quomodo hoc sancti martyris corpus sepelire debemus, cum nec in*

isto loco aptus sit sepulturæ situs, et prolixitas viæ prohibeat ne Autysiodorum[1] *reportari valeat?* auditur vox quasi e capite beati athletæ, ut in supra dicta specu, antiquo ædificio[2] hedera cooperto quæsito, corpus collocent, caput genitrici referant, denuntient uti se in cælesti mansione, in æternæ lucis claritate, si se videre velit, requirat. Requievit ergo ibidem multo tempore. Quantumque apud Deum valeret, frequenti cæcorum, claudorum vel qualibet imbecillitate detentorum curatione commendavit.

XI. De quibus haud piguit unum inserere equidem oppido mirabile et forte incredulis minus credibile; sed dum singulis annis innovatur, vota credentium ardore fidei in Dei et martyris amorem augentur, et confirmata veritate tepidus auditor redarguitur. In fulgente igitur semper votivo gaudio hujus patroni nostri solemnitatis, ipse rivulus, qui derivatur de sinu superius memorati fontis, ostendit quasi venam sanguinis. non aquæ quidem immixti, sed tamen per ipsum alveolum effluentis; ubi loci incolæ et plures undique secus solemniter concurrentes vota sua fideliter offerunt Deo et sancto martyri, et ignem amoris, quo fideli pectore ardent, accensis circa ipsum fontem cereis innumeris, protestantur quantum valent. Nam ibidem augusta resplendet ecclesia, tum sancti martyris memoria venerabilis, tum devotione populi insignis. O gloriosa vulnera militis suscepta pro tanti devotione imperatoris! quam gloriosum est in his militare castris, in quibus et inexpugnabiliter vincas, et post triumphum incomparabiliter de corona gaudeas! Donant quidem terreni principes fortissimos, sibique fidos milites donant. Unde? Utique coronis marcentibus[1], umbraticis, caducis, fragilibus. Imperator autem noster talia suis et arma providit bellantibus, et dona victoribus, quibus hostis invidere, nequaquam vero possit adimere. Quid putas huic fideli martyri[2] suo paravit in regno, cui tanta contulit in stadio? Quid rependit in victoria, qui tantum glorificavit in pœna? Quid habet in gloria sua, qui sic gloriose vivit in memoria? ubi quippe tanti fulget frequentatione miraculi, nec parvas quidem reliquias nunc habet corporis (1). Qua de re quid aliud in tam glorioso vult facto ostendere, nisi majora se posse præstare, sicut sæpe, Deo gratias, experti sumus, ubi præsentior est corpore? Agamus igitur Deo gratias de patrono, et ut adjutorem habeamus in tempore opportuno, intentionem nostram de amore seculi transferamus in cælum. Sed quoniam paululum ab inceptis excessimus, ad superiora jam narrationis nostræ articulum, Deo juvante, reflectamus.

XII. Post hæc supradicti fratres corde et sanguine læti non sine laudibus divinis Autysiodorum post paucos dies ingrediuntur, habentes incomparabiles gemmas secum, caput scilicet martyris Christi. At mater Felicia inquisivit cur puer secum non rediret, si adhuc viveret; an vita excessisset, insinuarent. Et Justinus: *Credo,* inquit, *et absque ambiguitate scio quod vivat in æternum.* At Justinianus, addito

Num. X. — [1] Antisyodorum 2. — [2] ædificatio 2.
Num. XI. — [1] marcescentibus *corr. ex* marcentibus. — [2] martyrii 2.

(1) De reliquiis Malmundariensibus agit Comm. præv. de S. Justo, num. 46 sqq. (tom. cit. p. 333 sqq.).

ordine rei, affirmat eum esse mundo mortuum, vivere autem Deo; simul præferens caput ad indicium. Ad hæc religiosa genitrix, incomparabili gaudio exsultans, ait: *Gratias ago tibi, Domine rex omnium, quæ licet sim peccatrix, fructum ventris mei non despexisti sanctorum tuorum numero sociare. Concede ut pro nostris excessibus apud te exoret nosque in hoc prælio viriliter decertare faciat, quatenus quos habuit in terris genitores, habeat in cælis vitæ consortes.* Hac oratione expleta lota facie (orabat enim cum lacrimis), dignis linteaminibus circumdatum caput pretiosissimi martyris in domo sua pependit. Ubi ad mirificandum testem suum, hujusmodi miraculum Dei potentia declaravit: succedentibus enim noctis tenebris, mira claritas super ipsam domum infulsit; unde non solum ea, verum etiam tota urbs sole clarius resplenduit.

XIII. Iisdem temporibus, prædictæ civitatis erat pontifex nomine et meritis Amator; is cum diluculo matutinis laudibus solemniter adimpletis, ascitum clerum de prædicto lumine consuleret, et nihil certum ab eis disceret, misit quosdam ad domum Justini, ut ab eo certius discerent, sibique renuntiare maturarent. Quibus venerabili episcopo parentibus, enarravit Justinus, quia filius ejus Justus in longinqua regione obisset. *Rictiovari*, inquiens, *ministris nos insequentibus, cum præmoniti ab ipso filio meo, divertissemus in quandam speluncam, eum* [1] *nusquam volentem progredi, discussum, quod christianus esset, quod pro Deo mori quam vivere mallet, interemerunt. Cumque illi dicessissent, nos divinitus invento ibidem sepulchro ejusque corpore sepulto, recessimus, nobiscum habentes ejus caput. Quod cum suspensum penderet in domo mea hac honorifice, ecce hora tertia noctis lux de cælis emissa domum totamque urbem, sicut testes astatis* [2], *illustravit.* His auditis, qui missi fuerant a sancto pontifice, gratias retulerunt Deo, qui semper circa servos suos tanta miracula operatur. Quod cum etiam episcopo nuntiarent, ipso præcipiente, hymnisonis laudibus exhibuerunt illud sanctum caput, ecclesiæ tumulandum in sacrario, ubi ipse beatus episcopus decreverat solus carne requiescere, ut, tanti martyris fretus precibus, liberius astaret majestati divinæ. Ad cujus exsequias cum tota civitas læta Deumque glorificans conflueret, interfuit etiam quædam puella, ejusdem loci incola, annorum circiter sedecim, et a nativitate cæca, orans tota fide ad sepulchrum, ut sui misereretur, indulgeret quod natura sibi denegaverat, et qui cælesti lumine frueretur, se cæcis tenebris damnari non pateretur. Cujus precibus et fidei oratio favit martyris; cæcitatem amovit, visum concessit; laudes et vota populi auxit. Alia perinde miracula et sanitates Dominus quotidie precibus martyris operatur; sicut exposcit fides petentium. Unde et nos qui ejus solemnitati astamus, immo omnes ipsum fideliter oremus, ut participium nobis concedat sui nominis, quatenus veræ justitiæ inhærentes, cælestis regni cum ipso mereamur fieri participes, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula. Amen.

Explicit passio sancti Justi martyris Christi [3].

Num. XIII. — [1] cum 2. — [2] *litteræ* as *supra ras.* 1. — [3] (Explicit-Christi) *om.* 2.

Ex codice Leod. n° 256.

MIRACULA S. PETRI. (Vid. supra, pag. 354, 3°.) (1)

1. Primus apostolici ordinis ubique diem glorificat suæ passionis, sed in eo loco permaxime ubi servantur ipsius reliquiæ. Quod nos qui in dies eis assistimus sæpenumero experti sumus; justumque videtur ejus instare præconiis, cujus evidentissimis evidenter perfruimur beneficiis. In ea die jejunii, quæ diem antecedit apostolici triumphi, innumeri fidelium ex antiqua consuetudine cum muneribus festinant ad gaudia sollemnitatis apostolicæ. Adsunt etiam diversi diversis infirmitatibus pressi, cupientes virtutem experiri in sua curatione quam claudus olim expertus est in sua erectione. Hac spe vel desiderio miserandus adductus est homo, qui loris astrictus, — erat enim dæmone plenus, — in manibus se tenentium sæviebat, sæviensque in obvios sibi dentibus irruebat. Erat videre miseriam : hominem sanum * pati insaniam, hominem torqueri a dæmone, nec dæmonem videri in homine. Dumque diutinis diu afficeretur cruciamentis, tandem possessor iniquus palam coactus est detegere thesaurum, quem nobis quidem notissimum, sed plerisque eatenus constabat esse occultum. Nam sacramentis et conjurationibus per Christi nomen sanctique Petri prodire compulsus, effudit talem divino numine vocem : *Scio, nec diffiteri oportet quod scio me Christum nosse, me Petrum non ignorare, cujus dentium geminis muneribus, uno videlicet dextro alteroque sinistro, honoratur iste locus.* Cujus sententia professionis auctoritate solidata est curationis.

* *cod.* insanum.

Dæmone fit vacuus, fuerat qui dæmone plenus,
Et Petri meritis expulsa sorde latronis,
Purgavit Christus quodcumque infecerat hydrus.

2. Et quia se præbet occasio, et ad id loci venimus, dignum videtur huic opusculo inserere quid in hac dedicationis die recordationi futurorum Deitatis fuit ostendere. Materfamilias hujus vici incola vocabulo Engelburgis panes præsumpsit coquere, postquam sollemnis observantia singulos resolverat ab opere; quos in crastinum prolatos utque pueris suis distribueret fractos, sanguine recenti repperit infectos. Res palam comperta et mulieris redarguit audaciam, et servandæ deinceps tantæ benedictionis attulit fiduciam.

3. Opus etiam persimile contigit aliquando in Alrici monte. Paterfamilias per æstum diei laboribus instans manuum, ad vesperam domum reversus est ut reficeretur post jejunium, -- inerat enim principis apostolorum vigilia, quæ a plerisque observari solet in pane et aqua. — Quo adversus conjugem alias deditam et idcirco panes facere oblitam stomachante, nec mora, panis compositus atque in

(1) Ex sequentibus num. 1 post num. 32 miraculorum in *Act. SS.* l. c. editorum subjiciendus est, numm. 2 et 3 post num. 42, num. 4-6 post num. 48.

cineres projectus est; sed ad vescendum interioribus ejus patefactis, res apparuit admirabilis et in generationes futuras memorabilis: quia in manibus frangentis cruorem ex eo videres effluere, sicut fit ex hominis alicujus vel pecoris recenti vulnere. Expavit homo vehementer respuitque detestabile prandium; factoque mane, utrumque panis dimidium conspectibus intulit omnium, quos e diversis partibus unanimitas devotionis invitaverat ad diem festum. Hic quantum admirationis in populo, quantum acclamationis fuerit in apostolo Petro, non est qui sufficiat in eloquendo. Nos vero utriusque virtutis operationem tamquam desides posteris mandavimus per hanc lectionem, ut teneatur * memoria quantum utrique festo debetur in observantia.

* *cod.* tenatur.

4. Habemus et alia æque stupenda vestræ, fratres, notitiæ referre miracula quibus divina pietas hujus sancti loci glorificavit * dignitatem, ut eo majorem debito devotionis obsequio ei exhibeamus reverentiam. Contigit quemdam nostræ ecclesiæ servum iter agentem incidisse in faciem occurrentis inimici; cujus ut imminentem jam sibi devitaret furorem, subito cursu ad proximam pervolavit ecclesiam, posuitque totam spem salutis suæ in sola sancti loci reverenda majestate, quam unum clipeum objecit jaculis et ictibus sævientis inimici. Sed non poterat illi inesse timor Dei cui inarserat violentum odium inimici; nec timuit violare ecclesiam Dei qui fervebat lacerare habitaculum Spiritus sancti, hoc est corpus fratris sui. Itaque post fugientem impetu validissimo se misit; oratorium fractis foribus furibundus irrupit, ipsum altare et omnem in circuitu locum telis stravit. Ille infelix adhuc habens spem conservandæ vitæ in loci sanctitate: *Si*, inquit, *inimice Dei, tua te insania non patitur nostri misereri, cur mihi negatam tibi saltem non impendis misericordiam? Cur mortem meam tuum facis interitum? Nam hic violando hoc corpus inimici, violabis etiam ipsam in qua consistimus domum Dei; hic sumendo de nostro sanguine vindictam, vindictam procul dubio incurres divinam. Certe ut dicitur in proverbio: non sat salubriter sumit pœnam de inimico qui, dum percutit, et ipse percussus tenet campum corpore exanimato. Præterea sancto Petro, cujus me profiteor servum, in effundendo hanc animam maximam irrogabis injuriam, qui revera sanguinem innocentem et injusta mancipii sui vulnera requiret a manibus impiis, et severum potentiæ suæ gladium propter in me perpetratam culpam in tuam denudabit cervicem. Quare si Petri gratiam curas, Petri famulum non lædas, et ne hunc inimicum tuum constituas, parcere huic inimico tuo discas.* Sed quæ preces, quæ correptiones furentem illius reprimerent animum? Illico, Petri contempto nomine, Dei abjecto timore, in illum omni belua sævior irruit, et ante ipsam divinam mensam, quasi in eodem altari immolandum, multis laceratum vulneribus stravit. O miseranda rabies hominis, hominem sacrilega manu in loco celeberrimo mactantis, ubi ille immaculatus agnus Patri quotidie pro nostris immolatur peccatis! O miranda Dei clementia, peccatorem illum non statim digno ultionis gladio ferientis, sed ineffabili pietate eum ad fructum pœnitentiæ expectantis! Et certe illum ad recuperandam * animæ salutem non solum exspectavit, verum etiam quadam certa admonitione revocavit, et ei quid fecisset, qualis esset, in quantum se reum constituisset, indubitabili argumento ostendit.

* *cod.* glorificaret.

* *cod.* recurandam.

5. Nam cum idem homicida forte ad hunc sancti Petri locum gratia privati negotii venisset, et ex more humano causa orandi sceleratum pedem templi foribus inferre voluisset, nullomodo propter scelus admissum meruit tam sanctæ domus aditum, sed, si forte paululum procedere aut limen tangere nitebatur, majore impulsu quam temptasset accedere, retro gressum ferre videbatur; in tantum ut constaret omnibus peccatis suis negari introire in habitaculum Petri. Quidam etiam ex nostris, qui huic spectaculo præsentes intererant, ut homines hominem miserati, laborem ejus et desiderium intrandi, quantum poterant, juvare curabant; quia illum modo inter manus tollendo, sæpe multo conamine trahendo, interdum magna vi a tergo impellendo, subire oratorium conabantur, sed nec ad limen usque tanti reatus mole objecta pertingere valebant. Disce ergo, infelix peccator, et homo hominum miserrime, disce magnitudinem culpæ tuæ; perpende in hac repulsæ vindicta quanta Petrum in servo perpetrata offenderis injuria. Recognosce te peccatorem, et dignam illi offer satisfactionem, ne qui modo ob culpam tui clausit templum, postmodum ob impœnitens cor cæleste etiam claudat regnum. Ecce multorum brachia, multorum vires tua nequicquam exhausit iniquitas; certe te nudum peccato recepisset domus Dei solum sine omni adjutorio.

6. Tunc illi qui causa humanitatis manus ei imposuerant per tam manifestum indicium cognita Petri ira in illum, quia viribus corporis prodesse nequibant, salubri consilio ad salutem animæ ejus converterunt, et ut homicidii delictum lacrimarum fluentis ceterisque culparum remediis lavaret, multis admonitionibus instíterunt. At ille omni saxo surdior cum ingenti indignatione avertens aurem a verbis amicorum : *Quid in hoc,* inquit, *in Petrum commisi reatus, si per me qua dignus erat pœna meus cecidit inimicus? An non mihi soli licuit uti communi jure * gentium, ut de medio tollerem gladio adversarium?* Sic miser ille rejecit a se documenta piæ admonitionis; et jam imminentis nescius ultionis, aucto quia impœnitens permansit peccato, discessit. O justum Petri judicium, qui omnes ex merito salvat vel ferit in toto mundo! Certe peccatori illi, nondum se sibi ostenso, pepercit, ad pœnitentiam expectavit, manum ab ictu ultionis continuit; ostensa autem culpa, quia in malitia perseverare vidit, non ultra vindictam differre voluit. Cum enim iter haberet cum sociis, per quemdam non dico fluvium sed rivulum, aliis omnibus prosperum transitum habentibus, solus ille transire non potuit, sed equo dejectus in tam parva vitam exhalavit aqua, ut verius in nullis quam multis dicatur dimersus esse aquis; quod nullus tuorum, sancte Petre, fidelium illi contigisse ambigat ob injuriam tuo nomini illatam per injustam famuli tui necem.

* *cod.* vivere.

HYMNUS

DE SS. GEORGIO, AURELIO ET SOCIIS

MARTYRIBUS CORDUBENSIBUS.

Reperimus sequentem hymnum in præclaro codice bibliothecæ regiæ Hagensis signato X 73, qui seculo X est exaratus. Sanctorum illorum martyrum Historiam et Translationem ediderat olim Sollerius noster in *Act. SS.*, tom. VI julii, p. 451-469. Quibus corollarii loco hymnum hunc addimus, qui in dicto codice Hagensi ipsorum Passioni subjicitur.

Sanctorum meritis digna trophæa
Pangamus lætis mentibus omnes,
Debita solventes carmina laudum.

Quos memorant terræ jure patronos,
Regna superna tenent sorte beatos,
Laurigeros cœtus * inter ovantes.

Hos de diverso climate mundi
Traduxit Christus lege sub una,
Spectaculum mundo morte futuros.

Prœlia, pressuras, vincula dira
Vincentes mundi, pace tonantes,
Promisso sanctis munere gaudent.

Vere sublimes mentis honore,
Martyrio fortes, morte fideles,
Felices quorum nomen in astris.

Nobis jam petimus, alme Georgi,
Aureli necnon forte juvamen,
Hanc veniam miseris poscite semper:

Ut cum refulgens arbiter orbis,
Advenerit cunctis digna rependens,
Nos Patris ad dextram * sistat in altis.

Laus, decus Ingenito, gloria Nato,
Spirituique Deo tempore cuncto,
Unus, qui in trino nomine regnat. Amen.

* *cod.* cæcus

* *cod.* dexteram

DE TRANSLATIONE

SANCTI EUGENII

AUCTORE

R. P. Dom. Germano Morin O. S. B.

---

§ 1. De Actis S. Gerardi Broniensis ex Translatione S. Eugenii recognitis.

PP. Bollandiani in *Analectis* suis (tom. III, p. 29) ediderunt Acta Translationis S. Eugenii ad cœnobium Broniense, in eximio codice Bruxellensi sæculi X ab ipsis feliciter reperta. Quod quidem antiquitatis monasticæ documentum quanti faciendum sit, et ipsi statim ostenderunt, et ab historicarum rerum studiosis in dies agnoscitur. Est enim illa translatio S. Eugenii fons omnium qui hucusque in notitiam venerunt purissimus et antiquissimus, unde haurire liceat quid pronuntiandum sit de Actis S. Gerardi, Broniensis abbatis atque inter reformatores monasticos seculi decimi haud ignobilis. Dolendum tamen erat quod textus hujusce Translationis aliquibus in locis ex ipsa codicis vetustate nonnihil forte depravatus, immo in fine certe mutilus exstaret. Jam vero alterum eorumdem Actorum exemplar a Domno Lamberto Derhet monacho Broniensi sæculo XVI descriptum reperire nobis contigit inter codices seminarii Namurcensis. Inde tum variantes quasdam lectiones haud contemnendas, tum etiam ultimam partem, quæ in codice Bruxellensi defuerat, exscripsimus; addito insuper fragmento cujusdam sermonis *De Adventu et Translatione Sanctissimi Eugenii martyris,* quem die anniversaria exceptionis reliquiarum (XV Kal. septemb.) Bronienses nostri legere solebant.

Verum priusquam tantilla ista velut fortuito nacti oculis subjiciamus, haud forte supervacuum fuerit, bona lectorum venia, paucis dicere quid jam hisce ex documentis certi constet de Actis beati Gerardi abbatis; quid accipiendum, quidve negligendum ex *Vita* ab omnibus scriptoribus, non tamen absque scrupulis, hactenus recepta.

Inprimis istud pro certo ponitur, tum ex Actis translationis, tum ex prædicto sermone *De Adventu S. Eugenii,* sacras ejusdem martyris exuvias sedente adhuc Stephano Leodiensi episcopo translatas Bronium fuisse, non utique Richario, uti

Byeus (1) post Mabillonium nostrum (2) substituendum putavit. Et inde quidem reformandum posterioris chronographi assertum, translationis eventum nonnisi post novennem Gerardi apud Dionysianos recessum referentis. Etenim, quum annum 920 Stephanus non excesserit, dicendum foret Gerardum jam inde ab anno 911 seculo valedixisse : quod vix ac ne vix quidem cum certioribus quibuscumque documentis conciliari potest.

Ast quid amplius? Negandumne omnino quicquid de Gerardo apud Dionysianos commorante refert posterior vitæ narrator? Durum equidem : præsertim quum ita minutiori cura ibidem referantur Parisiensium præsulum nomina, necnon omnia quantumlibet tenuia particulatim ac stylo sat simplici exposita : ut ea sane ex coæva prioris scriptoris elucubratione deprompta fuisse suspicandum omnino videatur.

Omnibus igitur diligenti labore ac studio perpensis, salvo tamen meliori judicio, sequenti ordine opinamur concinnari posse deinceps rerum Gerardianarum initia.

Regnante Carolo Simplice, nobilis quidam juvenis nomine Gerardus a progenitoribus obtinet allodium Broniense, in pago Lomacensi, ubi jam inde a Pippini temporibus exstiterat oratorium Apostolorum principi sacrum, postea vero paganorum incursione magna ex parte dirutum. De loco dignius restituendo multo tempore cogitat Gerardus (3). Jam vero sive per visum, ut refert posterior biographus, sive alio quocumque modo spem affuisse beato viro adipiscendi reliquias beati Eugenii manifestum apparet, tum ex infra dicenda fundationis charta, tum ex Actis translationis, numm. 11-13, ubi dicitur ante unum translationis annum exstructum fuisse novum oratorium nec sine invocato sancto martyre, cujus reliquiæ ibidem erant collocandæ.

Ergo anno, ut videtur, 918 manum operi præconcepto admovet Gerardus (4), et suffragantibus B. Petri meritis, cooperantibus etiam pro sua devotione vicinis incolis (5), mira celeritate ædificium basilicæ atque ipsius cœnobii perficitur. Quo completo, ibidem a fundatore collocantur clerici (6), id est monachi, nam eo usque sæculo X patebat adhuc nomen, nec ullibi in *Translatione* agitur de monachis postea substituendis, et jam ipso anno 919 invenitur Broniensis æditius Anselmus (7), quem ex narrationis decursu constat monachum fuisse. Certe refert Translationis scriptor Gerardo jam olim monachos familiariter adhæsisse (8). Unde, ut puto, justo strictius interpretatus fuerit posterior beati Viri historiographus quod de *clericis* in actis Translationis dictum invenitur.

Monachis apud Bronium delegatis beatus Gerardus victum providit „ *velut in scripto continetur* „, ut in iisdem Actis (9). Quibus verbis alludi reor ad ipsammet Chartam fundationis, datam die 2 Junii 919, indictione VII, anno Karoli regis octavo, scilicet ab exeunte anno 911, quo per mortem Ludovici rediit ad eum

(1) *Acta SS.*, tom. II Octobr., Comment. præv., numm. 41, 42, 53, etc. — (2) *Annal. bened.*, ad an. 928, num. 8. — (3) Translat. Eugenii, numm. 1, 2. — (4) Ibid., num. 2. — (5) Ibid., numm. 12, 13. — (6) Ibid., num. 2. — (7) Ibid., num. 9. — (8) Ibid., num. 6. — (9) Ibid., num. 2.

Lotharingiæ dominium. Hoc instrumento confert Gerardus quasdam possessiones cœnobio quod in honorem SS. Petri et Eugenii condere statuit apud Bronium, et ubi seipsum postea divino servitio mancipandum sperat (1).

Post hæc, ut prosequitur Translatio (2), proficiscitur sanctus vir in Gallias, apud Leutgarium primo Diogilensem abbatem, ac rursus ad Dionysianum cœnobium novellæ suæ fundationi cælestium patronorum, præcipueque sancti Eugenii martyris reliquias comparaturus. Votorum demum effectu potitus est, juxta sermonem infra edendum, die 29 Julii, *temporibus Karoli reclusi, Theodulpho regente episcopatum Parisiacensem, atque Roberti comitis et abbatis prædicti monasterii* (sc. Dionysiani.) Concordant hæc omnia cum anno 919, quo translationem factam fuisse opinamur.

Regreditur igitur Gerardus adeptus thesaurum, et comitantibus suis *complicibus* (3), quibus videntur adnumerandi Letaldus beati viri in regendo cœnobio Mosomensi successor, et Anselmus prædictus, Bronii deinceps æditIuus (4). Depositis apud Cuvinium sacris pignoribus, rem Stephano episcopo delaturi festinant. Denique, ut cetera omittam, die 18 augusti pretiosas reliquias Bronienses excipiunt, quæ in novo S. Petri oratorio jam perfecto reponuntur (5). Postea Stephanus commutat sententiam erga Eugenium, cui tamen, divinitus correptus, deinde amplius favet in synodo, verisimiliter hiemali ejusdem anni (6).

Anno sequenti, 920, die 19 maii vita excedit Stephanus Leodiensis episcopus (7). Anno 921, Carolus rex cum exercitu suo per Lotharingiam iter confert versus Aquisgranum (8). Ibidem, die 27 augusti ejusdem anni, beatus Gerardus per comites Haganonem et Ermenfridum regem Carolum adit, a quo diploma impetrat pro Broniensi cœnobio (9). Ibi quidem mentio fit antiqui oratorioli seu cœnobioli haud ita pridem in melius exstructi, necnon reliquiarum illatarum. Ex eo etiam videtur Gerardum nondum abbatem, sed nec monachum fuisse, quum ipsi velut laico fundatori permittatur locum recens conditum alicui abbati regendum commendare. Jam vero in donatione facta cœnobio Broniensi a Waltario Turonensi S. Martini presbytero, die 18 decemb. 923 (10), Gerardus titulo insignitur abbatiali.

Inde ad annum usque 932, altum de Gerardo silentium. Num interea contigit secessus Gerardi apud monasterium Dionysianum? Haud impossibile quidem : cum vero nec ulla satis valida argumenta adferri queant, interim meris conjecturis supersedendum satius ducimus.

Iterum jam conversus, imo et abbas dicitur S. Gerardus in Rescripto regio Hen-

(1) Hanc chartam, sicut et ceteras ad Broniense monasterium spectantes, ampliores atque accuratius quam alibi descriptas apud nos habemus in Historia mss. cœnobii, auct. D. Eugen. Massart. — (2) Num. 3. — (3) Translatio, num. 5. — (4) Cf. *Act. SS.*, tom. II Octobr., p. 232, num. 49. — (5) Ibid., numm. 7, 12. — (6) Ibid., numm. 8, 9. — (7) Cf. De Theux, *Le Chapître de S. Lambert à Liège*, tom. I, p. 18, not. 4. — (8) Translatio, num. 20. Cf. Walther Schultze *Gerhard von Brogne und die Klosterreform in Niederlothringen und Flandern. (Forschungen z. d. Gesch., Bd. XXII*, p. 269). — (9) Wauters, *Table chronologique des diplômes*, etc., tom. I, 335. — (10) Ibid., p. 653.

rici cognomento Aucupis, quod vulgo refertur ad annum 932. Ipsius item Gerardi abbatis jussu conscripta est narratio miraculorum S. Eugenii, inter annos, ut videtur, 935 et 937 (1) : ubi tantum in parte posterius addita, scilicet num. 40, commemoratur aliquis Broniensis abbas. Et revera in Vita posteriori, inter res a Gerardo præclare gestas, primo secundum temporum seriem memoratur reformatum ab eo monasterium Cellense, seu S. Gisleni : quod circa annum 933 probabilius evenit.

Ultima denique temporum nota ex novis hisce documentis colligi potest, scilicet consecratio novi oratorii Broniensis, et benedictio monasterii a Richario Leodiensi episcopo impertita. Contigit hæc, juxta sermonem infra edendum, VIII kalendas Martii, ipso die Cathedræ Petri sacro, regnante Henrico rege, ac proinde ante medium annum 936.

§ II. Actorum Translationis S. Eugenii lectiones variantes et ultima pars ex codice seminarii Namurcensis.

ANALECTA BOLL.		COD. NAMURCENSIS.
Pag. 31, lin.	1. super ripam Bornon.	super rivum Burnon.
	18. alterum lævam.	alterum ad lævam.
	21. Scanctoriam.	Sanctoriam.
	27. qui in Francia.	qui instantia.
	31. venta est.	inventa est.
Pag. 32, lin.	4. Complevit.	*Hic in* Cod. Namurcensi *referuntur miracula quæ ipsius templi ædificationem præcessere vel comitata sunt : scilicet* Anal., pp. 37-39, nn. 11-13. *Videtur scriba sæculi XVI hoc in animo habuisse ut in antiquiori documento narrata juxta temporum seriem disponeret.*
Pag. 37, lin.	13. Haud longo post tempore, id est in anno ipso antequam sanctissimi corpus in Bronium adventasset.	Miracula in fundamento templi ostensa. Temporibus Charoli regis, *omissis ceteris.*
Pag. 38, lin.	3. plectrum verbi gestans, ore clamans vehementi atque terribili.	plectrum verbi gestans ore, clamans vehementi atque terribili voce.
	4. appropinquavit.	appropinquabit.
	16. Folcradus.	Folcardus.

(1) Schultze, loc. cit., p. 270.

ANALECTA BOLL.	COD. NAMURCENSIS.
30. a sæculo inito.	a sæculi initio.
32. Bermeriacas.	Berberiacas.
33. deferentur.	deferretur.
Pag. 39, lin. 7. Eugenii ... invocavit.	Eugenii merita invocavit.
11. ante Deum.	ante Dominum.
	Sequitur in Cod. Namurc. *Completo itaque* Anal., p. 32, lin. 4.
Pag. 32, lin. 23. quiescunt (cod. duescunt).	cluescunt.
Pag. 33, lin. 4. divinitus.	et divinitus.
9. in pago Teoracensi.	Lomacensi.
21. cunctis.	*add.* scire volentibus.
31. verbis.	querelis.
Pag. 34, lin. 12. unde.	inde.
13. habens secum.	In Cod. Namurcensi *inseruntur ea quæ habentur* num. 14-16 Analectorum.
Pag. 39, lin. 13. deferuntur.	deferrentur.
14. Roslerum.	*in marg.* Roslée.
14-15. villa in pago Lomacensem.	villam, in pagum Lomacensem.
21. per.	pro.
Pag. 40, lin. 28. nequivit.	nequivit. Ergo qui custodivit Jonam in ventre ceti, ille ipse servavit agnum in ore lupi. Christe. *etc.*
33. quiret.	*Sequitur in* Codice Namurc. Ea tempestate Adelelinus, *ut in* Analectis p. 34, lin. 14.
Pag. 36, lin. 3. venturam.	futuram.
Pag. 42, lin. 4. Passione.	*add.* sicut supra diximus.
6. et in Lomacensi pago et in omni sua diœcesi.	in Lomacensi pago, et postea Richarius episcopi in omni *etc.*
11. jusserant.	jusserunt.
Pag. 42, lin. 19. domo.	domi.
Pag. 43, lin. 16. Ille.	*add.* venire.
32. dignati.	dedignati.
Pag. 44, lin. 1. perfecto.	profecto.
24. una.	unum.
Pag. 45, lin. 30. populi sunt.	populi multi.
Pag. 46, lin. 2. Ideo, inquam, sine causa.	Ideo aut (haud ?) sine causa.
11. experti sunt plures.	*add.* et ego qui scripsi pluries.
34. Deonaut portum.	Deonantense castrum.

	ANALECTA BOLL.	COD. NAMURCENSIS.
Pag. 47, lin.	22. nolens.	volens.
	35. nymphæ.	lymphæ,
Pag. 48, lin.	8. Nos ergo qui huic non interfuimus.	*abest particula* non.
	18. Patratus.	patratum.
	30. vis divina.	vis digna.
Pag. 49, lin.	3-4. referebant, quidam porcelli.	referebant quidam, porcelli.
Pag. 50, lin.	3. cœtum.	conventum.
	17. Item.	*Hæc vox abest in* Cod. Namurc.
	19. strata.	structa.
	22. venerant.	venerantur.
	30. deturbatam.	declinatam.
Pag. 51, lin.	5. abscidimus.	abscindimus.
	26. sensum.	sensim.
	26. ac sic.	ac si.
Pag. 52, lin.	3. sed per.	*abest particula* per.
	4. Christus, quæ.	Christus, quem.
Pag. 53, lin.	2. restituit.	*Hoc loco in* Cod. Namurc. *leguntur ea quæ habes* Anal., p. 54, num. 34.
Pag. 55, lin.	5. ire.	iterum.
	16. Eugenius.	*add.* erat.
	20. atque adhærentum sibi.	atque ad suavissimam placidamque sibi.
	22. numerositate.	numerositatis.
	24. artibus cedit.	arcibus concedit.
	25. gerarchia.	hierarchia.
	27. præsagus.	præsagiis.
	30. occulans.	non curans.
	31. dijudicatur.	dividitur.
Pag. 56, lin.	3. tenuo.	tenui.
	6. Ermeslindis.	Engeldrudem.
	9. fundatenus.	funditus.
	14. venerabant.	venerabantur.
	23. ad.	adit.
	24. namque.	*desideratur in* Cod. Namurc.
	27. principalem coram altare.	principali coram altari.
	28. per omnem.	per totam.
	28. prostratus.	se prostravit.
	29. implorabat.	implorans.

ANALECTA BOLL.	COD. NAMURCENSIS.
30. peragens.	peragit.
Pag. 57, lin. 4. latæ.	latum.
5. Tu zabulo persuadente.	Tum zabuli persuadente principe.
12. meæ invalitudinis.	meæ natæ valetudinis.
Pag. 57, lin. 16. emittunt.	emittent.
24. estis.	est.
25. impende.	impendet.
29. ele ... *Reliqua desunt in* Cod. Brux.	*Prosequitur* Codex Namurcensis :

Elevata in pedes constitit. Etenim qui increduli nervorum contractione adeo extiterat debilitata, per sancti præsulis merita tale recepit remedium, ac si numquam sui corporis ullum passa fuisset incommodum. Dumque cunctis circummanentibus foret notum quod fuerat gestum, innumeras omnipotenti Deo gratias totis rependerunt præcordiis viscerum, qui tale per famulum suum declarare dignatus est miraculum.

XXXVIII. Illud quoque operæ pretium credimus fore, si calamus exarando pandat liquide, quod polorum ac telluris pontique rector per egregium pontificem preciosissimumque martyrem suum, scilicet Eugenium, est dignatus operari præsagium. Fuit namque quædam mulier nomine Eugela, quæ proprium relinquens virum, sancto velamine operta, cœnobio sese junxit sanctimonialium, qua venerabatur sancta Gertrudis Christi inclita famula (1). Ast demum carnis voluptate devicta, sacrum respuens velum, jam relicto iterum copulatur marito, statimque cœpit agitari a spiritu maligno. Quæ ob recuperanda pristinæ sanitatis commoda, ad cœnobium sancti Martini, nec non ad beati Foillani, ac per alia multa loca sanctorum est ducta; sed sancti Dei famuli, ut revelarent quanta esset sancto martyri Eugenio gratia depellendi ab humanis corporibus ægritudines a summo concessa opifice, illi donum sospitatis noluerunt * condonare. Quadam vero nocte in visu admonetur, ut ad celebrem memoriam

* *cod.* voluerunt.

(1) Nempe in cœnobio S. Gertrudis apud Nivellam in Brabantia.

sancti Eugenii martyris pro recipienda sanitate concite properaret. Qua deducta, dum coram altari venisset, beatique martyris calceamenta ad osculandum coram ea deportarentur, obviam admodum currere cœpit, supinaque in terram proruit, atque magno clamore cœpit cunctorum voces animalium imitari. E quibus clamoribus universi circum degentes, nonnulli longe manentes ad monasterium perterriti cucurrerunt, quod cernerent eventum tam inauditum. Nam loquebatur deformiter, et cuncta inhonesta promebat, et in homines procaciter intendebat. Tandem vero elevata, dieque secundo posita vase aqua benedicta pleno, exorcizatur a fratribus imbre ecclesiastico. Tertia vero die fratribus pro ea jejunantibus, ut iterum exorcizaretur ab uno ex fratribus, Berengario nomine, qui interpretatur bene gerens, interrogata est, cur eam nequissent eripere a tam pessima vexatione. Tunc inimicus intro cum voce teterrima respondit : *Vos*, inquit, *oblatas quæ ad Corpus Domini sanctificantur ac litantur indecenter servatis, quandoque, quod pejus est, pedibus sæpissime conculcatis, cibumque ac jus in terram negligendo fundere sinitis. Ideo ergo qui res Domino immolatas irreverenter tractatis, istæ mihi traditæ subvenire, quique sacra negligenter custoditis, illam a Domino maledictam liberare non valetis. Attamen ille felix Eugenius inimicus principis nostri cunctorumque satellitum ejus, una cum Maria, prima hora diei expellet me ab hac domo in qua existimabam degere tempore longo.* Facta denique mane hora qua spiritus malignus dixerat, ab infestatione livida expiata est femina, cunctisque lucide patuit quia vera extiterant quæ malignus hostis confessus fuerat. Unde omnes, quibus hæc erant nota, altas divino rependerunt Artifici laudes.

XXXIX. Adhuc quoque unum valde mirabile miraculum, quod tertio Kalendas Julii, festivitate beatorum Apostolorum dieque dominico fuit factum, breviter legentibus addamus. Quædam cervula nescio unde commota, sed tamen nullo venatore agitata, per mediam Laivam villulam directe cucurrit, ut nec homines nec canes venationis sagaces timuit penitus per unum spatii miliarium de sylva rustica nomina-

tione Malisnia dicta, qua merito feraliter degere debebat, ad monasterium sancti Eugenii citius currendo pervenit. Cujus valvas eo tempore cum clausas repperit, privata hominum locutione, pede pulsavit, et inclinato capite humiliter introitum petivit, usque dum reseratis januis sibi licentia intrandi dedita *, se coram altari terratenus prostravit. Eo namque tenore tunc quasi in oratione se habuit, ut mos est monachis qui secundum regulam sancti Benedicti professionem faciunt, et postea hunc versiculum ter respondentibus cunctis fratribus, dicunt: *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum.* Hæc vero emeritus nomine Robertus ipsius ecclesiæ custos cuncta vidit; sed quid bellua voluisset, vel quid ipse ei agere debuisset minime scivit.

* *cod.* debita

XL. Sed nec illud prætereundum videtur, quod pene sub eodem * tempore, licet dissimili ratione, tamen consimili actu, omnes cognovimus. Duo namque in hac eadem provincia carnales fuerunt fratres, quorum unus Algisus, alter vocabatur Dodo, qui in confinia terræ hujus monasterii Broniensi allodia possidebant. Deo autem inspirante, unus eorum Algisus videlicet, prædium sui juris ad basilicam sancti Petri sanctique Eugenii martyris tradidit. Sed dum hoc frater ejus conspexisset, graviter tulit, et adversus prædictum fratrem suum jura bellorum suscepit, dicens se nullatenus hoc alteri consentire, quod sibi suisque posteris jure propinquitatis competeret. Cumque id abbas hujus congregationis multorum didicisset relatu, metuens ne his minimis maxima deinceps crescerent, consilio cum fratribus et cum prædicto Dodonis fratris inito, præcepit ecclesiæ hujus æditiuo, ut secum eodem homine juncto itineris socio comitem vel defensorem hujus loci adirent; ejusque consilio tractarent qualiter id quod Deo annuente factum fuerat, aliquatenus absque disceptatione seu contradictione illius confirmaretur. Accidit autem ut illis diebus mallum apud villam dictam Livehi quamdam haberetur, ad quod prædictum fratrem cum eodem de quo diximus homine causa prædictæ traditionis consummandæ mitteremus. Hoc frater ejus Dodo cognito, furore permotus, ascenso equo eos est insecutus.

* *cod.* idem

Quos diu multumque furibundus persequens, tandem repertis, hos duriter est allocutus. Et cum jam in eo esset, ut eos insaniens gladio peteret, subito inter verba furentis, reducta ad latus manu, ut gladium extraheret, fortuitu accidit ut nihil inveniret, quippe qui eum domi nescius reliquisset. Qui tanta stupefactus admiratione, non sine omnipotentis Dei dispositione actum credidit, qui de fratris nece * sine suo merito eum liberaverit. Magna itaque turbatus ira, quod sine ultionis effectu reverti cogeretur, veniens domum se miserum, se inertem lamentabatur. Cumque se plurimis ipse exprobraret vocibus, subito divinitus valida corporis ægritudine percussus in lectum decidit, gravique languore correptus plurimis elanguit diebus. Cum autem hac diutissime plecteretur pœna, tandem in se rediens, et cur tantæ ultioni traditus esset recognoscens, missis nuntiis, fratres hujus cœnobii humiliter petiit, quatenus eum non dedignarentur invisere, quoniam non solum fratris sui propositum confirmare non renueret, sed insuper prædium suum sancto Petro sanctoque Eugenio traderet martyri, reservato tantum sibi suisque filiis donec adviverent usufructuario. Venerunt autem fratres cum reliquiis præfatorum sanctorum, veniam ei a Domino pollicentes, clementer ei omnia indulserunt. Absolutione ergo a fratribus percepta, tanta sibi celeritate ægrotus pristinam persensit divinitus redisse virtutem, quanta nullus vel dicere vel cogitare potest; sicque dum a mentis duritia avaritiæ detersit maculam, corporis quoque salubritatem recepit. Virtute igitur summatim redeunte, redivivus æger convaluit, et de cujus prius desperabatur vita, per longa postmodum vixit tempora.

* *cod.* nec.

Huc in cod. Namurcensi *translata sunt cum ultimum miraculum, tum denique epilogus, prout habentur in* Analectis, p. 53, numm. 32, 33.

Pag. 53.	lin. 21.	jam dicto.	a jam dicto.
	28 - 29.	virtutibus, paucis valet.	virtutibus paucis, valet.
Pag. 54.	lin. 12.	extat congregatio.	est ista congregatio.
	19.	regnat sæcula.	regnat per cuncta sæculorum sæcula.

§ III. Fragmentum sermonis sæculo decimo (1) conscripti, cui titulus est : de Adventu et Translatione sanctissimi Eugenii martyris.

Post hæc, temporibus Ludovici gloriosissimi regis, filii Charoli imperatoris, propter persecutionem Normannorum deportatus est *(S. Eugenius)* ad cœnobitas sanctorum martyrum Dionysii sociorumque ejus in monasterio ubi dignissime requiescunt eorum corpora, et deposuerunt eum in crypta sancti Martini archiepiscopi, et retro ipsius altare posuerunt eum, et super sanctissimum corpus ejus ædificaverunt lectum *(sic)* magnum de auro et argento fabricatum.

Temporibus igitur Charoli reclusi, Theodulpho regente episcopatum Parisiacensem, atque Roberti comitis et abbatis prædicti monasterii, quarta kalendarum augustarum, datum est sanctum corpus sæpe dicto sæpiusque dicendo Gerardo viro religioso qui locum istum restauravit in melius, a primatibus ejusdem monasterii, a decano videlicet Amicone, et thesaurario Francone, et a cantore Widone, et a capicerio Erchengario, et a Leutgario Diogilo abbate, ubi multo tempore almi Eugenii corpus quievit, qui etiam scriniolum multorum sanctorum relliquiis refertum nobis contulit, semperque Domino opitulante servabitur.

Eadem autem tempestate, carissimi fratres, qua venerandi martyris corpus ad istud cœnobium fuit delatum, Stephanus dignus memoria bonorum, strenuissime præsidebat cathedram sedis Tungrensium. Cujus jussu atque præcepto archidiaconus Adhelelmus collecto cœtu innumerabilis multitudinis fidelium, clericorum, virorum ac mulierum, cum magnæ venerationis tripudio, in isto quo nunc jacet loco XV kal. Septembris deportaverunt, Dominum laudantes et glorificantes, qui eis tantæ dignitatis ac sanctitatis concesserat patronum.

Sequenti vero tempore, regnante Henrico rege, venerandus præsul Richarius solito more circuiens parrochiam sibi commissam, visendi gratia adiit locum sæpe dictum. Qui officiosissime, ut decebat, cum archidiacono jam dicto Adhelelmo susceptus, VIII kal. Martii benedixit nova oratorii ædificia, sanctumque corpus Eugenii in loco ubi requiescebat revisit, et condito aromatibus in scrinio optimo reposuit. Quo peracto circumiens claustra monasterii, omnia habitacula fratrum benedixit. Deinde pergens ad portam sanctificavit eam in honore sancti Michaelis archangeli sanctique Thomæ apostoli atque Agathæ virginis.

(1) Hanc temporis notam ex eo deducimus quod sermonis auctor in rebus quæ ad S. Eugenium pertinent enarrandis non ultra primam dedicationem processerit, quæ inter annum 920 et a 936 peracta fuit. Porro altera dedicatio a Nithardo facta est die 24 novembris a. 1038. (Cfr. *Obituaire de l'abbaye de Brogne*, par J. Barbier, p. 31, not. 6). Quædam etiam verba notare est, apud auctorem Translationis recepta. Sermonis initium ideo omisimus, quod unice contractum sit ex Passione et Miraculis S. Eugenii, quæ jam data fuere *Analectorum* tom. II, p. 131, et tom. III, p. 58. Incipit : *Nosse convenit, fratres carissimi, qualiter corpus...* ; desinit vero : *cui est honor, laus et potestas per immortalia sæculorum sæcula. Amen.*

ENCOMIUM
IN SANCTUM AGATHONICUM
NICOMEDIENSEM MARTYREM.

Encomium in S. Agathonicum, quod hic edimus, prædecessoribus nostris notum fuit. Habuerunt enim illius apographum ex codice ms. Vindoboniensi (1), de quo consulendum dicunt Lambecium lib. VIII Commentariorum de ista bibliotheca, p. 205. Noluerunt orationem hanc edere, quia S. Agathonici martyrium brevius in Actorum compendio habebatur. Nos eamdem orationem edendam ducimus, utpote quæ cultum sancti martyris non parum illustret; edimus autem ipsum illud apographum, quod in collectaneis Musei Bollandiani reperimus. Oratio panegyrica habita fuit in ipsius martyris solemni festo, post lectam publice Actorum historiam, quam orator supponit auditores adhuc sonantem in auribus habere. Narratio oratoria discrepat in aliqua re ab Actorum compendio edito a P. Pinio, nempe in nomine loci ubi Agathonicus degebat. Dicitur in compendio edito, ager cui nomen *Cyberorum* Κυβέρων, cujus situm ignorare se Pinius in annotato *d* (2) fatetur. At non agitur de agro cui nomen *Ciberorum*, sed de agro dicto Cybenorum, qui est Nicomediæ suburbanus juxta oratorem. In Actis quoque longioribus editis a nobis in tomo II *Analectorum*, p. 99, sermo est non de Ciberis sed de Cybænis; scribitur enim Κυβαίνων, pro Κυβένων quod habet encomii nostri apographum, errore librarii, ni fallor, αι et ε facile, ut fit, permutantis. Major est differentia inter Encomium et *Acta* ubi de S. Anthimo martyre agitur. Apud encomiasten legitur Asclepiades præfectus, sancti Agathonici pater, sancto Anthimo martyri linguam præcidisse, sed in *Actis* a nobis editis introducitur Agathonicus narrans, patrem suum, se puero præsente, linguam præcidisse martyri Romano, de Anthimo vero nullus fit sermo. In apographo autem Ambrosiano Pinius legit (3), narrasse Agathonicum, coram se puero linguam præcisam fuisse Romano martyri ac deinde Anthimum quoque martyrium complevisse. Quare suspicor encomiasten in *Actis* quæ ibidem legebantur, eadem reperisse quæ citantur apud Pinium ex codice Ambrosiano, sed in oratione sua memoriæ lapsu Anthimum supposuisse Romano.

Encomium sequioris ævi fetus est, paullo quidem verbosior, dictione rudiori, neque elegans sententiis, quas inter tamen una aut altera nitet gemma miræ pulchritudinis. Ad sanctorum cultum martyrum, invocationem sanctorum, eorumque cultoribus præstitum patrocinium, ad miracula sanctorum ope patrata, ad prodigia in ipsorum reliquiis observata, ad apparitiones sanctorum, denique ad omnia ferme quæ fideles de martyribus ac sanctis credunt et sanctis cum Deo regnantibus tribuunt confirmanda, utile præsens encomium documentum est.

(1) *Acta SS.*, tom. IV Aug., p. 521. — (2) Ibid., p. 523. — (3) Ibid., p. 521.

Ἐγκώμιον εἰς τὸν ἅγιον μεγαλομάρτυρα τοῦ Χριστοῦ Ἀγαθόνικον.

Α'. Λαμπρὰ μὲν τὰ τῆς ὑποθέσεως διηγήματα, λαμπρότερα δὲ καὶ τῆς κατ' αὐτὴν θείας πανηγύρεως τὰ προβλήματα. Ἀθλοφορικὰ γὰρ τὰ ἀνδραγαθήματα· καὶ ταῦτα, οἷα καὶ λόγος γάννυται διηγούμενος, καὶ ἀκοὴ κόρον οὐκ ἔχει τούτων πρὸς τὴν ἀκρόασιν· οἷς τε Θεὸς ἐπιτέρπεται, καὶ σκιρτᾷ κόσμος ὁ ἐπουράνιος, ταῖς γηγενῶν φιλεόρτοις συνεορτάζων τάξεσιν. Ἀλλά γε φιλομάρτυρα βλέπων τὸν σύλλογον, τοῦ τε ποθουμένου τῶν ἄθλων ἐνωτισθῆναι γλιχόμενον μάρτυρος, κἂν πόῤῥω τοῦ δέοντος, ὅμως ἥκω τὸν ζωγράφον συνεισαγόμενος λόγον, οὐ πίναξι τὸν ἀθλητὴν ἐγχαράττοντα (τοὺς γὰρ τοιούτους ὁ γηραιὸς προσεισηγήσατο χρόνος), ἀλλ' οἷς τὸ ἡδὺ καὶ τῇ πανηγύρει προσήκει, καὶ τοῖς ἀκροαταῖς ἐμποιεῖ σεμνυνόμενον.

Β'. Τὴν μὲν οὖν ὠμότητα τῶν τῆς Ἑλληνίδος τυράννων ἔναυλον τοὺς παρόντας οἶμαι κεκτῆσθαι, ἀντίθεσιν δὲ τὴν τοῦ ῥηθησομένου μάρτυρος, καὶ τὴν πρὸς τὰ δεινὰ καρτερίαν, τήν τε πρὸς τοὺς ἐλέγχους παῤῥησίαν. Καὶ ὅσα τῶν μὲν τὸ ἀπάνθρωπον ἐμηχανᾶτο, τοῦ δὲ τὸ ἀνδρεῖον καὶ ὑπερανεστεκὸς (καὶ ἠλόγει τούτων καὶ κατεφρόνει), αὐτὰ

ENCOMIUM IN SANCTUM CHRISTI MARTYREM AGATHONICUM.

1. Splendorem quidem habent argumenti nostri enarrationes, majorem vero splendorem hæc sacra ac divina ejus solemnitas præ se fert. Victoris enim athletæ præclara facinora sunt, ac talia, qualia et sermo lætatur enarrans, et auditio satietatem non habet in eorumdem auscultatione; quibus et Deus delectatur, et tripudiat mundus cælestis cum terrigenorum festivis festum celebrans ordinibus. At certe martyris amantem videns cœtum dilectique certamina auribus percipere cupientem martyris, etiamsi longe infra meritum, nihilominus venio pictorem inducens sermonem, qui non tabulis athletam insculpat (tales enim senescens pridem introduxit ætas), sed ita ut suavitas solemnitati congruat et auditoribus immittat venerationem.

2. Crudelitatem itaque Græciæ tyrannorum sonantem in auribus præsentes arbitror habere, oppositionemque martyris de quo dicendum est, et adversus mala patientiam et adversus accusationes dicendi libertatem. Et quæ horum quidem inhumanitas machinata est, ipsius vero virtutem atque animi celsitudinem (nihil ista curabat ac con-

μονονουχὶ φωνὴν ἀφίεντα, κἂν τις ἀγνοεῖν σχηματίζοιτο, τὰ κατορθώματα διηγήσαιντο. Ἀλλ' ἔδει πάντως τοιοῦτον τὸν καθ' ἡμᾶς πρωτόκτιστον χρηματίσαι, ὅτε γύναιον ἐχειροτόνει πρὸς τὸ δέλεαρ ὁ ἀρχέκακος, καὶ μὴ ταῖς ἀπατηλαῖς ὑποθήκαις ὑποκλαπῆναι. Εἰ τότε γὰρ οὐχ ὑπῆξεν ἐκεῖνος, οὐκ ἂν ὁ ἀλάστωρ πρὸς τυραννικὸν ἐξώκειλε τόλμημα. Ἀλλὰ κατωρθώσατο τὸ τοῦ πρωτογόνου ὁ ἐκ τῶν ἐκείνου ἀπογόνων, καταλύων μὲν τὸ τυραννικὸν τοῦ δελεάσαντος καὶ τ' ἄλλα ὁπόσα τὸ τακτικὸν ἐμφανίσει τοῦ λόγου, ἀντεχόμενος δὲ τῆς ἐν Χριστῷ βασιλείας, ταύτης τε χρηματίζων διαγγελεύς, στεφανηφόρος τε καὶ ἀξιόχρεως κληρονόμος, Ἀγαθόνικος οὗτος, ὁ τῆς ἀγαθωνύμου νίκης ἐπώνυμος, ὁ τοῖς αἰτοῦσι τὰς δωρεὰς ὡς ἐξ ἀκενώτου χορηγῶν ταμιείου, ὁ ἀγαθὸς νικητὴς, μετὰ τοῦ κόσμου τοῦ κοσμοκράτορος, ὁ τῷ τῆς ἡλικίας νέῳ τὸ τοῦ φρονήματος γηραιὸν συνεισφέρων, ὁ ποταμὸς τῆς σοφίας, ὁ τὴν ἀχρειώδη ἅλμην τῶν εἰδωλικῶν ἐπικλύσας ὑδάτων, τῇ δὲ τῆς θεοσεβείας γλυκύτητι ἐκκλησίας καταρδεύσας τοὺς αὔλακας.

Γ'. Ἀλλὰ τοῦτον, κἂν οὐρανοπολίτην ὁ τρόπος οἶδεν, πλὴν τῶν καθ' ἡμᾶς ἐκφύντα τὸ τῶν Βιθυνῶν ἔθνος προβάλλεται. Ἡ τυραννικὴ δὲ Νικομήδεια πατρὶς ἀναγράφεται, καὶ περιώνυμος πόλις, οὐκ ἐντὸς τιθηνήσασα τῶν περιβόλων (σμικρὸν μὲν γὰρ καὶ τούτων ἐντὸς), ἀλλὰ

temnebat), ipsa quasi vocem emittentia, si quis ignorare se simularet, præclara facta enarrarent. At oportuerat omnino talem se, qui primus creatus fuit ex nobis, exhibere, quando feminam eligebat ad fallacem escam proponendam princeps malorum, et non fraudulentis consiliis decipi. Nam si tunc non cessisset ille, scelestus ad tyrannicum non pervenisset ausum. Verum emendavit culpam proavi hic ex ejus posteris ortus, dissolvens quidem tyrannidem illius qui esca deceperat et reliqua quæ ordo manifestabit sermonis, adhærens autem Christi regno ejusque agens nuncium, coronatus dignusque hæres Agathonicus hic, ex boni nominis victoria nomen adeptus, petentibus dona quasi ex inexhausto tribuens promptuario, bonus victor una cum mundo ejus qui mundo dominatur, cum ætate juvenili animum senilem conjungens, flumen sapientiæ, inutilem salsuginem idolorum submergens aquarum, pietatis vero in Deum suavitate ecclesiæ irrigans sulcos.

3. Hunc autem etiamsi cæli civem dicere solemus, attamen ex nostro genere ortum Bithynorum populus profert. Patria scribitur regia Nicomedia, urbs clarissima, quæ non intra mœnia eum enutrivit (brevi enim tempore etiam intra illa); at certe tandem ipsius subur-

γε τὸ τέλεον τῇ ταύτης περιοικίδι, ἀγρῷ Κυβένων προσκεκλημένῳ, παραθεμένη αὐτόμολον, ἐκλεξάμενον παραῤῥιπτεῖσθαι ἐν οἰκίσκῳ θεογνωσίας, ἢ οἰκεῖν ἐν πόλει σκηνωμάτων θεοστυγῶν. Οὐ μέντοι γε μόνος ἦν· ὁμοδίαιτον γὰρ τὴν τεκοῦσαν ὁ μάρτυς εἶχεν ὡς καὶ ὁμόθρησκον, θανάτῳ παραθεὶς τὸν γεννήτορα. Ἀσκληπιάδης δὲ ἦν ἐκεῖνος, οὕτως ὠνομασμένος, ὃς ταύτην ἐκεῖθεν ἠγάγετο (μητρῷον γὰρ τὸ χωρίον τῷ μάρτυρι), πολίαρχος χρηματίζων Νικομηδείας· ὕπαρχον δὲ τὸν τοιοῦτον τὰ τῆς πολιτείας οἶδεν καλεῖν ἔθιμα. Περιφανὴς δὲ ἦν καὶ τοῦ περιβλέπτου γένους· οὐδὲ γὰρ ἐξ ἰδιωτῶν ἢ τῶν τυχόντων πρὸς τὴν πολιταρχίαν ἠγμένος, ἀλλ' Ἱππασίου ἀπόγονος ὤν· βασιλικῆς δ' ἐκεῖνον ἀγχιστείας οἱ τῆς ἱστορίας παραδιδόασι λόγοι, θαυμάσιόν τε καὶ τοῖς πολέμοις, καὶ ταῖς εὐβουλίαις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις πολιτικοῖς προτερήμασι. Τῆς οὖν Ἀσκληπιάδου ὀσφύος ὁ μάρτυς ἐκφὺς Ἀγαθόνικος νηπιόθεν τῇ τοῦ πνεύματος λαμπηδόνι περιεστράφθη, ὥς τι τῶν μαργαρογόνων ὀστράκων τὰς ἐγκαρδίους πτύχους ἀναπετάσας, καὶ τὴν τῆς θεοσεβείας ἀτίμητον εἰσοικισάμενος μαργαρίτην· λάμπων μὲν τῇ χάριτι, συναύξων δὲ καὶ ταῖς ἀρεταῖς, καὶ τοσοῦτον τοῖς ἐξ αὐτῶν κοσμούμενος καλλοπίσμασιν, ὡς καὶ τῇ τοῦ γεννήτορος εὐπραγίᾳ κόσμος χρηματίζειν, καὶ τῇ τῶν προγόνων εὐγενείᾳ ὡραισμὸς ἐκπρεπέστατος,

bano, agro Cybenum cognominato, apposuit transfugam, qui elegerat abjectus esse in domo cognitionis Dei, quam habitare in urbe tentoriorum Deum odio habentium. Attamen solus non erat: contubernalem enim genitricem martyr habebat, uti etiam eidem cultui deditam; patrem morte amiserat. Asclepiades erat ille, hoc nomen adeptus, qui hanc inde duxerat (maternus enim erat martyri ager), urbanum præsidem agebat Nicomediæ, præfectum vero talem in administratione reipublicæ vocare mos est. Illustris autem erat ac spectabilis generis, non enim ex infima plebe aut ex iis quos fortuna provexit, ad urbis præfecturam ductus, sed ex Hippasii genere ortus; imperatoris hunc propinquum fuisse historiæ tradunt, admirabilem in rebus bellicis et consiliis, sed etiam aliis rebus potiticis bene gestis. Asclepiadis ergo lumbis martyr ortus Agathonicus a pueris spiritus fulgore undique illustratus fuit, quemadmodum una ex gemmiferis conchis, cordis sinus pandens, ac pietatis inæstimabilem intus recondens margaritam, splendens quidem gratia et simul crescens virtutibus atque in tantum natis inde ornatus decoribus, ut etiam patris rebus feliciter gestis ornamento esset, et proavorum nobilitati decus excellens valde, felicitasque urbi et coætaneis monstraretur, dignum

ὄλβος τε τῇ πόλει καὶ τοῖς ἥλιξιν ἐπεδείκνυτο, ἄξιον θέαμα τοῖς ὁρῶσιν. Ἐγλίχετο γὰρ πᾶς ὀφθαλμὸς, τῷ τοῦ μειρακίου κάλλει πειθόμενος, πρὸς αὐτὸν ἀσκαρδαμυκτεῖν, μὴ μέντοι μεταφέρειν τὰς κόρας ἐκβιαζόμενος· οἶδεν γὰρ ψυχικὴ ὡραιότης καὶ σῶμα κοσμεῖν καὶ θείαν ἐφέλκεσθαι χάριν, καὶ οὐ μόνον τοὺς ἐνατενίζοντας κατευφραίνειν, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἔκπληξιν ἄγειν.

Δ'. Ἐπεδίδοτο δὲ καὶ γραμματισταῖς, καὶ τοῖς ἄλλοις ὁπόσοις ἑλληνικῆς δεισιδαιμονίας μεταδιδόται* μυστήρια. Ἀλλ' ἔμφυτον ὁ νεανίας τὸν θεῖον ἔρωτα κεκτημένος, τὰ τῶν εἰδώλων φυσικῶς ἐμυσάττετο, ὥς τις Ἀβραὰμ πρὸ τῆς ἡλικιώτιδος γνοὺς τὸν τοῦ παντὸς ἐργαστὴν καὶ συνοχέα Θεόν. Καὶ τὴν μὲν τοῦ γεννήτορος ὑπεβλέπετο κακοπραγίαν, ἅτε εἰδωλοθύτου καὶ σέβας λατρευτικὸν τοῖς ἀψύχοις προσνέμοντος. Ἤχθετο δὲ καὶ ταῖς κατὰ τῶν χριστιανῶν ἐπινοίαις αὐτοῦ, πολυτρόποις τε καὶ δυσεφίκτοις οὖσι, κἂν ἀκαίρους οὐδαμῶς ἐπεδείκνυτο τοὺς ἐλέγχους· πάντα γὰρ δεδίδακτο, ὡς καλὰ ἐν καιρῷ αὐτῶν. Ἐνεβριμεῖτο δὲ τούτου τῆς ἀπονοίας, ὅτε θεόφθογγον ἀποτέμνοντα γλῶσσαν κατεῖδεν Ἀνθίμου τοῦ μάρτυρος, ἐλέγχουσαν μὲν τῆς τυραννίδος τὸ δυσσεβὲς, στεφανοῦσαν δὲ τὴν μαρτυρικὴν ἑαυτῆς κορυφήν. Ἀλλὰ πύλαι μὲν ᾅδου τὸν ὕπαρχον ὑπεδέχοντο, σὺν τῷ σωματικῷ καὶ τὸν ψυχικὸν ὑφιστάμενον θάνατον.

* *apogr.* μεταδιδόναι.

spectaculum videntibus. Cupiebat enim omnis oculus, adolescentuli pulchritudine illectus, ipsum fixis obtutibus intueri, nec porro aspectum alio transferre etiam vi coactus; novit enim animæ pulchritudo et corpus ornare, et divinam attrahere gratiam, et non solum intuentes exhilarare, sed etiam in stuporem agere.

4. Tradebatur autem grammaticis, aliisque a quibus ethnicæ superstitionis docentur mysteria. Sed insitum adolescens divinum amorem habens, quæ idolorum erant naturali motu abominabatur, ut quidam Abraham ante ætatem agnoscens universi fabricatorem ac conservatorem Deum. Ac patris quidem aversabatur infelicem agendi rationem, utpote idolis immolantis honoremque ac cultum divinum rebus adhibentis inanimis. Aversabatur quoque cogitationes ejus contra christianos versutas, et quas ægre quis expiscaretur, quamquam inopportunas nequaquam ostenderet redargutiones: sic enim doctus erat omnia tunc pulchra esse ac decora quando tempore fiunt suo. Gravissime autem ferebat ejus insaniam cum abscindentem videbat Anthimi martyris divinitus sonantem linguam, redarguentem quidem tyrannidos impietatem, coronantem vero suum martyris verticem. Sed portæ quidem inferni præfectum susceperunt, cum corporea

Μετανάστης δὲ τῶν πατρῴων ὁ νεανίας ἐγίνετο· ἀγρὸς δὲ τοῦτον ὁ προῤῥηθεὶς ὑπεδέχετο, τὰ μητρῷα οἰκεῖα, ἐν οἷς ἐπ' ἀδέας ὁ θεῖος γενόμενος Ἀγαθόνικος, δοκίμιον τὴν ἀγχίνοιαν ταῖς ἑκατέραις ἐκ τῶν δογμάτων ἐδίδου θρησκείαις. Τῆς μὲν ἑλληνικῆς τὰ μυθώδη κατὰ νοῦν ἐθριάμβευέν τε καὶ εἰς οὐδὲν ἐλογίζετο πλάσματα, τῆς δὲ καθ' ἡμᾶς ἀληθείας τὰ πάντα σκοπῶν, ἐν οἷς τὸ ἀπλανὲς καὶ ἀνεπιτήδευτον κρίνων, αὐτῇ μᾶλλον ἢ ἐκείνῃ προσωκειοῦτο· καὶ τοσοῦτον ταῖς μελέταις τὴν πρὸς τὰ θεῖα λόγια νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἄσκησιν ἐπεδείκνυτο, ὡς βραχεῖ χρόνῳ τῇ ἀκρωρείᾳ προσεπιβῆναι τῆς γνώσεως, κἀκεῖθεν ὥσπερ τις ἐπόπτης, τῶν χαμαιζήλων τὸ εὐτελὲς παραβλέπειν, καὶ ὅλος Θεῷ γίνεσθαι, καὶ τῆς ἐν αὐτῷ ἀϊδίου δόξης ἐρᾷν, καὶ πρὸς τὴν κατάληψιν ἐκείνης ἐπείγεσθαι.

Ε'. Εἶχε δὲ τὸ κραταιὸν, ἅμα δὲ καὶ τὸ ἡδὺ τοῦ λόγου ἐναποστάζον, ὡς πᾶσαν μὲν ἀκοὴν καταθέλγειν, πᾶσαν δὲ καρδίαν εὐφραίνειν· οἷς πλείστους ὅσους ἂν ἀκροατὰς εὕρισκεν, αὐθωρὸν τῷ τῆς εὐσεβείας ἐφωταγώγει πυρσῷ, τὸ ζοφῶδες ἀποβαλλομένους τῆς πλάνης, τό τε φῶς ἐνδυομένους τῆς ἀληθείας. Πνεῦμα γὰρ Θεοῦ ἐν τῷ μάρτυρι καὶ τοῖς ῥήμασιν ἐπεφαίνετο καὶ τοῖς τῶν θαυμάτων σημείοις· δι' ὧν ἀπεῤῥαπίζετο μὲν τὰ τῶν βλασφήμων ἀπύλωτα στόματα, ἐκινεῖτο δὲ πρὸς αἶνον τὰ τῶν

animæ quoque morti subjectum. Migravit autem paternis ex ædibus adolescens, ager vero prædictus ipsum suscepit, materna bona, in quibus securitate fruens divus Agathonicus sagacitatem impendit explorandæ utrique religioni ex dogmatibus. Ethnicæ quidem fabulosa figmenta cum animo suo superabat triumphabatque de iis, ac ratiociniis ad nihilum redigebat, nostræ autem veritatis omnia perspiciens; in quibus ab errore immunitatem ac simplicitatem discernens, hanc potius quam illam sibi vindicabat, ac tantam meditationibus in divinas Scripturas noctu dieque exercitationem ostendebat, ut brevi tempore ad summum fastigium ascenderet cognitionis, et inde ut inspector quidam, terrenorum vilitatem contemneret, et totus Dei fieret, et quæ in ipso est æternam gloriam amaret atque ad comprehensionem illius properaret.

5. Habebat autem robur simul ac suavitatem sermonis ex proprio fonte scaturientem, ut universos auditores delectaret, et omne cor exhilararet, quibus quotquot auditores invenerat, eadem hora pietatis illuminabat face, qui caliginem abjiciebant erroris, ac lucem induebant veritatis. Spiritus enim Dei in martyre et verbis manifestus erat et miraculorum signis per quæ colaphis quidem abigebat

ὑπηκόων τῆς ἐνθέου διδασκαλίας, καὶ σχεδὸν κενὰ τὰ τῆς Ἑλληνίδος λατρεῖα, πλήρη δὲ τὰ καθ' ἡμᾶς τῇ προσοχῇ τοῦ μάρτυρος ἐγεγένηντο. Καὶ περιβόητος ἦν, τῇ τε τῶν θαυμάτων τερατουργίᾳ, τῇ τε τῶν λόγων ἰσχύϊ, καὶ πᾶν στόμα Ἀγαθονίκου τὸν αἶνον ἐλάλει. Διεπρίετο δὲ τὸ τῶν εἰδωλομανούντων συνέδριον, καὶ πολλάκις ὥσπερ οἱ τὸν πρωτομάρτυρα, οὕτω κἀκεῖνον μανέντες ἐβουλεύοντο συναρπᾶσαι. Οὐκ ἐπ' ἀδείας δ' ἦν αὐτοῖς τὸ τόλμημα, δεδιόσι τό τε τοῦ μάρτυρος εὐγενὲς, καὶ τὴν τῶν πεπιστευκότων πολυπληθίαν.

ς'. Ἐπεὶ δὲ τῆς δεισιδαιμονίας τὸ πῦρ ἀνεῤῥιπίζετο θεσπίσμασι τυραννικοῖς τυφόμενον, καὶ πᾶσαν κατεβόσκετο τὴν ὑφήλιον, οἵ τε τῆς πλάνης ὑπουργοὶ καθάπερ τινὲς λοχῶντες θηραταὶ τοὺς τῆς εὐσεβείας θεραπευτὰς ἀνερευνῶντες συνελάμβανον, μεγίστην ἀπόδειξιν τῆς πρὸς τοὺς κρατοῦντας εὐνοίας τὴν ἑαυτῶν θηριωδίαν πρὸς τοὺς θεοσεβοῦντας ἐπιδεικνύμενοι, πρῶτα μὲν Ζωτικός τις, οὕτω καλούμενος, ἀνὴρ ἐπ' εὐσεβείᾳ γνώριμος, καὶ τὴν φήμην ἔχων τοῖς ἔργοις προστρέχουσαν, τήν τε κλῆσιν τοῖς πράγμασι φέρων κατάλληλον, ζωῆς τοῖς πολλοῖς καταστὰς ἀκηράτου πρόξενος, καὶ τῇ τῶν τεραστίων ἐπιδείξει ἀνὰ στόμα πάντων ᾀδόμενος, ὑπ' αὐτῶν ἀγρεύεται· καὶ μέγιστόν τι λάφυρον Εὐτολμίῳ, δεινῷ μὲν αἱμυλίοις ἐπελθεῖν καὶ λογισμὸν χαυνῶσαι καὶ τὸ στερέμνιον, χαλεπῷ

blasphemorum effrenia ora, obedientium vero divinæ doctrinæ movebat ad laudem; ac ferme vacua gentilitatis sacra, plena vero nostra intenso martyris studio evaserant. Et celebris ubique erat et miraculorum patratione et sermonum virtute, et omne os Agathonici laudem loquebatur. Frendebat autem concilium eorum qui idolorum insano ducebantur amore, ac sæpe sicut illi primum martyrem, ita et hunc rabie incensi deliberabant rapere. At haud tutum erat ipsis facinus, quippe qui timerent et martyris nobilitatem et credentium multitudinem.

6. Sed quum superstitionis ignis resuscitabatur, decretis tyrannicis accensus, et universam depascebat quæ sub sole est terram, et erroris ministri veluti quidam insidiantes venatores pietatis cultores investigantes comprehendebant, maximam demonstrationem erga imperantes benevolentiæ, feritatem suam erga Dei cultores exhibentes, primo quidem Zoticus quidam, sic enim nominabatur, vir pietate nobilis, ac famam habens operibus concurrentem, appellationem actibus ferens congruam, vitæ multis existens impollutæ donator, et prodigiorum demonstratione per os omnium celebratus, ab ipsis quasi venatione capitur, ac veluti maxima quædam præda Eutolmio

δὲ τοὺς ἀντιτείνοντας ἑλεῖν πρὸς τὰ κελευόμενα (ἦν γὰρ πικρὸς εἰς ὀργὴν καὶ ἀπαραίτητος), προσάγεται. Ὃς ἰδὼν πολιὰν μὲν αἰδέσιμον, πολιώτερον δὲ φρόνημα, καὶ λόγοις πολιοῖς ἀντεκκρουόμενον τὴν τῆς εὐσεβείας ἐξωμοσίαν, τῶν ἐλπίδων παρακρουσθεὶς, τὴν οἰκείαν ἀποκαλύψας δυσμένειαν, τῇ τοῦ ξίφους τομῇ τῆς ἐνθένδε βιοτῆς ἀπέλαυνει τὸν ἀθλητήν. Καὶ οὕτως ὁ μέγιστος Ζωτικὸς διανύσας τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν, ἐξ ἀνθρώπων ἐγένετο, καὶ πρὸς οὐρανίους χώρους θερμῷ καὶ ἀτμίζοντι αἵματι μετεβιβάζετο, ἄξια τὰ βραβεῖα παρὰ τοῦ ἀγωνοθέτου δρεψάμενος.

Ζ'. Δεύτερον δὲ οἱ τῆς ἀσεβείας ὑπουργοὶ Ἀγαθόνικον Εὐτολμίῳ προσάγουσιν. Ἐπεὶ γὰρ ἡ φήμη πανταχοῦ διέτρεχε τῆς τε διδαχῆς αὐτοῦ καὶ τῶν θαυμασίων, καὶ τοὺς τῆς ἀσεβείας ὑπασπιστὰς μανία κατεῖχεν ὑπερόριος, ἀνάρπαστον αὐτὸν ἰδεῖν ἐκ μέσου γλιχομένους, οὐκ ἦν λοιπὸν ὅπως καλυφθείη τὰ κατ' αὐτῶν. Ὁ δὲ προγυμνασάμενος τοῖς τοῦ προαθλήσαντος αἵμασι, καὶ καθάπερ κύων διψητικώτερος πρὸς τὴν τῶν ἀθώων ἔκχυσιν [αἱμάτων] γενόμενος, ἐλύττα λοιπὸν τὴν κατὰ τοῦ μάρτυρος ἀναίρεσιν. Ἀλλ' ἐπεὶ τὸ τῆς ὥρας αὐτοῦ θαυμάσιον τὸν θυμὸν ἐπέκλα τοῦ τυράννου (οἶδεν γὰρ κάλλους ὑπερβολὴ πρὸς τὸ ἡμερώτερον μεταποιεῖν ἐπιφανεῖσα καὶ τὸν ἀγριώτατον), συνίησι μὲν αὐτὸν τῆς εὐγενείας· ἐκ γὰρ τοῦ πολλοῦ κάλλους καὶ τῆς μεγαλοπρεπείας ἐπ' ἀγχιστείαν βασίλειον

offertur, perito blanditiis utendi, et obfirmatum ratiociniis animum molliendi, acerbo in subigendo refragrantes mandatis (erat enim acer ad iram et inexorabilis). Qui videns canitiem venerandam, caniorem mentem, ac verbis senili sapientia plenis repellentem pietatis abjurationem, a spebus remotus, propriam aperiens malevolentiam, gladii ictu ex hac vita exturbat athletam. Atque ita maximus Zoticus confecto pulchro agone, ab hominibus recessit, et ad cœlestes regiones calido ac vaporante sanguine translatus est, accepitque digna præmia ab eo qui certaminis arbiter est.

7. Secundum impietatis ministri Agathonicum Eutolmio adducunt. Nam postquam fama quaquaversum cucurrisset doctrinæ ejus ac miraculorum, et impietatis propugnatores rabies tenuisset peregrina, raptum ipsum de medio videre desiderantes, fieri deinceps non poterat ut lateret eos. Ille autem in antecessum exercitus prioris athletæ sanguinibus, et veluti canis magis sitiens ad innocentium sanguinis effusionem, rabie deinde ferebatur ad martyris cædem. Quum vero venustas ejus admiranda animum percussisset tyranni (potest enim pulchritudinis magnitudo, quando in lucem prodit, in mansuetiorem mutare hominem vel ferocissimum), sensit ejus nobilem ortum: nam ex

ἀναφέρειν, ὥσπερ ἦν, τοῦτον κατεστοχάζετο. Ἀπεπειρᾶτο δ' οὖν ὅμως τοῦ φρονήματος. Καί· Τίς ὤν, ὦ οὗτος, τί δὲ καὶ βουλόμενος τὴν ἐναντίαν τῶν κρατούντων εἵλου βαδίζειν, αὐτόνομον σαυτὸν παραδεικνύων, καὶ διαχλευάζων τὴν ἡμετέραν θρησκείαν, διηρώτα, θεὸν μὲν ἀσυνήθη καὶ ξένον καταγγέλων, ὅλον δὲ δῆμον πρὸς τὴν τούτου προσκύνησιν μεταφερόμενος; Ὁ δὲ μάρτυς ἀτρεμεῖ τῷ φρονήματι μηδὲν ὑποπτήσσων τῶν δρωμένων, οὐ τὸ βλοσυρὸν τοῦ ἐτάζοντος, οὐ τὸ τῶν κολαστηρίων ἀπηνές, οὐ τὸ ἀπότομον τῶν παρεστώτων, πραείᾳ τῇ φωνῇ τοιαύτην ἐπῆγε τὴν ἀνταπόκρισιν· Ἐγὼ μέν οὐκ ἀσήμου γένους ὑπάρχω τυγχάνων, ἴσασι πάντες οἱ παρόντες, καί μοι μαρτυρησάτωσαν τ' ἀληθῆ λέγοντι. Εἰς Ἱππάσιον γ' οὖν τὸν περιβόητον ὕπατον τὰ τοῦ γένους ἀναφέρεται· γενέτης Ἀσκληπιάδης ὕπαρχος, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς Καῖσαρ Μαξιμιανὸς* τοῦ γένους ἐγγύτατος. Καὶ ὁ τύραννος· Καὶ τίς σου τῶν τοιούτων καθηγητής, ὡς τοὺς μὲν πατρῴους καταλιμπάνειν θεοὺς παραινεῖν, τῶν δὲ βασιλικῶν προστάξεων ἀλογεῖν; Παῦλος ὁ θεῖός, φησιν Ἀγαθόνικος, καὶ Δαβίδ· ὁ μὲν, πειταρχεῖν δεῖ, λέγων, Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις· ὁ δὲ, πάντες, διδάσκων, οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια, ὁ δὲ Κύριος τοὺς οὐρανοὺς ἐποίησεν. Ὁ δὲ δικάζων· Σοφίας τρόφιμον ὄντα σέ, φησιν, οὐ δεῖ περὶ τοὺς τῆς σοφίας αἰτίους ἀγνωμεῖν θεούς. Καὶ ὁ μάρτυς ἀπεκρίνατο·

* *apogr.* Μαξιμῖνος.

magna pulchritudine ac majestate ad imperatoriam propinquitatem ascendere, uti res erat, ipsum conjiciebat. Experimentum nihilominus ejus animi cepit. Et : *Heus, tu, quis es? Quid intendis, qui contraria imperantibus via elegisti ingredi, propriis legibus utentem te ostendens et irridens nostrum cultum,* sic interrogabat, *Deum quidem insuetum ac peregrinum annuntians, universum populum ad hujus adorationem transferens?* Martyr autem intrepido animo nihil formidans eorum quæ videbat, non terribilem aspectum illius qui quæstionem habebat, neque pœnalium instrumentorum sævitiem, neque crudelitatem astantium, miti voce hujuscemodi dedit responsum : *Ego quidem non obscuro genere ortus sum, noverunt omnes præsentes, ac mihi testimonium perhibeant vera dicenti. Ad Hippasium ergo celebrem consulem genus refertur; genitor Asclepiades præfectus, sed et ipse Cæsar Maximianus generi propinquissimus est.* Et tyrannus : *Et quis est tibi talium magister, ut paternos quidem deos relinquere hortetur et imperatorum decreta contemnere? Divus Paulus,* ait Agathonicus, *et David. Ille quidem, obedire oportet, inquiens, Deo magis quam hominibus, hic vero, omnes, docens, dii gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit.* Judex autem, *Sapientiæ alumnus cum sis,* inquit, *non oportet sapientiæ auc-*

Ἣν σὺ λέγεις σοφίαν, ὡς ἅλμην ἀπεπτυσάμην· τῆς δὲ τοῦ Κυρίου μου, ὅς ἐστι τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς σοφία καὶ δύναμις, ἔμπλεως γέγονα.

Η'. Ταῖς γ' οὖν τοιαύταις δυσχεραίνων ὁ ἄνους ἐκεῖνος ἀντιλογίαις, τὸ μὲν θοπεῦσαι, τὸ δὲ καὶ πτοῆσαι διενοήθη τὸν μάρτυρα, καί φησι· Τῆς μὲν τῶν προγόνων εὐγενείας τε καὶ λαμπρότητος, ὦ Ἀγαθόνικε, οἰκεῖόν σε ἥ τε περιφανεία καὶ ἡ ἄλλη τῆς καλλονῆς μαρτυρεῖ κατάστασις. Βασιλικῆς γάρ σε μανθάνω μὲν βλαστὸν γενεᾶς, καὶ τῶν ἄλλως τὰ πρῶτα τῶν ἀξιωμάτων διιθυνάντων· καὶ γὰρ ἄξιον ὄντως τῆς ἐκείνων κοσμιότητος τὸ κατά σε λαμπρόν τε καὶ λίαν περίδοξον, ἐπειδὴ κόσμος αὐτοῖς καθέστηκας, ἢ ἐκεῖνοι σὸς ἐχρημάτισαν. Ἀλλά γε τοιοῦτος πεφυκὼς ἐκ τοιούτων, καὶ τοὺς τρόπους καὶ τὴν λατρείαν ὅμοιος καθεστάναι ὀφείλεις, καὶ μὴ τοῖς φημιζομένοις σοι συγκαταλέγεσθαι ψόγοις· οὐδὲ γὰρ ἐνδέχεται ἄνδρα φρονήσει καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς κεκοσμημένον, θεῶν πατρῴων ἀποῤῥαγέντα, ἄλλῳ θεῷ προσρυῆναι, καὶ τῶν μὲν βασιλικῶν ἀλογεῖν προσταγμάτων, καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς ἀγαθῶν στερεῖσθαι, τὸν δὲ τῶν κακούργων ἑλέσθαι θάνατον. Σκόπησον τοίνυν ὅσον τὸ τῶν ἀμφοτέρων διάφορον, καὶ μὴ πολὺ λογεῖν θέλε· ἀλλ' ἢ τῷ αὐτοκράτορι πείσθητι, καὶ λάτρις τῶν ἐκείνου καὶ σῶν πατρῴων γενοῦ θεῶν, καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς εὐημερίας ἀπόλαυε· ἢ τἀναντία φρονήσας, ἐναντία πάντως καὶ πείσῃ.

tores ignorare deos. Ac martyr respondit: *Quam tu dicis sapientiam, ut salsuginem abominor, sed Domini mei sapientia, qui est Dei ac Patris sapientia et virtus, plenus factus sum.*

8. Tales ergo haud æquo animo ferens amens ille contradictiones, partim adulari, partim perterrefacere cogitabat martyrem, et dicit: *Proavorum nobilitatis ac splendoris, o Agathonice, proprium te prospectus et reliqua elegantis pulchritudinis testatur constitutio. Nam imperatorio te audio ortum genere et illorum qui alias dignitatum primas regendo tenuerunt, etenim dignus revera illorum modestia decora, tu splendidus et valde gloriosus, quandoquidem tu ornamentum illis existis, aut illi tuum fuerunt. At certe talis oriundus ex talibus, etiam moribus ac cultu similis esse debes, et non divulgatis a te, una eos adscribi vituperiis : non enim convenit virum sapientia atque aliis virtutibus ornatum a diis patriis avulsum ad alium deum evadere, ac imperatorum contemnere jussa, et bonis ab illis provenientibus privari, malefactorum vero eligere mortem. Vide igitur quantum sit amborum discrimen ac noli multa verba perdere, verum, aut imperatari obedi, paternorumque illius ac tuorum deorum cultor esto, et quæ in iis sita est felicitate fruere, aut si contraria sentis contraria omnino et patieris.*

Θ'. Ταῦτα μὲν ὁ Εὐτόλμιος. Ὁ δὲ θεῖος Ἀγαθόνικος, σεμνὸν ὑπομειδιάσας (οἶδεν γὰρ ψυχὴ καθαρὰ καὶ νοῦς διαυγὴς τοῖς λήροις ἐπιγελᾷν), Τί, φησιν, ὦ Εὐτόλμιε, ἐπιχειρεῖς ἀνεπιχείρητα; Τί κομπάζων ἐν λόγοις, ματαίως τὴν γλῶσσαν κινεῖς, καὶ σύμβουλος οὐκ ἀγαθῶν, ἀλλὰ πρόξενος ἀπωλείας γίνῃ; Οὐδὲ γὰρ ἃ λέγεις διευκρινεῖν οἶδας. Πῶς γάρ με γενεᾶς τῆς προκρίτου φῦντα (εἰμὶ γάρ), φρονήσει τε καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς κωμῶντα, κρειττόνων μὲν ἀλογῆσαι, τοῖς δὲ χείροσι παραινεῖς προσγενέσθαι· καὶ Θεοῦ μὲν ζῶντος ἀποστῆναι τοῦ τῶν ὅλων δημιουργοῦ, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀθανάτων ἐκείνου καὶ ἀϊδίων γερῶν, εἰδώλων δὲ κωφῶν, ἀλάλων καὶ ἀψύχων χρηματίσαι λάτριν, ἃ καὶ τὸ σέβειν αἰσχύνη, καὶ τὸ προσκυνεῖν γέλως, ἀλλὰ καὶ τὸ θεοὺς ὀνομάζειν οὐ μόνον ψυχικὸς θάνατος καὶ ἀπώλεια, ἀλλὰ καὶ ἡ κόλασις ἀτελεύτητος; Ὧν καὶ Δαβὶδ καταπαίζων, Τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν, ἔλεγεν, ἀργύριον καὶ χρύσιον, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, ὅμοιοι αὐτῶν γένοιντο οἱ ποιοῦντες αὐτὰ, καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς. Βούλει οὖν με τοῖς ἀναισθήτοις ἐξομοιοῦσθαι καθ' ὑμᾶς τοὺς τούτοις λατρεύοντας· ἀλλ' οὐκ ἔσομαι οὕτως ἄφρων, ὥστε τῶν μὲν ἐν ἐπαγγελίαις ἀγαθῶν ἀμελῆσαι, τῶν δὲ μικράν μοι περιποιούντων τὴν ἡδονὴν καὶ πρόσκαιρον περιέξεσθαι. Ἀπογνοὺς οὖν τοῦ διὰ λόγων πείθειν ὁ τύραννος εἴργων ἔχετο· καὶ δὴ τὸν μάρτυρα μάστιξιν αἰκισάμενος,

9. Hæc quidem Eutolmius. Divus autem Agathonicus cum gravitate subridens (novit enim anima pura ac mens pellucida de nugis ridere), *Quid,* inquit, *Eutolmi, concupiscis quæ obtinere nequeas? Quid magnopere te jactans in verbis vane linguam moves? Et consulis quæ non sunt bona, concilias autem quæ perdunt? Haud enim quæ dicis rite discernere novisti. Quomodo enim me ex genere principis ortum (sum etenim), sensu intelligentiæ aliisque virtutibus florentem, meliora quidem contemnere, pejoribus vero adhortaris adjungi; ac Deum quidem vivum relinquere, universorum creatorem, insuper immortalia ejus ac sempiterna dona, idolorum vero surdorum, mutorum et inanimorum agere cultorem, quæ honorare dedecus, quæ adorare ridiculum est? Verum enimvero hos deos nominare, non solum naturalis mors ac perditio, sed etiam supplicium nullo fine claudendum. Quæ etiam David subsannans, idola gentium, ait, argentum et aurum, opera manuum hominum, similes illis fiant qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis. Vis ergo me rebus sensu destitutis assimilari, sicut vos, qui iis divinos exhibetis honores: sed non ero ita insipiens, ut quæ in promissis sunt bona flocci faciam, illis vero adhæream quæ parvam et temporaneam voluptatem conciliant.* Desperans ergo sermonibus persuadere tyrannus ad opera

πρὸς Μαξιμιανὸν μετὰ καὶ τῶν συνάθλων ἄγεσθαι ἐψηφίσατο. Οὐ γὰρ ἐπ' ἐξουσίας ἦν αὐτῷ τὴν ἐπὶ θάνατον ἄγειν, τῷ τῆς εὐγενείας ὑπερόγκῳ κωλυομένῳ.

Ι΄. Τοὺς γὰρ ἄλλους, ὅσοι τὸ εὐτελὲς κατὰ τὸ σαρκικὸν ἐπεγράφοντο γένος, κεφαλικῇ τιμωρίᾳ ἐξέδοτο, οὓς ἀγεληδὸν οἱ δορυφόροι προάγοντες ἀφειδῶς κατετέμνοντο. Ὑπεστήριζε δὲ πάντας ὁ καρτερόψυχος Ἀγαθόνικος, καὶ πρὸς τὸν ἆθλον ἀπιόντας ἐπήλειφε, Μὴ προδῶτε, φάσκων, ὦ σύναθλοι, τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν, μὴ δῶτε νῶτα τῷ διαβόλῳ, μὴ τῶν ἀϊδίων ἐκείνων καὶ ἀφθάρτων ἀποστερηθείητε στεφάνων, ἀλλὰ μιᾶς ἡμέρας προσκαίροις πόνοις, τὸν ἀπέραντον αἰῶνα κληρώσασθε. Παρῄνει δὲ καὶ τοὺς ἄλλους, καὶ πλείστους μετέβαλλε, καὶ μάρτυρας ἀπετέλει, ὥστε τοὺς τῆς πόλεως προὔχοντας, καὶ μάλιστα τοὺς τῶν εἰδώλων ἱεροτελεστάς, ἐπισπεύδειν τὸν τύραννον, τάχιον τὸν Ἀγαθόνικον ὑπεξελθεῖν, πρὸ τοῦ τὴν πόλιν μεταβαλεῖν. Ἐπείγεται τοίνυν ἐν τούτοις, συνεπαγόμενος τόν τε Ἀγαθόνικον καὶ τοὺς λοιποὺς συνδεσμώτας. Καὶ ἦν ἰδεῖν θέαμα ξένον· πᾶσα γὰρ ἡ πόλις, οἵ τε χριστωνυμίᾳ ἐν κρυπτῷ σεμνυνόμενοι, οἵ τε τῇ πλάνῃ ἀναφανδὸν συνείποντο, οἱ μὲν τὴν τοῦ μάρτυρος Ἀγαθονίκου ἀποκλαιόμενοι στέρησιν, οἱ δὲ τὴν καρτερίαν, ἀλλὰ καὶ τὴν τῆς καλλονῆς εὐφυΐαν ἰδέσθαι γλιχόμενοι· καὶ οὐ μόνον ὅσον τὸ ἐν ἀνδράσιν, ἀλλὰ καὶ

se convertit, et sententiam tulit martyrem flagris tortum ad Maximianum una cum certaminis sociis duci: non enim licebat ipsi eum ad mortem ducere, nobilitatis sublimitate impedito.

10. Alios enim quotquot inscripti erant genere secundum carnem vili, capitali pœnæ tradidit, quos catervatim lancearii productos absque misericordia concidebant. Confortavit autem omnes fortis animo Agathonicus, et ad certaminis præmium abeuntes inunxit, *Ne prodite,* dicens, *o certaminis socii, vestram salutem, ne date terga diabolo, ne sempiternis illis atque incorruptibilibus privemini coronis, sed unius diei temporalibus laboribus infinitum ævum hæreditate accipite.* Adhortabatur et alios, plurimosque convertebat ac martyres efficiebat, ita ut urbis primores ac præsertim idolorum sacerdotes urgerent tyrannum, ut citius Agathonicus exiret, priusquam civitatem converteret. Instat ergo in his, una producens Agathonicum et reliquos cum ipso vinctos. Eratque videre spectaculum insolens; tota enim civitas, et qui Christi nomine occulte insigniti erant et qui errorem aperte sectabantur, illi quidem martyris Agathonici deflentes abcessum, hi vero fortitudinem, insuper decoræ elegantiæ bonam indolem videre gliscentes; et non modo quotquot erant viri, sed etiam mulierum

γυναίων πλῆθος, καὶ παιδαρίων συνέθεον. Ὁ δὲ ἅγιος, ὡς ἐπί τινι παρεμβολῇ νίκης ἐλπίσιν ἐρχόμενος, κεχαρισμένως ἐβάδιζε, συνασπιστὰς τὸν τῶν ἀθλητῶν ὅμιλον ἐπαγόμενος, καὶ τὰ Δαυϊδικὰ συνᾴδων ὑμνολογήματα.

ΙΑ΄. Ὁ γ' οὖν ὠμὸς καὶ ἀπάνθρωπος Εὐτόλμιος τινὰς τῶν ἁγίων ὀκλάσαντας τῇ ὁδοιπορίᾳ οὐ μόνον οὐκ ᾤκτειρεν, ἀλλὰ καὶ δεινὰ προσετίθει, ὀῤῥωδεῖν ἐν τούτοις τούς τ' ἐγχωρίους, τούς τε περὶ Ζήνωνα μηχανώμενος. Καταπέλταις τοιγαροῦν τούτους ἀνῄρει, τὸν μαρτυρικὸν ἀγῶνα τελοῦντας. Ἐν δὲ τῇ Καλχηδόνι φθάσας, Σεβηριανὸν* ἐν εἱρκτῇ τὸν μάρτυρα εὗρε, πολλοῖς μὲν ἐγκεκλεισμένον χρόνοις, πλείστους δὲ καὶ ποικίλους ἀγῶνας ἐν βαθεῖ διηνυκότα τῷ γήρᾳ, καὶ πλείους τῇ θείᾳ διδασκαλίᾳ Χριστῷ προσάξαντα· ξίφει δὲ ὅμως (ὁδοῦ πάρεργον) αὐτοῦ κάραν ἀπέτεμε, θεόθεν στεφανωθεῖσαν. Ἀγαθονίκῳ δὲ τῷ θαυμαστῷ, ἵνα καὶ Βυζαντὶς τῶν καλῶν αὐτοῦ παραπολαύσειε, καὶ ταῖς τῶν αἱμάτων ῥοαῖς δαιμονικὸν ἄγος ἀπορρύψηται, ἐν ταύτῃ πάλη δευτέρα προτίθεται. Καὶ ἦν ἀγὼν ἀμφήριστος, τοῦ μὲν ἐτάζοντος ὅπως κρατήσῃ ταῖς αἰκίαις, καὶ μὴ τὸ πᾶν ἡττῆσθαι δοκῇ φιλονεικοῦντος, τοῦ δὲ μάρτυρος, ὅπως τῇ καρτερίᾳ τὴν εὐψυχίαν ἐνδείξηται, καὶ τῆς μαρτυρικῆς ἀναῤῥήσεως τὴν ἐπίτευξιν κομίσοιτο, τοῦτο μόνον δεδιότος, μὴ μαλακώτερον αἱ βάσανοι προσβαλοῦσαι οὐκ ἄξιον τοῦ πόθου τὸ γέρας συνεισενέγκωσι· καὶ τοῦ

* *apogr.* Σευκριανόν.

multitudo ac puerorum una currebant. Sanctus autem ut in aciem victoriæ spebus tendens, hilaris gradiebatur, commilitones, athletarum cœtum, inducens ac Davidicas simul cantans hymnologias.

11. Sævus igitur et inhumanus Eutolmius quosdam sanctorum itinere fatigatos, non solum non commiserabatur, sed etiam mala iis inferebat, timere in his incolas et Zenonem cum suis simulans. Catapultis igitur hos occidit, martyrii certamen perficientes. Quum autem Calchedonem pervenisset, Severianum in custodia martyrem invenit, multo quidem inclusum tempore, plurimis vero ac variis agonibus in provecta perfunctum senectute, qui plures divina doctrina ad Christum adduxerat, gladio nihilominus (quasi itineris appendicem) ipsi caput amputavit, divinitus coronatum. Agathonico autem admirando, ut et Byzantium præclaris ejus factis frueretur, et sanguinum ejus rivis diabolicum piaculum ablueret, ibidem altera palæstra proponitur. Eratque pugna anceps, examinantis quidem, ut vinceret tormentis, neve per totum victus videretur satagentis, martyris autem, ut patientia ingenuum animum demonstraret, et martyrii proclamati impetrationem ferret, hoc solum metuentis ne mollius illata tormenta haud dignum voto munus referant; illius quidem, ut, si detrahat ab

μὲν, ὅπως, εἰ καθαιρήσοι τοῦ φρονήματος, εἰς εὐγνωμοσύνης ἔνδειξιν, δῶρον μέγιστον προσάξῃ βασιλεῖ, τοῦ δὲ, ὅπως ἀκαθαίρετος ὀφθεὶς, τῷ οἰκείῳ προσάξῃ δῶρον ἑαυτὸν βασιλεῖ.

ΙΒ'. Σάρκες ἐτέμνοντο ξίφεσιν, ἶνες διελύοντο, νεῦρα διεσπῶντο, τοῦ αἵματος οἱ ῥύακες κρουνηδὸν ἐφέροντο, σπλάγχνα κατεχορδεύετο, ἡ τῆς φύσεως οἰκονομία ἐθεατρίζετο· οἱ δήμιοι ἀνένδοτοι καὶ σκληροὶ, αἱ ἀλγηδόνες ὑπερόριοι. Τῷ δὲ ἦν ἀνεπίκλαστος ἡ γνώμη, καὶ οὐδὲν ἐδείκνυ νήπιον, οὐδὲ ἁπαλὸν ἐν τῇ φύσει· τῶν θεωμένων κατάπληξις, ἀγγέλων κρότος ἐπινίκιος, τῶν δαιμόνων ὀλολυγμὸς, μέχρις οἱ βασανίζοντες ἀπειπάμενοι πρὸς τὸ ἀκατάπληκτον τοῦ ἀθλητοῦ τὴν νικῶσαν ψῆφον καὶ ἄκοντες τούτῳ προσένεμον. Ἔπειτα Μαξιμιανῷ Καίσαρι παρίσταται, κατὰ Συλυβρίαν διατρίβοντι τότε· ὃς ἰδὼν αὐτὸν καὶ ἐπιγνοὺς, ἀνὴρ ὅλος δαίμοσι κάτοχος καὶ ταῖς αὐτῶν θεραπείαις ἐκτόπως μεμηνὼς, δέον κατοικτειρῆσαι τῆς νεότητος, καταπλαγῆναι τοῦ κάλλους, θαυμάσαι τῆς ἀνδρίας, δυσωπηθῆναι τὴν συγγένειαν, τὴν τῶν εἰδώλων θεραπείαν προκρίνας, εἰς λόγους δυσσεβείας προυκαλεῖτο τὸν ἀθλητήν· ὡς δὲ τοῦτον ἀπισχυριζόμενον κατέμαθε, τῆς κάρας ἐκτομὴν αὐτοῦ καταψηφίζεται, τοῦτο μόνον αὐτῷ χαρισάμενος, τὸ μὴ τῆς ἐμφύτου ὠμότητος ἐπὶ πολὺ παρατεῖναι τὴν δεινότητα. Ἀπολυθεὶς τοίνυν ὁ μάρτυς τῆς προσκαίρου

animo forti, ad bonæ voluntatis probationem maximum munus offerat imperatori; hujus autem, ut inexpugnabilis conspectus, proprio regi seipsum donum offerat.

12. Carnes secabantur gladiis, fibræ dissolvebantur, nervi distrahebantur, sanguinis profluvia quasi ex fonte ferebantur, intestina vulnerabantur, naturæ dispositio omnium oculis patebat; carnifices rigidi ac duri, dolores omnem terminum transgressi. Huic autem erat infractum voluntatis robur, et nihil monstrabat puerile, nihil molle in natura ; intuentium stupor, angelorum plausus triumphalis, dæmonum planctus, donec torquentes desperantes ob athletæ imperterritum animum victoriæ suffragium etiam inviti ei præberent. Deinde Maximiano Cæsari sistitur apud Sylybriam degenti tunc temporis, qui videns eum atque agnoscens, vir totus a dæmonibus possessus et ipsorum servitio absurda cum rabie deditus, quum oportuisset misereri juventutis, percuti pulchritudine, admirari virile robur, flecti generis affinitate, idolorum servitium præponens ad verba impietatis provocat athletam; ut autem hunc fortiter obsistentem repererat, capitis abscissionem in illum decernit, hoc solum illi indulgens, quod ingenitæ crudelitatis sævitiam non in longum protenderet. Solutus

βιοτῆς, πρὸς ἀκηράτους σκηνὰς μετεβιβάζετο, χορείαις ἀγγελικαῖς παραπεμπόμενος, ὁ καλλίνικος τῆς εὐσεβείας ἀθλητὴς, ὁ διαυγέστατος τῆς οἰκουμένης φωστὴρ, ὁ τῆς εἰδώλων ἀσθενείας στηλιτευτὴς, καὶ τῆς Χριστοῦ δυναστείας ὑφηγητὴς, ὁ τὸν πολυμήχανον ἐχθρὸν ἐν τῇ οἰκείᾳ στεῤῥότητι καταβαλὼν, καὶ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ κατεχομένους, τῷ σωτῆρι προσαγαγὼν, ὁ τῷ φίλτρῳ τοῦ δεσπότου συναυξηθεὶς, καὶ κατάλληλον τοῦ πόθου τὸ τέλος ἐφευρὼν, ὁ φύσιν νεάζουσαν τῇ πίστει νευρώσας, καὶ συναμιλλᾶσθαι ταύτην τῇ γνώμῃ παρασκευάσας.

ΙΓ'. Τίς οὖν τούτῳ τῶν πάλαι, καὶ πρὸ τῆς χάριτος, ἰσόῤῥοπον τὴν ἀρετὴν ἔχων ἀναδειχθήσεται; Τίνος γὰρ οὐ κρατεῖ; Τίνος δὲ καὶ τῶν τῆς χάριτος τὰ δευτερεῖα ἀποίσεται; Μέγιστος Ἀβραὰμ, ἐπὶγνώμων ἀληθείας γενόμενος αὐτόματος, καὶ πατρικὴν ἀθεΐαν βδελυξάμενος, ἀλλ' ἐν παρκήμῳ καὶ βεβηκυίᾳ γενόμενος ἡλικίᾳ, τῆς γνώσεως λαμβάνει τὴν εὕρεσιν, τὴν νεότητα παρελάσας ἐν ταῖς τῶν εἰδώλων θεραπείαις· ὁ μάρτυς δὲ τὴν πατρικὴν ἀπώσατο δυσσέβειαν, ἔτι περιφέρων τὴν γλῶσσαν ψαλλίζουσαν, καὶ τῆς πρώτης ἡλικίας οὐκ ἀποτιναξάμενος τὰ ἐπίσημα. Ἰσαὰκ τύπος Χριστοῦ γενόμενος, εἰς θυσίαν ἄγεται, ἀλλ' ὑπὸ πατρὸς, ἀλλ' οὐκ ἀπαρτισθέντος τοῦ ἐγχειρήματος· οὗτος δὲ, τὸν τελειωτὴν τοῦ τύπου ποθήσας ἐκπαιδόθεν, ἑαυτὸν αὐθαίρετον θυσίαν διὰ πίστεως

ergo martyr temporali vita ad pura tentoria transferebatur, ad choreas angelicas transmissus, pulchra victoria splendens pietatis athleta, fulgidissimus mundi illuminator, idolorum infirmitatem in ignominiæ columna inscribens et Christi virtutis declarator, qui multiplicem machinis inimicum proprio robore dejecit, et quos ille vinctos tenebat, servatori adduxit, qui amore Domini jugiter crescens, convenientem quoque amoris desiderio finem invenit, qui naturam juvenilem fide reddidit nervosam et sociam pugnam cum voluntate committere fecit.

13. Quis igitur huic veterum et ante gratiæ legem æquivalentem virtutem habens ostendetur? Quem enim non vincit? Cui vero ex illis qui sub lege gratiæ vixerunt secundus habebitur? Maximus Abraham, agnitor veritatis factus propria sponte, ac patriam impietatem aversatus, at in ætate matura et jam provecta constitutus agnitionis adipiscitur inventionem, juventute transacta in idolorum servitiis; martyr autem paternam repulit impietatem adhuc circumferens linguam balbutientem et primæ ætatis nondum excussis insignibus. Isaac typus Christi factus ad sacrificium ducitur, sed a patre, sed non perfecto conatu; hic autem consummatorem typi amans a pue-

προσέφερε· πρότερον μὲν, καθ' ἑκάστην τῇ σεμνοτάτῃ θυόμενος πολιτείᾳ, ὕστερον δὲ καὶ διὰ τοῦ αἵματος μαρτυρικῶς καθιερευθείς. Ἰακὼβ μητρικὰς* ὑποθήκας δεξάμενος, πατρικὴν εὐλογίαν, μᾶλλον δὲ θεϊκὴν, ἐπεκτήσατο· οὑτωσὶ δὲ καὶ οὗτος τῆς μητρῴας λατρείας ὀπαδὸς γενόμενος, καὶ τῆς ἐν αὐτῇ λίαν ἀληθοῦς ἀδιαδόχου κοινωνὸς γέγονε δόξης. Ἰωσὴφ κάλλει μὲν ἐκεκόσμητο, καὶ τὸ κάλλος εἶχε κεκραμένον σωφροσύνῃ, ὁ δὲ κατ' οὐδὲν τῷ κάλλει λειπόμενος, διὰ βίου τὴν παρθενίαν ἔφερε σύνοικον· καὶ τῷ μὲν τῆς ἐνεγκαμένης ἡ ξένωσις συνήργει πῶς πρὸς ἀρετὴν (τῆς γὰρ θλίψεως τὸ ἐπίπονον ἀπωθεῖτο πᾶσαν τερπνότητα), ὁ δὲ ἐν τῇ οἰκείᾳ πολλοῖς τοῖς πρὸς ῥαστώνην καθέλκουσιν ἐναπειλημμένος, γενναίῳ λογισμῷ ταῦτα διεκρύψατο· καὶ ὁ μὲν τῆς εὐσεβείας παρὰ πατρὸς δεξάμενος τὰ σπέρματα, ἀκόλουθον ἐβλάστανε καὶ τὸν καρπὸν, ὁ δὲ τὴν δυσσέβειαν μὴ προσηκάμενος τὴν πατρικὴν, καθάπερ ῥόδον εὐθαλὲς, τὴν εὐωδίαν ἐξήνθησε τὴν μυστικήν. Δαβὶδ πυῤῥάκης μετὰ κάλλους ὀφθαλμῶν καὶ ἀγαθὸς ὁράσει γέγραπται, ὁ δὲ πάσῃ μὲν εὐπρεπείᾳ καὶ ὡραιότητι κατακεκόσμητο σωματικῇ, ἀγαθὸς δὲ οὐ μόνον ὑπῆρξε τῷ βλεπομένῳ καὶ νοουμένῳ, ἀλλ' ἐκ περιουσίας καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἐκληρώσατο· εἰ δὲ πρός τινα θεωρίαν ὑψηλοτέραν ἀποβλέπει τὰ τοῦ Δαβὶδ, οὐκ ἂν ἀπᾴδουσαν εὑρήσομεν ταύτην προσαρμόζοντες τῷ μάρτυρι.

* *apogr.* μαρτυρικάς.

ris, seipsum voluntariam victimam per fidem offerebat, primo quidem per singulos dies, augustissimæ sacrificans vitæ rationi, postea vero per sanguinem ut martyr consecratus. Jacob maternis consiliis obsecutus paternam benedictionem vel potius divinam lucratus est, sic et hic materni cultus assecla factus, etiam quæ in ipso est valde veræ ac perpetuæ consors fuit gloriæ. Joseph pulchritudine quidem ornatus erat, ac pulchritudinem habebat conjunctam pudicitiæ, hic autem nullo modo pulchritudine destitutus per vitam virginitatem ferebat contubernalem; et illi quidem e patria exilium cooperabatur ad virtutem (afflictio enim laboriosa amovebat omnem voluptatem), hic vero in propria domo multis ad desidiam detrahentibus interceptus, generosa cogitatione abscondit se ab illis; et ille quidem pietatis a patre acceptis seminibus, consequentem germinavit et fructum, hic autem impietatem paternam haud secutus, veluti rosa florida in suaveolentiam effloruit mysticam. David rufus cum venustate oculorum et bonus aspectu, uti scriptum est, hic autem omni decore ac venustate ornatus erat corporali; bonus vero non solum erat videnti et intelligenti, sed ex abundantia etiam nomen adeptus est; si autem ad quamdam speculationem sublimiorem respiciunt ea quæ Davidis sunt, haud absonam inveniemus eam adaptantes martyri.

ΙΔ΄. Ὁρᾷς Πέτρον ὑψοῦ δημηγοροῦντα καὶ λαὸν ἐμπερίτομον τῇ χάριτι προσάγοντα; Ὅρα καὶ τὸν ἀθλητὴν δημηγοροῦντα, καὶ λαὸν τῇ πλάνῃ τῆς εἰδωλομανίας προσκείμενον, πρὸς θεογνωσίαν μεταφέροντα. Παύλου τοῦ μεγαλοκήρυκος πολλῷ τῷ μεσῷ συνεργὸς ἀναδέδεικται. Τὸν αὐτὸν ζῆλον ἐπανήρηται, ὁμοίως καὶ αὐτὸς ἐπυροῦτο τὰ σπλάγχνα ὑπὲρ τῶν οἰκείων, ὑπὲρ τῶν ἀλλοτρίων, ὑπὲρ τῶν πεπιστευκότων, ὑπὲρ τῶν ἐνισταμένων, τῶν μὲν, ὅπως ἐπιμείνωσι τῇ ἀληθείᾳ, τῶν δὲ, ὅπως ἐπαρθείη τὸ κάλυμμα τῆς ἀγνωσίας τῶν τῆς ψυχῆς ὀφθαλμῶν, καὶ πρὸς τὸ φῶς διαβλέψωσι τῆς ἐπιγνώσεως. Συγγραφεὺς μὲν εὐαγγελίων οὐκ ἐγένετο, τῶν δὲ συγγραφέντων κῆρυξ μεγαλοφωνότατος, θαυμασίων ἐνέπλησε τὴν περιχώρον· τέλος, κοινωνὸς τῶν δεσποτικῶν παθῶν ἐχρημάτισε, τὸ τοῦ σωτηρίου ποτήριον πιὼν, τῆς υἱοθεσίας οὐκ ἐψεύσθη, τῆς ἀναῤῥήσεως ἐπέτυχε, τῆς θεώσεως κατηξίωται, νῦν μετὰ ἀγγέλων συγχορεύων, τῆς μακαρίας Τριάδος καθορᾷ τὴν ἔλλαμψιν, νῦν μετὰ τῶν συνάθλων αὐλιζόμενος, τὸν ἐπινίκιον ὕμνον προσφέρει τῷ κτίσαντι, νῦν ἀμέσως προσπελάζων τῷ θρόνῳ τῷ δεσποτικῷ, τὰς ὑπὲρ τοῦ κόσμου προσάγει ἱκεσίας.

ΙΕ΄. Τούτῳ προσέλθωμεν ἅπαντες μετὰ πίστεως, εὐφημοῦντες, γεραίροντες, μεγαλύνοντες ᾄσμασιν, ὡς ἄνθεσι καταστέφοντες, ἐγκωμίοις

14. Vides Petrum e sublimi concionantem ac populum circumcisionis ad gratiam ducentem? Vide et athletam concionantem ac populum errori idololatriæ deditum ad Dei agnitionem transferentem. Pauli magni prædicatoris post longum intervallum cooperator ostensus est. Eodem zelo abreptus fuit, similiter atque ille exardescebat visceribus, pro suis, pro extraneis, pro fidelibus, pro instantibus; pro illis quidem ut permanerent in veritate, pro his autem ut auferretur velamen ignorantiæ ab animæ oculis, et aspicerent in lumen agnitionis. Scriptor evangeliorum non fuit, scriptorum autem præco valde altiloquus, miraculis implevit circumjacentem regionem, tandem consors dominicarum passionum exstitit, salutaris poculum bibens : adoptione filiorum non est fraudatus, assumptionis particeps factus est, deificatione dignus habitus, nunc cum angelis choreas ducens, beatæ Trinitatis intuetur illuminationem, nunc cum certaminum sociis in aula habitans, carmen triumphale profert Creatori, nunc sine medio appropinquans throno Domini pro mundo offert supplicationes.

15. Ad hunc accedamus cuncti cum fide, bona verba dicentes, honorem dantes, magnificantes carminibus, ut floribus coronantes, encomiis salutantes veluti porrecta dextera, qui jucundo sunt animo,

δεξιούμενοι· οἱ θυμήρεις, οἱ τεθλιμμένοι, οἱ μὲν, τὴν θυμηδίαν διαρκεῖν ἐξαιτούμενοι, οἱ δὲ, τὴν τῶν λυπούντων μεταβολὴν ἱκετεύοντες· οἱ πλουτοῦντες, οἱ πενόμενοι, οἱ νοσοῦντες, οἱ ἐνεκτοῦντες· οἱ μὲν, τὴν ῥῶσιν φυλάττεσθαι βουλόμενοι, οἱ δὲ, τὸν ὄγκον ἀποθέσθαι τῶν νοσημάτων προθυμούμενοι· οἱ νέοι, οἱ γέροντες, πᾶσα ἡλικία, καὶ πᾶν γένος ἀνθρώπων. Χαίρει γὰρ ἡμῶν τὸ πρόθυμον ὁρῶν ἀήττητος· καὶ πρὸ τούτου, πολλῷ πλέον εὐφραίνεται καὶ χαίρει Θεὸς, ὁ τοῦτον τιμήσας καὶ δοξάσας, τὴν πρὸς τὸν ἀθλητὴν εὐφημίαν, οἰκείαν λογιζόμενος εὐφημίαν, τὸν πρὸς αὐτὸν ἔπαινον, οἰκεῖον ἔπαινον. Εἰ γὰρ ὁ βασιλέως οἰκέτην θεραπεύων, αὐτὸν πιστεύει θεραπεύειν τὸν βασιλέα, κακεῖνος δὲ τὴν πρὸς τὸν οἰκέτην θεραπείαν ὡς ἰδίαν ἀναδέχεται, οὐ πολλῷ μᾶλλον ὁ φύσει ἀγαθὸς, τῶν δι' αὐτὸν κενωσάντων τὸ ἴδιον αἷμα, τὴν δόξαν ὡς οἰκείαν ἡγήσεται; Πάνυ μὲν οὖν. Πλὴν, ποίαν ἂν δόξαν εἰσενέγκοιμεν ἀξίαν τῆς μαρτυρικῆς μεγαλειότητος, ἀντεισηκοῦσαν τῇ δόξῃ τῇ παρὰ τοῦ Θεοῦ τούτοις παρασχεθείσῃ; Δαίμονας ἀπελαύνειν δίδωσι, νόσους ἀποδιώκειν, παθημάτων λυτροῦσθαι τοὺς πρόσφυγας, λύειν ἁμαρτήματα, θραύειν πολέμους, εἴτε τοὺς αἰσθητοὺς τούτους καὶ ὁρωμένους, εἴτε τοὺς νοητοὺς καὶ μὴ βλεπομένους, νεκροὺς ἀνιστᾶν, θυμηδίαν χαρίζεσθαι, κινδύνων ἀπολυτροῦσθαι,

qui afflictione premuntur; illi quidem ut jucunditas sit continua exorantes, hi vero eorum quæ luctum afferunt commutationem deprecantes; divites, pauperes, ægroti, bene habentes, hi quidem robur virium conservari volentes, illi vero pondus deponi ægrotationum propenso animo cupientes; juvenes, senes, omnis ætas et omne genus hominum. Gaudet enim nostrum propensum animum videns invictus, et præ ipso multo magis lætatur et gaudet Deus qui hunc honoravit et glorificavit, faustas acclamationes ad athletam, proprias reputans acclamationes; laudem illi datam, propriam laudem. Si enim qui regis servum curat, ipsum confidit curare regem et hic impensam servo curam ut propriam accipit, nonne multo magis qui natura bonus est, illorum qui propter ipsum proprium effuderunt sanguinem, glóriam ut propriam reputabit? Profecto quidem. Imo qualem gloriam afferemus dignam martyrum magnitudine, correspondentem gloriæ a Deo illis concessæ? Dæmones dat abigere, morbos fugare, a calamitatibus liberare qui ad eos confugiunt, solvere peccata, debilitare bella, sive quæ sentimus et videmus, sive quæ mente intelligimus et non videmus, mortuos suscitare, jucunditatem largiri, e periculis liberare, ad omnia quæ divinæ potestatis sunt venire, apparere

πάντα ὅσα τῆς θείας δυνάμεως, ἐπιφοιτᾶν, ἐπισκιάζειν ἐν ὁράσεσιν, ἐν ὄψεσιν, ἐν οἴκοις, ἐν ἀγοραῖς, ἐν ἐκκλησίαις.

ΙϚʹ. Ἀπέστωσαν γὰρ ἡμῖν οἱ λογισμοῖς ἀλόγοις τῶν ὀπτασιῶν ἀποστεροῦντες τοὺς ἁγίους, καὶ τοῖς ἀγγέλοις μόνοις ταύτας ἀναγράφοντες. Εἰ γὰρ ἔτι μετὰ σώματος ὄντας, μεταρσίους αὐτῶν τινας ὁ Θεὸς πεποίηκεν, οὐχ ἑτέρους ἀλλ' αὐτοὺς παραστήσας τῆς ἐπικουρίας δεομένοις· οὐ πολλῷ μᾶλλον τοῦ γεώδους σκήνους καὶ βρίθοντος διαζευχθέντας αὐτούς, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν αἰτούντων ἀποστείλειεν. Εἰ τὰ τούτων λείψανα γυμνὰ καὶ πάσης ζωτικῆς ἰκμάδος δεικνύμενα, καθάπερ ἐκ πηγῆς τινος ἀενάου τὰ νάματα βρύουσιν, οὐκ ἔστι λογίσασθαι τὰς αὐτῶν ἐπιστασίας ὑπερφυῶς οὕτω καὶ θεοπρεπῶς ἀποτελουμένας; Εἰ γὰρ καὶ δίχα τοῦ οἰκείου σώματός εἰσιν, ἀπαμφιασθέντες τούτου τῷ θανάτῳ, ἀλλὰ μετ' ἀγγέλων τῷ κτίστῃ παριστάμενοι, ἀγγελικὰς λειτουργίας ἀποτελεῖν οὐκ ἀμφιβάλλονται. Ἀλλὰ πῶς ἐν ταὐτῷ, φασι, καὶ ἐν ἀκαρεῖ τῷ καιρῷ πανταχοῦ παρεῖναι, καὶ ἐνεργεῖν ἅμα δύνανται, ὅπερ μόνον ἰδιαίτατον τῆς θείας οὐσίας; Τοῦτο μὲν οὐκ ἂν δείξειέ τις, οἶμαι, γινόμενον· εἰ δὲ καὶ δειχθήσεται, οὐκ ἀναιρετικὸν πέφυκε τῆς τῶν ἁγίων παρουσίας, συνεργίᾳ δὲ μᾶλλον τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, πρὸς πλείονα δόξαν τῶν θεραπόντων· ἐπεὶ γὰρ σὺν Θεῷ βασιλεύουσι, καὶ τῆς δόξης ἐκείνης κατατρυφῶσι τῆς

forma umbratili in visibus, in visionibus, domi, in foro, in ecclesiis.

16. Procul enim sint a nobis, qui ratiociniis absque ratione apparendi facultate privant sanctos, et solis angelis hanc adscribunt. Si enim illorum aliquos adhuc in corpore degentes sublimavit Deus, non alios sed ipsos præsentes sistens illis qui auxilio indigent, nonne multo magis a terrena et aggravante habitatione separatos ad salutem orantium mittat? Si horum reliquiæ nudæ omni vitali vigore demonstratæ, quasi ex fonte quodam perenni limphas scaturiunt, nonne licet ratiocinari eorum auxiliares apparitiones supra naturam sic et divine perfici? Etsi enim absque proprio corpore sunt, exuti illo per mortem, at cum angelis creatori adstantes, angelicis ministeriis perfungi non dubitant. Sed quo modo in eodem, dicunt, et brevissimo tempore ubique adesse et simul operari possunt, quod solum propriissimum est divinæ substantiæ? Id nemo, puto, monstrabit factum; si vero etiam monstrabitur, non ejus est naturæ, ut sanctorum præsentiam neget, sed fit potius per cooperationem Dei potestatis, ad majorem gloriam famulorum; quandoquidem cum Deo regnant, etiam gloria illa perfruuntur ineffabili ac beata, hoc munus

ἀνεκφράστου καὶ μακαρίας, τοῦτο γέρας λαβόντες, καὶ πρὸ τῆς κοινῆς ἀναστάσεως πάσης ἀκολούθως τιμῆς ἠξίωνται παρὰ τοῦ εὐεργέτου καὶ μεγαλοδώρου. Ὅθεν ὀφειλομένην ἔχομεν καὶ ἡμεῖς τὴν πρὸς τοὺς ἀθλητὰς τιμήν τε καὶ δόξαν, οὐ τόσον προσφέροντες, ὅσον κομιζόμενοι, μηδὲν οἰκεῖον συνεισάγοντες, ἀλλ' ἢ μόνην τὴν εὐγνωμοσύνην, ἣν καὶ πλουσίαν ἐπιδειξώμεθα, ἵνα καὶ πλουσίαν ληψώμεθα τὴν ἀνταμοιβήν, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

adepti, et ante communem resurrectionem omni continuo honore digne cumulantur a benefactore ac magnorum donorum datore. Unde debitum et nos exhibemus athletis honorem et gloriam, non tantum offerentes quantum referentes, neque quidquam proprium adducentes nisi solum mentis candorem, quem et copiosum demonstremus, ut copiosam quoque recipiamus remunerationem, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in secula seculorum. Amen.

VITA
SANCTI SEVERI VIENNENSIS
PRESBYTERI ET CONFESSORIS.

Ex manuscripto bibliothecæ regiæ Bruxellensis hanc Vitam excerpimus, nempe ex codice cui numerus 9636-37 inscribitur, quique ultimis circiter seculi XI annis fuit exaratus.

Majores quidem nostri, brevitati consulentes, documentum hoc, sibi non ignotum, typis committere haud existimaverunt necessarium; quippe quum ex Viennensi breviario omnia putarent nactos se esse, quæ ad vitam Severi illustrandam conducerent (1). Interim fontium historicorum et antiquitatis studiosis placebit etiam fortassis, non tantum ex libro anno 1522 excuso, sed et ex vetustiori quatuor saltem seculis membrana res ipsas accipere, abundantiore utique et luculentiore stylo, verum sobrio et concinno, historicæque rationi adeo commode aptato, ut ad compendium liturgicum conficiendum, satis fuerit quædam resecare, ceteris verbo tenus servatis. Id sane patebit utrumque textum comparanti : quod ut facilius fiat, numeros eos adhibuimus qui respondeant partitioni lectionum in breviario Viennensi. Sed in fine præterea narratur (num. 10) miraculum quo sanctus Severus beato Desiderio Viennensi episcopo et martyri liberator affuit, quodque refertur item in Vita sancti Desiderii, auctore coævo (2). Quædam etiam pars hujus nostri textus fuerat in lectiones ad usum liturgicum divisa, prout ex annotatis conspicitur.

Discrimina etsi pauca sunt inter utramque narrationem, illud vero occurrit notatu dignissimum, quod non sanctum Isichium, sed sanctum Paschasium Severus advocasse dicitur ad ecclesiam in honorem sancti Stephani consecrandam. Quod sane multo magis adhuc a recta præsulum Viennensium chronotaxi abhorrere ducemus, si communiter admissæ (3) horum seriei adhærentes, statuerimus sanctum Paschasium ineunte seculo IV sedem episcopalem occupasse. Verum inde magis adhuc constabit quam sint incerti calculi chronologici circa ecclesiam Viennensem (4); nonnihilque fortassis verisimilitudinis accedet Baronii (5) ac Tillemontii (6) sententiæ, qui sancti Paschasii episcopatum a quarti seculi ambitu intra seculi quinti limites reposuerunt. A qua controversia ulterius excutienda supersedendum hic ducimus.

Unusquisque demum, si modo rerum topographicarum Viennensium fuerit curiosus, prompto negotio animadvertet designationes *Vogoriæ, Gayræ, Garavisii*, quæ ab impressis vel discrepant, vel absunt.

(1) *Act. SS.* ad d. 8 aug., tom. II, p. 350. — (2) *Act. SS.* ad d. 23 maii, tom. V, p. 252. — (3) *Gallia christiana,* tom. XVI (1865), p. 12. — Gams. *Series episcoporum eccl. cathol.* — Conf. Adonis *Chronicon,* æt. 6ª (Migne, P. L., tom. CXXIII, p. 103). — (4) Conf. *Act. SS.,* tom. II aug., p. 349, n. 5. — (5) Ad ann. 417, num. XLI. — (6) *Mém. ecclés.* (éd. 1705) tom. X, p. 842.

Vita sancti Severi presbyteri et confessoris quæ est XIIII kalendas Decembris (1).

1. Beatus Severus, ut ex tunc per succedentia tempora veræ cognitionis ratio manifestat, natione fuisse Indus dicitur, parentum genere clarus, mundana facultate non modicus, in Christi tamen fide perfectus. Qui cum amborum morte parentum in hereditate locupleti fuisset adhuc parvulus derelictus, et tempore feliciter succedente ad perfectam venisset ætatem, evangelici sermonis non surdus auditor, et dominici talenti providus dispensator, omnia quæ sibi fuerant a parentibus derelicta, commutatione felici pauperibus credidit eroganda. Ita mundanis rebus exutus, sed divina fide vestitus, liber atque expeditus, velut sanctus Abraham de terra et de cognatione sua peregrinatione laudabili Dominum ducem est secutus. Cujus semper gestans in corde fidem et portans in corpore crucem, ecclesiastici ordinis gradibus christianæ religionis pontificibus commendatus, inviolabili cursu peracto, ad presbyterii locum accessit ordine sublimatus. Qui cum, ut dictum est, peregrinatione suscepta, ac tantis terrarum marisque spatiis transmeatis, ad Viennam Galliarum urbem maximam pervenisset, ibique solito diversa circumquaque loca lustrasset, ad locum quemdam, cui Vogoria nomen est, priusquam ad urbem accederet, pausandi gratia aliquantum temporis requievit.

2. Sed cum nemorosum rituque gentilium diversis generibus portentorum obligatum cerneret locum, et arborem unam, quæ ceteris videbatur altitudine ramorum prolixior, foliis vernantibus jocundior, crassaque columna præstantior, arrepta securi vellet succidere, illico gentilium restitit multitudo ad defendendam arboris fanaticæ dignitatem. Quos cum beatus Severus divinæ prædicationis auctoritate repulisset, diceretque gentilibus ut potius in Domino omnipotente confiderent, quam in insensibili stipite fiduciam virtutis haberent; dumque illi divinitus in venerationem conversi, erroris ab eo veniam flagitarent, cœpit habere continuo ad succidendam arborem socios quos dudum visus fuerat comperisse contrarios. Qui cum, jubente Domino, sua cum beato viro fana succiderent, et divina prædicationis semina in his fructificarent, salubri eos moderatus consilio et cohortatus affectu paterno, cœpit cum eis eodem in loco quo nemus dæmoniis consecratum everterat, fundamentum effodere, ac linea percurrente basilicam in honore sancti Albani martyris fabricare. Cumque

(1) Nomen sancti Severi, presbyteri et confessoris, reperitur hoc ipso die, 18 novembris, in quodam usuardini martyrologii auctario; pridie vero in martyrologio germanico Adami Walasseri quod Canisianum dicitur (Dilingen, 1583).

ibidem subterraneam pecuniam, Domino largiente, reperisset, opus inceptum celeritate qua potuit consummavit, prædictique reliquiis sancti martyris illustravit. Tandem his rite peractis, et gentilibus illis in sanctæ Trinitatis nomine baptizatis, ad præfatæ urbis mœnia pervenit, atque perambulans totius civitatis spatia, ad eum, ponte transmisso, pervenit illico locum ubi templum erat, cui præ multitudine idolorum centum deos nomen conditor vetustus imposuit; quod Gayræ supereminet flumini, eminusque ponitur civitati.

3. Ibique, ut dictum est, idolorum numerositate reperta, et paganorum multitudine congregata, cum afflictus corde errantem populum circa culturam dæmonum nimium doleret, sic ad nota conversus salutis præsidia, duodecim continuatis diebus ac noctibus jejuniis atque vigiliis Domini misericordiam exorare non destitit, quoadusque pertinacis populi duritiam emolliret, eosque ad agnitionem plenissimæ veritatis, ipso auxiliante, perduceret. Idque precum magis assiduitate promeruit, ut qui tantas idolorum statuas cunctasque dæmonum thecas evertere propria virtute non potuit, cælitus hæc virtus divina dirueret et terræ funditus coæquaret. Cumque id, ut vir Domini mente conceperat, virtute sua Dominus ob fidelis sui meritum perfecisset, ut sanctum ab oratione caput flexaque genua sublevavit, ita subito simulacra omnia eversa ruerunt, et ad solum prostrata velut in cinerem sunt redacta, ut quo quidque constiterit loco penitus non pareret. Igitur istius rei miraculum cum ibidem plebs adunata vidisset, et prædicatione beatissimi Severi, remota ambiguitate, in Christum Dominum credidissent, sic per impositionem manus crucisque signaculum adquisivit omnipotenti Domino famulos, quos tenuerat longa gentilitas obligatos; cœpitque una cum plebe devota in honore beati martyris Stephani in eo, qui prius idolorum fuerat locus, fundamentum effodere, et orationis futuræ machinam collocare. Cumque, ut mox ædificandi causa poscebat, terræ maximam partem egererent, quo lapidum congeriem aggregarent, subito vas argenteum plenum probatissimis solidis repositum invenerunt. Quod vir beatus non sine divini muneris largitate intellexit sibi monstratum, ut misericordiæ et orationis ex eo opus inceptum expleretur. Et cum gratiarum actione penes se absque ulla cupiditate servans, partem solidorum pauperibus credidit erogandam, partem in usibus ædificii vel ibidem servientium solatio deputavit. Quod ne forte quis æstimet fabulosum, urceus ipse in quo pecunia reperta est, ad sacrosancti altaris ministerium Viennensis ecclesiæ usque in hodiernum diem noscitur deservire.

4. Ergo cum beatus Severus opus inceptum divinæ virtutis instantia fabricasset, et parietum machina usque ad tignorum designata loca procederet, contigit beatissimum Germanum Autisiodo-

rensis ecclesiæ episcopum, dum Romam ad invisenda sanctorum loca orationis causa properaret, Viennam urbem attingere, ibique paululum pausandi gratia commorari. Cumque ad eum locum accederet quo beatus Severus sæpedictum opus basilicæ construebat, casu contigit venerabiles viros Germanum episcopum et Severum presbyterum sibi invicem obviare. Cumque, ut mos cunctis est christianis, salutationis officium sibimet uterque præstarent, flexisque poplitibus medium inter se Christum Dominum adorarent, ac si notitiam pristinæ cognitionis longinqui temporis habuissent, ita propriis noscuntur se in hæc verba salutasse nominibus : *Ave,* inquit primum beatus Severus, *sancte Germane, Autisiodorensis civitatis sacerdos venerande, et benedictionis tuæ consecrationem mihi verbo manu impende.* Cui beatus Germanus ita respondit : *Benedic,* inquit, *et tu mihi, sacerdos Domini, beate Severe.* Cumque alternæ pacis osculum sibimet tradidissent, istius rei operam omnes qui aderant non sine divinæ virtutis beneficio mirabantur, eo quod hi qui prius sui notitiam minime compertam habuerant, propriis se compellasse nominibus noscerentur. Huic autem stupori magis credulitas divina successit, ut cunctis intelligentibus videretur non minus sancti Spiritus præsentiam in caritate prævalere quam corporali contemplatione posse præstare *. Et quibus parem contulerat Dominus in virtutibus gratiam, reddidit etiam in nominum compellatione similem notitiam.

* *corr.* præstari.

5. Sic igitur sancti viri oratione completa, atque omnibus ad Deum pertinentibus devoto studio celebratis, beatus Germanus opus inceptum * a beato Severo congaudens, eum his alloquitur verbis : *Rogo,* inquit, *caritatem tuam, dilectissime frater, ut hujus sacratissimi, quod in honore Domini construis, templi ad dedicandum spectabile votum, parvitatis nostræ præstolari digneris adventum, ut cujus in præsentia ædificii machinam admiramur, in ejus consecratione per benedictionis cumulum utrique lætemur.* Cui beatus Severus respondit : *Ego,* inquit, *ad hoc munus injunctum tuisque simul orationibus expeditum, sanctitatis tuæ præstolabor adventum, nec hoc penitus dedicare contendam, donec venerationis tuæ præsentiam comperiam affuturam.*

* *corr.* operi incepto.

6*. Cumque sibi utrisque invicem valedicentibus, sanctus Germanus iter inceptum arripuisset, et beatus Severus opus inchoatum celeritate qua poterat expedisset, transacto perinde biennio, nihil jam aliud superesse restabat, nisi quod tantum dedicandi solemnitas exposcebat. Beatus vero Severus promissionis mutuæ emensum jam tempus considerans et servum Domini mentiri non æstimans, tacito secum ista volvebat in animo dicens : *Si, ut sacris scriptum litteris invenimus, quia fidelis est Dominus in verbis suis et sanctus in omnibus operibus suis, iterum mihi præsentiam servi sui fidelis ostendere non*

* *in marg.* L. 1*.

tardabit, sanctumque virum quem nobis semel ostendere procuravit, defraudari iterum exspectando penitus non permittet. Igitur cum ista, ut dictum est, enixius semper in animo presbyteri volverentur, et devotio fidelis populi, Domino volente, compelleret ut dedicatio expectata succederet, beatus Severus populi desiderium in hac re ultra dissimulare non valens, et præfatæ sponsionis placitum non expectare pertimescens, vicit plurimorum intentio ut hujus rei non differretur sponsio, nec ulterius jam beati Germani exspectaretur adventus, sed
* *in marg.* L. 2ª. ut prædictus locus fieret omnipotenti Domino consecratus. * Quid multa? Ad beatum Paschasium ejusdem episcopum civitatis acceditur, eique devotio fidelis populi nuntiatur. Cumque in una resurrectionis dominicæ die tempus eligerent ut in sæpedicto loco beati martyris Stephani reliquiæ conderentur, indicta, ut moris est, a clero vel populo ministrantur necessaria; papyri vel cereorum præparantur impendia. Cumque ad beatum episcopum conventus populi fidelis ac clericorum accederet et, igne apposito, cereorum lumina concinnarent, ita tunc exspectantibus manifestum fuit divinitus contigisse ut elementa duo contra tertium sic invisibiliter contra naturam omnimodis repugnarent, ut nullus cereus applicito igne posset
* *in marg.* L. 3ª. accendi, nec ullam in his scintillam luminis conspicari. * Cumque istiusmodi operam cuncti qui aderant mirarentur, eosque rei præsentis novum facile prodigium deterreret, eo quod ignis in subjecta sibi materia nullatenus eluceret, beatus Severus tacita mentis recordatione pertractans quæ sibi cum beato Germano pariter convenissent, modicum tempus adhuc propagandi petit inducias, quo sponsionis
* *add. a corr.* mutuæ dilatas * possit intelligere causas. Et cum hæc beato Paschasio episcopo fuissent per ordinem intimata cunctisque fidelibus a beato Severo præcognita, sollicitudine jam assidua, sola tantum in hac re beati Germani exspectabatur adesse præsentia. Cum hæc casu gererentur ancipiti, et beatus Severus a sponsione jam dicta nullatenus posset avelli, cunctis tamen populis una cum sancto Paschasio episcopo orationibus atque jejuniis insistentibus, Domini misericordiam exorabant ut aditum concedere dignaretur qualiter in prædicto loco sanctæ reliquiæ conderentur. Cumque iterum ad ipsius sollemnitatis peragenda mysteria dies illucesceret statuta, et sanctarum reli-
* *in marg.* L. 4ª. quiarum denuo præpararetur processio celebranda, * dum ad consueta sollemnia omnes undique procederent, et ad sanctam ecclesiam multitudo populi festinaret, subito pro foribus civitatis corpus adesse sancti Germani beato Severo denuntiant. Tunc ille gavisus in Domino cunctis civibus atque episcopo denuntiavit ut ad sancti funeris exsequias ex more procederent atque his usibus necessaria præpararent. Et quia ille promptius exspectabat ut in adventu sancti Germani prædicta dedicatio succederet, per cujus fuerat absentiam longo tempore

dilata; ita procurante misericordia Domini contigit ut eo die in occursum beatissimi confessoris et luminis officium redderetur, et dedicationis sollemnitas votis competentibus impleretur. Nam die illuscente dominico et in septima mensis julii kalendarum die * et sanctum beati Germani advenit corpusculum, et venerabiles reliquiæ sancti Stephani conditæ sunt cum honore psallentium. Hæc enim, Domino volente, sibi invicem consona provenerunt, ut utriusque viri et probaretur meritum, et impleretur effectus.

* add. a corr.

7 *. Consummatis igitur atque perfectis duobus in honore sanctorum sacratissimis locis, tertium beatus Severus ædificare rursum aggreditur locum. Medio igitur qui quatuor montibus ponitur colle, qui subjectæ cominus eminet civitati, quem Arcem vocare antiquitas vetusta consuevit, erectam ibidem statuam ob profani ritus ceremonias et veneranda agentibus populis sacra beatus Severus invenit. Qui cum errore deceptum altius ingemisceret populum et a religione divina cerneret alienum, more ad Dominum solito atque ad orationem conversus statuam idoli, nullo sibi resistente, confregit et ad nihilum usque redegit ut nunquam ulterius ibidem ritus dæmonum coleretur. Cumque, ut dictum est, tertium in Trinitatis nomen oratorii futurum locum effoderet, et fundamenta altius aperiret, repperit etiam ibi, largiente Domino, sicuti fecerat prius, non modicum numerum aureorum solidorum. * Quod cum benedicens Dominum similiter sustulisset, opus inceptum, adjuvante divina gratia, ædificavit et ad perfectum, nullo sibi gentilium resistente, perduxit. Cumque ibidem veneranda patrocinia beati Laurentii martyris cum honore debito collocasset et erroris locum in honore Domini consecrasset, repertam pecuniam in sinu pauperum idoneus dispensator fideliter erogavit, ut in dispensatione viduarum et pupillorum imitatorem se Laurentii sancti monstraret et perfectum sequipedem in studiis beati Stephani devotus ostenderet.

* in marg. L. 5ª.

* in marg. L. 6ª.

8. Igitur cum beatus Severus severissime corpus suum diversis abstinentiæ modis afficeret, et luctantem animam contra spiritalis nequitiæ jacula præpararet, decrevit ut sapiens architectus fundamenta Domini in montibus sanctis et planis posita locis assidue circuire ibique sine intermissione Domino sacrificium laudis offerre et hostiam jubilationis indesinenter exsolvere. Idem tertiam et sextam pariter horam in basilica sancti Stephani psallere procuravit; nonam vero in sancti Laurentii oratorio celebrabat; vespertinum quoque sacrificium et duodecimæ horæ cursum Vogoriæ, quod octo a Vienna urbe distat millibus, ad beati Albani oratorium decrevit continuatis temporibus consummare, ibique simul et corporis refectionem accipere. Matutinos vero et nocturnos cursus ad civitatem in sanctam matrem ecclesiam celebraturus Domino veniebat. Hoc divini muneris

* in marg. L. 7ª.

opus instanti sollicitudine cunctis diebus vitæ suæ sine intermissione peragens, nullum tempus excepit quo non in divinis laudibus etiam iter faciens moraretur. Igitur cum semetipsum in hujusmodi exercitiis frangeret et die noctuque attenuatum vigiliis atque jejuniis corpusculum maceraret, quadam nocte, dum iter de Vogoriæ loco ad civitatem ageret, et matutinis celebrandis officiis ad sanctam matrem ecclesiam festinaret, quodam in loco qui Garavisius nuncupatur, semivivum quemdam offendit homunculum; quem dæmonium meridianum multis affectum injuriis exanimem prope reliquerat. Quem cum media jacentem in via vir beatus, ut diximus, invenisset, ipsumque compellans nullum in eo viventis sonum audisset, intellexit non humana illum sed dæmonum cæde multatum fuisse.

* *in marg.* L. 8ª. **9 ***. Quem continuo oratione ad Dominum fusa, signoque crucis per omne corpus impresso, in ipsius adhuc noctis crepusculo incolumem reddidit. Moxque ut exercitus meridiani nequitiam didicit hæc fecisse, eos sancto succensus Spiritu præpeti cursu consequitur, consecutosque stare jubet immobiles, nec ulterius iter nequitiis horrendum proficisci. Cumque se dæmonia nullis phantasiæ figmentis ab eo possent ullatenus expedire, quippe qui * nulla queunt locali visibilitate conspicari, sed negotium magis perambulans in tenebris exercere, cunctos diurnæ refugas lucis usque ad diei supervenientis initium tenuit. Cumque se relaxari jam dæmonia peterent et abire vellent, qui certis teneri locis non possunt : *Ite,* inquit eis beatus Severus, *ut semper desideratis, in tenebris, ita ut in competis * vix præsentis nullis jam nocendo valeatis aditibus neque præstigiis ambulare.* Tunc ad ejus imperium omnis illa dæmonum pompa velut fumus * ceraque liquefacta recessit, omnisque tenebrarum concursus ut pulvis ventorum flatu dilapsus evanuit. Sic interventu beatissimi viri et homo vexatus sanitati pristinæ redditur, et præfatum, ut diximus, iter a periculo dæmonum liberatur. Nec silendum est quod sæpissime beatus Severus ipsi principi dæmonum litteras suas per obsessos a se quosque direxit in hæc verba præcipiens : *Severus servus Christi Jesu Dianæ dæmoni meridiano. Præcipio tibi in nomine Domini nostri Jesu Christi ut, cum has litteras acceperis, hunc quem obligatum tuis gaudes insidiis retinere amplius non præsumas, sed eum celeri festinatione dimittas.* Cumque hujuscemodi mandatum dæmonium illud acciperet, continuo quem ligatum suis nexibus habebat dimittebat et optata languenti, adjuvante Domino, sanitas veniebat. Multas etiam per venerabilem virum admirabiles atque præcipuas virtutum gratias divina ex fide petentibus est pietas operata.

* *corr.* quæ.

* *corr.* compitis.

* *add. super linea.*

10. Inter quas illud vel maxime convenit publicandum, quod multis retro temporibus ad credentium fidem Dominus voluit ostendere miraculum. Igitur cum beatus Severus, cujus iter actum opere retuli-

mus, deificis in hoc seculo operibus expeditus, conversatione laudabili et consummatione felici in hac meritorum memoria celebri migrasset ad Dominum, cum * post multorum temporum spatia, divina jubente clementia, in supradicta urbe summus atque præcipuus beatus Desiderius fuisset pontifex constitutus, multa illi a cunctis populis reverentia atque ab ipsis omnium regionum episcopis dignitas, ut erat optimum, præstabatur. Brunigildis vero regina, quæ in tota Francia ingenii pessima eo tempore calliditate regnabat, cum multis jam pontificibus contra religionis ordinem diversis adinventionibus imperaret, beatum Desiderium nullis quivit ludificationibus ad pravitatis suæ consilium convertere nullisque prævaricationis laqueis irretire. Cumque in hujuscemodi rebus circa pontificem Domini odium quotidie cresceret, et regina ritu antiquitatis non solum illi, verum etiam plebi sibi creditæ sinceriarum * machinamenta semper ingereret, judicem quemdam in supradicta urbe constituit, qui miseriarum suarum voluptatibus deserviret, atque insidiarum omnium studia circa Ecclesiæ sanctæ famulos irrogaret. Cumque judex iniquitatis in istiusmodi rebus intenderet, ut sanctum Dei pontificem ad iracundiam totis viribus provocaret, quadam de pluribus vice, dum intentione magis quam ratione superbus insisteret, et beatum Desiderium assiduis injuriis lacesseret, inquisitis diaboli arte commentis, duodecim servientibus* ecclesiæ comprehensis*, carceri publico mancipavit, eosque catenarum obligatione in odium beati viri connexuit. Cumque longo tempore non ergastulo, sed in imo carceris detinerentur obscuro, et cum jam ante multa, ut dictum est, temporum spatia beatissimus Severus migrationem accepisset ad Dominum, et venerabilem sui corporis sepulturam in basilica sancti protomartyris Stephani, quam ipse fundaverat, condidisset, quadam nocte inter catenarum stridorem vel pondera dormientibus carceratis sanctus Severus astitit medius. Qui visibiliter a somno suscitans dormientes, vincula ab eorum onere deposuit, eosque, foribus reseratis, cum ipsis quæ habuerant vinculis exire compulit, atque abire liberos imperavit. Cumque a quibus soluta fuerant vincula nomen auctoris inquirerent, et quisnam esset, qui tantæ rei exerceret miraculum, quæritarent, beatus Severus ita placidum * reddidit inquirentibus verbum : *Dominum,* inquit, *auctorem rerum omnium benedicite, fratres, ejusque simul in passione consortem beatum protomartyrem Stephanum memorate, ac meæ parvitatis si vultis nosse personam, Severum peccatorem istius operis ministrum discite *, atque hujus sceleris auctori * judici, si quæsierit mei nominis notitiam, indicate.* Sic omnes, depositis vinculis, ad basilicam beati Stephani atque ad sepulchrum sancti Severi pariter pervenerunt, trino et ineffabili * Domino cum sanctis ejus gratias referentes, qui eos et exitiali periculo exemit

* cumque *corr. man. rec.*

* *corr.* suggillationum.

* *corr.* servientes.

* *corr.* comprehensos.

* *prius* placitum.

* *prius* edicite.

* *prius* actori.

* *cod.* effabili.

illæsos, propriisque restituit rebus liberatos. Hoc etiam speciale petentibus divina præstat gratia donum, ut, si quis fide comitante beati viri devotus expetierit sepulturam, totius infirmitatis deponat incommoda et dolorem, et optatæ sospitatis recipiat ilico medicinam. Sed omnia sanctorum tuorum *, Domine Jesu Christe, mirabilia tibi* referenda sunt *, qui ab initio ostensus es per prophetas, et nunc operaris in sanctis tuis. Ideo et tibi gloria cum Deo Patre et Spiritu sancto, virtus et potestas, laus et imperium nunc et semper et per omnia secula seculorum. Amen.

* (s. t.) *al. man. supra ras.*
* *add. supra lin.*
* *add. supra lin.*

INDEX CODICUM

QUI IN HOC TOMO ADHIBITI SUNT AUT CITATI.

INDEX SANCTORUM

de quibus

DOCUMENTA IN HOC TOMO EDITA SUNT

VEL SALTEM IN CATALOGO NOSTRO LEODIENSI RECENSITA.

N. B. — Sancti quorum nomine inscribuntur documenta in corpore hujus voluminis, indicantur litteris capitalibus minoribus, v. g. Abdu'l Masich.

Sancti circa quos aliquid editum est in corpore vel in appendice Catalogi nostri Leodiensis, designantur charactere italico, v. g. *Andreas.*

Reliqua omnia nomina eorum Sanctorum sunt, qui solummodo recensiti sunt in Catalogo Leodiensi.

(Numeri paginas indicant.)

INDEX SANCTORUM

QUORUM ACTA RECENSITA SUNT

ET ETIAM ALIQUA SUBINDE EX IIS EDITA

IN PARTE CATALOGI HAGIOGRAPHICI

BIBLIOTHECÆ REGIÆ BRUXELLENSIS

HUIC TOMO ANNEXA.

N. B. — Sancti circa quos aliquid hic editum est, designantur charactere italico, v. g. *Amatus*.
Reliqua nomina eorum Sanctorum sunt qui solummodo recensiti sunt in Catalogo.

INDEX GENERALIS

HUJUS TOMI.

PAG.

Bruxellis. — Typis Polleunis, Ceuterick & Lefébure.

Bruxelles. — Imp. Polleunis, Ceuterick & Lefébure, rue des Ursulines, 35.

